



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>







4214

4232 / 431

Noted from [illegible]

H I S T O R I A
A V G V S T A
IMPERATORVM
ROMANORVM.



ADIECTA EST
HENRICI HAMELOW

H I S T O R I A
IMPERATORVM
ROMANORVM

Carminē perpetuo descripta.



A 1 1 2 2 2 2

A 1 2 2 2 2 2

VIC

15 15 15 15 15 15

15 15 15 15 15 15

15





HISTORIA AUGUSTA IMPERATORUM ROMANORUM

A



C. JULIO CÆSARE

Usque ad

JOSEPHUM

IMPERATOREM AUGUSTISSIMUM;

ex

JOANNIS PETRI LOTICHII
TETRASTICHIS MNEMONICIS,

ET

JOANNIS JACOBI HOFMANNI
TETRASTICHIS,Et ejusdem in hæc enarrationibus Historicis. Adduntur
Singulorum Imperatorum

EFFIGIES

Aere scalpto expressæ

EX NUMMIS

CHRISTINÆ SUECORUM REGINÆ.

Additamenta necessaria & integra omissoꝝ supplementa

ADJECIT

HENRICUS CHRISTIANUS HENNINIUS.



AMSTELÆDAMI,

Apud

STEPHANUM ROGER,
PETRUM HUMBERT,
PETRUM DE COUP,
CHATELAIN FRATRES.

1710.

SERENISSIMO AC CELSISSIMO PRINCIPI

JOANNI GULIELMO
FRISONI



PER DEI GRATIAM

PRINCIPI ARAVSIONENSI

ET NASSAVIO,

COMITI CATTIMELIBOCORUM,

VIANDAE, DIETZIAE, SPIEGELBERGAE,

DOMINO BEILSTEINII,

BARONI LIESVELDIAE ETC. ETC.

HAEREDITARIO FRISIAE, GRONINGAE ET AGRORUM

CIRCUMJACENTIUM GUBERNATORI DESIGNATO .

S. P. D.

FRANCISCUS HALMA.

P*ostquam defuncto Parente Tuo, im-
mortalis memoriae Principe, ad
Ejus dignitates magno omnium bo-
norum consensu esses evectus, sustinui
Tibi offerre Descriptionem Caesarum Romano-
rum, eorumque Icones aeri incisas, quotquot non
interrupta serie ad gubernacula maximi terra-
rum orbis Imperii sederunt usque ad tempo-
ra Leopoldi, qui nuper e vivis excessit. Ex eo*

DEDICATIO.

consilia inii idem hoc opus, quod patrio sermone contexi curaveram, Latine in lucem edere in usum remotarum gentium, atque eorum praecipue, qui animum adjicerent ad varias mundi historias, in quibus Romana elucet, evolvendas. Approbarunt hoc propositum quoscunque super eo consulueram, mibique jam sponte currenti calcar addiderunt. Habes igitur, Princeps Serenissime, volumen hoc, Tibi jam satis notum, recognitum secundis curis, & vita Josephi Augustissimi Imperatoris, quem jam colit & veneratur Germania, auctum. Et certe ad quem potius confugissem, Serenissime Princeps, quam ad te, qui libro tunc temporis vernaculo a me donatus, jam ad maturiorem aetatem pervenisti, instructus cognitione literarum, iisque scientiis, quas non oportet abesse a principis persona, quibusque imbui non puduit Alexandrum Magnum, Julium Caesarem, & Augustum, aliosque posterioris aevi Principes, quorum pervulgata sunt nomina? Neque enim puto ingratum tibi posse accidere opus, in quo tot vitia
at-

DEDICATIO.

atque virtutes malorum & bonorum Imperatorum depinguntur, licet relicta Academia jam in castris & campo verſeris, & lituorum & tubarum sonitus cantui Musarum videatur obſtrepere. Voluit enim clarissima Mater Tua, quique praefecti fuere tenerae tuae aetati, ne excluderes salutareſ disciplinas a rebus bellicis, ſed ex illis, poſt arduos labores militiae, remiſſionem honeſtam atque laxamentum caperes, & praeceptis ſapientiae munitus meliori ardore atque animo redires ad intermiſſa munia. In quibus dum optimis auſpiciis jam verſaris, quae admiranda vidisti atque traſtaſti anno jam proxime elapſo, quo caeli clementia ſic nobis ſociiſque noſtris ac foederatis adſpiravit, ut de tam inaudito rerum ſucceſſu in Belgio, in Italia, & Hiſpania, merito dubitaturi ſint poſteri, qui accedent ad monumenta patriae noſtrae evolvenda, & annales huius temporis perluiſtrandos? Optimis, inquam, auſpiciis, Sereniſſime Princeps, iſiſtis veſtigiis Illuſtriſſimorum Parentum & Majorum Tuorum, in quorum numero cenſetur quoque Adolphus Naſſavius

DEDICATIO.

Imperator , in hac serie centesimus quadragesimus quintus , cujus facta , ut temporibus nostris , ita veritati propiora , sine dubio te accendent ad virtutem heroïcam , & desiderium de patria tua bene merendi. Ingredere ergo iterum theatrum hoc , in quo licet intueri omnis exempli documenta , vitia , virtutes , eorumque praemia & poenas , everisiones regnorum & urbium , victorias terra & mari paratas , & , ut verbo absolvam , quaslibet rerum humanarum vicissitudines. Vera enim Principis virtus est non negligere pacis artes , sed inde percipere quid ex usu sit , quid in vita humana sit faciendum , quid vero fugiendum : quae unica historiae laus est. Deus , Serenissime Princeps , prosperet caepta tua ubicunque verferis , suaque ipse dextra ducat quo rei publicae bonum Te vocabit , faciatque ut diu sis superstes.


Amstelaedami

Prid. Kalend.

Februar. cIcIccvii.

T Y.

TYPOGRAPHI LECTORIBUS S.

uantam curam posuerint eruditi in describenda Imperii Romani potestate, notum est omnibus, qui animum adjecerunt ad politioris literaturæ & historiarum totius orbis cognitionem. Illa tam lata & splendidæ dominationis majestas præcipue eluxit in Imperatoribus, quotquot jam inde a Julio Cæsare usque ad Josephum, hodiernum Romani Imperii decus, summarum rerum habenas tenuerunt. Horum principum historia non tantum literis est consignata, sed eorum effigies nummis quoque expressa ornameto est variis Gazophylaciis, inter quæ priores certe tenuit illud, quod adornaverat Serenissima Suecorum Regina Christina, & Romæ publicari curaverat. Istos nummos, uti artificiose æri erant incisi, ante paucos annos ad exemplar Romanum ipsi quoque expressimus successu haud poenitendo, & descriptionem Cæsarum atque Imperii Romani, Sacrorumque Gentilium in usum popularium nostrorum ad-

adjungi curavimus. Ex eo impetum cepimus tale quid tentandi sermone Latino, ut studiorum amantes habere possent, unde uno & perpetuo intuitu inspicerent statum tam illustris Principatus, & res a Principibus ipsis vel bene vel male gestas per exactam istius curriculi seriem evolverent. Et ut compendio quoque studeremus, usi sumus descriptionibus, quas Lotichius & Hofmannus concinnaverant, & ubi ii deficerent (nam prætermiserunt varios Imperatores, atque ita seriem suam valde interruperunt) quodcunque deërat supplevimus, manum auxiliatricem benigne nobis præbente Viro Clarissimo Henrico Christiano Henninio, Duisburgensis Academiae decorare. Quo acerba fatorum vi erepto ad alium confugere coacti sumus, qui nihilo segnius defuncti vices sustinuit, & quæ nondum perfecta erant absolvit. Nihil itaque restat nisi ut vos rogemus, ut æquo animo accipiatis hoc volumen, & si quid hic illic oscitantia operarum typographicarum, ut facile fieri potuit, erratum sit, nobis benigne ignoscatis, compensaturis quicquid hoc detrimenti sit melioribus & gravioribus operibus. Valete, Lectores, atque his frui-
mini.




S E.

S E R I E S

IMPERATORUM

ROMANORUM

EO ORDINE, QUO IN TABULIS SUNT NOTATI.

- | | |
|--|-----------------------------|
| 1.  ULIUS CÆSAR. | 35. GORDIANUS II. |
| 2. AUGUSTUS. | 36. BALBINUS. |
| 3. TIBERIUS. | 37. PUPIENUS. |
| 4. CALIGULA. | 38. GORDIANUS III. |
| 5. CLAUDIUS. | 39. PHILIPPUS. |
| 6. NERO. | 40. PHILIPPUS II. |
| 7. GALBA. | 41. TRAJ. DECIUS. |
| 8. OTHO. | 42. ETRUSCUS. |
| 9. VITELLIUS. | 43. HOSTILIANUS. |
| 10. VESPASIANUS. | 44. GALLUS. |
| 11. TITUS. | 45. VOLUSIANUS. |
| 12. DOMITIANUS. | 46. ÆMILIANUS. |
| 13. NERVA. | 47. VALERIANUS. |
| 14. TRAJANUS. | 48. GALLIENUS. |
| 15. HADRIANUS. | 49. POSTUMUS. |
| 16. ÆLIUS VERUS. | 50. CL. GOTHICUS. |
| 17. ANTONINUS PIUS. | 51. QUINTILLUS. |
| 18. MARC. AURELIUS. | 52. AURELIANUS. |
| 19. VERUS. | 53. TACITUS. |
| 20. COMMODUS. | 54. FLORIANUS. |
| 21. PERTINAX. | 55. PROBUS. |
| 22. JULIANUS. | 56. CARUS. |
| 23. NIGER. | 57. CARINUS. |
| 24. SEVERUS. | 58. NUMERIANUS. |
| 25. ALBINUS. | 59. DIOCLETIANUS. |
| 26. CARACALLA. | 60. MAXIMIANUS HERCULEUS. |
| 27. GETA. | 61. CONSTANTIUS CLORUS. |
| 28. MACRINUS. | 62. MAXIMIANUS ARMENTARIUS. |
| 29. DIADUMENUS. | 63. MAXIMINUS DAZA. |
| 30. HELIOGABALUS. | 64. MAXENTIUS. |
| 31. ALEXANDER. | 65. LICINIUS. |
| 32. MAXIMINUS. | 66. CONSTANTINUS MAGNUS. |
| 33. MAXIMUS. | 67. CONSTANTINUS II. |
| 34. GORDIANUS. | 68. CONSTANS. |
| | 69. CON- |

- | | |
|--------------------------------|-----------------------|
| 69. CONSTANTIUS. | 118. LOTHARIUS. |
| 70. MAGNENTIUS. | 119. LUDOUICUS II. |
| 71. JULIANUS APOSTATA. | 120. CAROLUS II. |
| 72. JOVIANUS. | 121. LUDOVICUS III. |
| 73. VALENTINIANUS. | 122. CAROLUS III. |
| 74. VALENS. | 123. ARNULPHUS. |
| 75. GRATIANUS. | 124. LAMBERTUS. |
| 76. VALENTINIANUS II. | 125. BERENGARIUS. |
| 77. THEODOSIUS MAGNUS. | 126. LUDOVICVS IV. |
| 78. ARCADIUS. | 127. CONRADUS. |
| 79. HONORIUS. | 128. HENRICUS. |
| 80. THEODOSIUS II. | 129. OTHO MAGNUS. |
| 81. CONSTANTIUS II. | 130. OTHO II. |
| 82. VALENTINIANUS III. | 131. OTHO III. |
| 83. MARCIANUS. | 132. HENRICUS II. |
| 84. ANICIUS MAXIMUS. | 133. CONRADUS II. |
| 85. AVITUS. | 134. HENRICUS III. |
| 86. LEO MAGNUS. | 135. HENRICUS IV. |
| 87. MAJORIANUS. | 136. HENRICUS V. |
| 88. LIBIUS SEVERUS. | 137. LOTHARIUS II. |
| 89. ANTHEMIUS. | 138. CONRADUS III. |
| 90. OLYBRIUS. | 139. FRIDERICUS. |
| 91. LEO II. | 140. HENRICUS VI. |
| 92. GLYCERIUS. | 141. PHILIPPUS. |
| 93. NEPOS. | 142. OTHO IV. |
| 94. AUGUSTULUS. | 143. FRIDERICUS II. |
| 95. ZENO. | 144. RUDOLPHUS. |
| 96. ANASTASIUS. | 145. ADOLPHUS. |
| 97. JUSTINUS. | 146. ALBERTUS. |
| 98. JUSTINIANUS. | 147. HENRICUS VII. |
| 99. JUSTINUS II. | 148. LUDOVICUS V. |
| 100. TIB. CONSTANTINUS. | 149. CAROLUS IV. |
| 101. MAURITIUS. | 150. VENCESLAUS. |
| 102. PHOCAS. | 151. FRIDERICUS III. |
| 103. HERACLIUS. | 152. RUPERTUS. |
| 104. CONSTANTINUS. | 153. SIGISMUNDUS. |
| 105. HERACLEONAS. | 154. ALBERTUS II. |
| 106. CONSTANS II. | 155. FRIDERICUS IV. |
| 107. CONSTANTINUS IV. | 156. MAXIMILIANUS. |
| 108. JUSTINIANUS II. | 157. CAROLUS V. |
| 109. PHILIPPICUS. | 158. FERDINANDUS. |
| 110. ANASTASIUS II. | 159. MAXIMILIANUS II. |
| 111. THEODOSIUS III. | 160. RUDOLPHUS II. |
| 112. LEO III. | 161. MATTHIAS. |
| 113. CONSTANTINUS V. | 162. FERDINANDUS II. |
| 114. LEO IV. | 163. FERDINANDUS III. |
| 115. CONSTANTINUS VI, & IRENE. | 164. LEOPOLDUS. |
| 116. CAROLUS MAGNUS. | 165. JOSEPHUS. |
| 117. LUDOVICUS. | |




JUL.



JULIUS CÆSAR.

Primus Romanorum Imperator.



LOTICHIUS.

NOMINE qui primus , qui primus JULIUS ET RE
CÆSAR , ab hoc ipso nomine Cæsar erat.
Utilis Imperio , validis is & utilis armis
Pertulit infandam cæsus in urbe necem.

HOFMANNUS.

*Pompejo Cæsar victo (a) , Dictator in ævum (b)
Dictus , mox patriam subdidit (c) ipse sibi.
Sed plus viceno (d) confossus vulnere , vitam (e)
Cum Dictatura perdidit ecce suam.*

ENARRATIO.

DE genere suo ipse ita apud Suetonium in eo, cap. 6. *Ami-
ta meæ Juliæ maternum genus ab Regibus ortum , paternum
cum Diis immortalibus conjunctum est. Nam ab Anco Marcio
sunt Marci Reges , quo nomine fuit mater ; a Venere Ju-
lii , cujus gentis familia est nostra. Hinc nobilissimam Ju-
liorum familiam vocat Vellejus Paterc. lib. 2. cap. 41. Fi-
lius fuit Caji Julii Prætoris ex Aurelia. Uxores ei variæ , inter quas Cor-
nelia Cinnæ filia , (qua genita Julia ex Pompejo M. Cneum & Sext. Pompe-
jos*

jos profecit) & Pompeja Syllæ neptis. Amica præcipua Cleopatra III. de qua supra, e qua Cæsarionem suscepit. Ipse *forma omnium civium excellentissimus, vigore animi acerrimus, munificentiae effusissimus, magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia periculorum, Magno illi Alexandro simillimus*, iterum Vellejus *d. l.* (a) Post Helvetios cæsos, ann. O. C. 3998. Ariovistum Germanorum Regem trans Rhenum repulsum, eodem: Gallos Belgasque subjugatos, ann. 3999. Sicambros territatos, ann. 4001. Britannos tentatos, ann. 4002. Treviros attritos, ann. 4003. & Gallos perdomitos, ann. 4004. civile bellum orsus, Pompejum in campis Pharsalicis, ann. 4008. Scipionemque & Catonem in Africa vicit, anno sequente, quo & Pharnacem ex Ponto repulit: Jubam vero Numidiæ Regem oppressit ann. 4010. Fastos correxit ann. eod. (b) Civilibus dein bellis sic toto Orbe compositis, & quinto ex Hispania triumpho acto, inter alios honores a Senatu ipsi decretos, *Pater Patriæ, & Sacrosanctus & Dictator perpetuus* appellatus est, anno 4011. (c) Quod vero Senatui honores istos deferenti non assurrexisset, diadema M. Antonio inter Lupercos currente capiti suo impositum, in sella reposuisset, & duobus Tribunis plebis, invidiam sibi, tanquam regnum affectanti, moventibus, potestatem abrogasset, tanquam tyrannidis manifestus, post quietem vix 5. mensium, (d) a M. Bruto, C. Cassio, aliisque ad libertatem patriæ vindicandam conjuratis, in Curia Pompeji, atque ad statuam ejus, 23. vulneribus (e) confossus est, anno Imperii, an belli, quinto; ab O. C. 4012. Plut. & Suetonius *Cæsare*, Livius *Epitome Dec. 11. & 12.* Dio Cassius, Florus, Eutropius, Orosius, alii.

Additamenta HENR. CHR. HENNIN.

Bellum Civile *Pompejo-Cæsareanum* maxime nobilitatum est quatuor præliis: I. ad *Dyrbachium*, sive *Epidamnium*, Illyridis urbem, hodie *Durazzo* circa A. U. C. 705. ubi pulsus Cæsar, non instante Pompejo, negavit eum vincere scire. Sueton. *Cæs. 36.* Cæs. *de B. C. 111. 69—75.* Appian. *B. C. 11. p. 466. & seqq.* II. ad *Pharsalum*, urbem Phthiotidis in Thessalia, hodie *Farsa*; in cujus campis Pompejus fusus in Ægyptum fugit, mense Julio, sive adulta ætate, A. U. C. 706. Suet. *Cæs. 35.* Cæs. *B. C. 111. 93.* Appian. *l. l.* Lucan. *l. VII.* Plutarch. in *Cæs.* Dio *l. XLI. & XLII.* ubi notandum est magnanimum Cæsaris factum, quod, captis Pompeji scriniis, secretas literas, quæ benevolentiam quorundam erga Eum, & animi acerbiteriam adversus ipsum Cæsarem prodebant, neque legerit, neque descripserit, sed optima fide extemplo concremaverit; ne quid gravius in quenquam statuere ex literis cogeretur, narrante Plinio *H. N. VII. 25.* & Dione *l. XLI.* item quod postea & Regulis & Populis, qui auxilia Pompejo tulerant, imperata tantum pecunia, (*contributionem* jure belli hodierni vocant:) neque ullo alio supplicio imposito veniam dederit. Nullam enim sibi, aut certe exiguam intercessisse

notitiam, considerabat; cum Pompeji multa magnæque in eos constitissent merita; longeque plus laudis eis tribuebat, quam illis, qui, cum a Pompejo beneficiis essent affecti, in periculo eundem destituisent. Dio *l. XLII.* III. ad *Thapsum*, Byzaceni tractus in Africa urbem maritimam, A. U. C. 708. ubi debellavit Q. Cæcilius Metellus Pium Scipionem, Catonem Uticensem, & Jubam Numidiæ Regem, qui reliquias Pompejanarum partium refovebant. Suet. *Cæs. 35.* Hirt. *B. Afr. c. 82. & seqq.* Appian. *B. C. 11. p. 488. & seqq.* Dio *l. XLIII. p. 217.* Aliique, ubi iterum notanda vera & incomparabilis invicti animi sublimitas in Cæsare, qui denuo, captis Epistolarum Scipionis scriniis, eas concremavit optima fide, atque non legit. Plin. *l. l.* IV. ad *Mundam*, Hispaniæ Bæticæ urbem, hodie, si Marianæ credimus, *Ronda la vieja*; si aliis, *Ronda*; aut etiam *Monda* recens, ubi contra Cn. & Sex. Pompejos, Magni filios, ultimum, difficillimum & anceps prælium tandem victor depugnavit A. U. C. 709. Flor. *IV. 2.* Dio *l. XLIII. p. 233. & seqq.* Hirt. *de B. Hisp.* passim. Suet. *Cæs. 35. 36.* Aliique. His vero præliis Cæsar oppressa Rep. ad Monarchiam sibi viam fecit.

C. CÆSAR OCTAVIANUS AUGUSTUS (a).



L O T I C H I U S.

Imperium terræ laudes æquavit olympo
 Æmulus AUGUSTUS nominis ipse sui.
 Induit humanam DEUS hoc sub Cæsare carnem,
 Cui quoque mors ipso fine benigna fuit.

H O F M A N N U S.

*Sponte sua (a) primo huic se submittere Quirites ,
 Atque sibi Augustum constituere caput.
 Qui sat celsus honos , sed longe hoc celsior ille,
 Isto quod CHRISTUS (b) principe factus homo est (c).*

E N A R R A T I O.

Ulii Cæsaris, ex sorore Julia Min. neptis Atia, Octavio nupta, eum genuit, adoptatum dein a Cæsare & ex do-
 drante hæredem scriptum. (a) Dissidiis civilibus, uti vi-
 dimus, fini imposito, omnibusque provinciis in certam
 formam redactis, *Augustus* cognominatus est, & mensi
 Sextili nomen velut Julius Quintili præbuit. Sicque Roma
 unius Imperio parere cœpit. Dictaturam certe pertinaciter ei detulisse popu-
 lum, Vellejus Paterc. lib. 2. cap. 89. & Suetonius in eo cap. 58. memo-
 rant, quam, utpote, Antonia lege e Rep. eliminatam, cum recusasset,

Patris tamen *Patriæ* a Senatu P. Q. oblatum elogium quamvis non sine lachrymis admisit, Suetonius *d. l. cap. 50.* ipse *Principis* nomine contentus. Tacitus *Annal. lib. 1. cap. 1.* Solus autem imperare cœpit, ann. O. C. 4029. ante C. N. 20. triennioque post Mauritaniae regnum Bogudis dedit Jubæ juniore. Asiæ regna distribuit, ann. 4036. ante C. N. 13. Hispanos, per Vipſanium Agrippam, domuit, anno ſequentē, ante C. N. 12. Censum Orbis egit, ann. O. C. 4049. ipſo beatissimo DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI natali, Lucæ *cap. 2. v. 1. 2. (b)* quem, per tot annorum millenarios retroactos, *Deſideratum omnium gentium*, Haggæi *cap. 2. v. 7. c* Maria, ſtirpis Davidicæ regia quidem, ſed paupercula virgine, ad Orbem inſtaurandum, naſci voluit Deus, die 25. Decembr. quæ communis Chriſtianorum ſententia eſt, ex tabulis Romanorum Cenſualibus, ad quas sæpe provocare ſolitos Patres ex Tertulliano *lib. 4. contra Marcion.* novimus, hauſta. Unde nova *æra Chriſtiana* initium ſumit, in poſterum obſervanda. (c) Anno itaque a Chriſto nato 10. Quintilium Varum cum tribus legionibus, in Germania, (cujus magnam partem per Druſum & Tiberium ſubegerat, quadriennio ante) amiſit: unde Jani templum, quod Imperator hic tertia vice clauſerat, primo poſt victum Antonium, dein ex bello Cantabrico Romam reverſus, tandem circa tempora nati Servatoris, ruruſus patere cœpit. Obiit, poſtquam moriturus vitam humanam riſiſſet, ann. C. 14. ætat. 76. Imperii, a quo ſolus præeſſe cœpit, 34. Dio *lib. 46. & ſeqq.* Plut. & Suetonius *Octavio*, Vellejus *lib. 2.* Florus *lib. 4.* Juſtinus *lib. 44.* Tacitus *Annal. lib. 1. & de Moribus Germ. cap. 37.* Alii. Ejus tempore, Herodes M. cujus regnum adjecta Trachonitide aliſque incrementum ſumſit, in honorem Auguſti Samariam reſtauravit, indito ei propterea *Sebaſtes* nomine, anno ante C. N. 17. Templum Hieroſolymitanum, a Zorobabele olim ſtruſtum, magnopere exornavit, multisque operibus ac ſubſtruſtionibus auxit, quinquennio poſt. Cognito dein Meſſiæ ortu, novum Regem e medio ſublaturus, omnes infra bimatum infantes, qui circa Bethlehemum & Hieroſolymam reperiabantur, occidit ann. C. 2. ſed nihil cruento edicto effecit, Deo puerulum in Ægyptum transferente, donec Herodes ſanguinolentam animam divino judicio daret, id quod vertente anno factum, Matth. *c. 2. v. 13, 16.* Joſephus *Antiq. Judaic. lib. 14. & 15. de Bello it. lib. 1. capp. 11. 13. 14. 16.* Eusebius *Hiſtor. Eccl. lib. 1. cap. 9.* Alii. Duodecimo poſt hæc ætatis anno, CHRISTUS templum ingreſſus, interque Doctores aſſidens, futuro miniſterio præluſit, Luc. *cap. 2. v. 42. 46.* cui, utpote *Primogenito Dei*, aram ab Auguſto erectam, legimus, qua de re alibi.

Additamenta H E N R. C H R. H E N N I N I.

Bella Civilia Auguſti quinque enumerant Rerum Romanarum Scriptores: I. Mutinense, contra M. Antonium ad Mutinam, tum Galliz Italicz Bojorum Urbem, hodie *Modenam*, A. U. C. 711. II. Philippenſe, ad Philippos Macedoniz urbem, contra Brutum & Caſſium, A. U. C. 712. III. Peruſinum, ad Peruſiam, Hetruriz urbem, hodie *Peruſiam*, contra L. Antonium, M. Fr. A. U. C. 713. & 714. IV. Siculum navale, ad Pelorum Siciliz promontorium, hodie *il Faro*, adverſus Sex. Pompejum, Magni F. A. U. C. 717--719. V. Actiacum navale ad Actium Epiri promontorium, hodie *Capo Fegalo*, adverſus M. Antonium & Cleopatram,

A. U. C. 723. quarto Nonas Septemb. devictos. Externa bellageſſit Auguſtus plura, quæ compendio & ordine ſecundum quatuor Orbis plagas recenſet Flor. *iv. 12.* qui videatur, & Suet. *Aug. 20. 21.* Initium Imperii Auguſtei ſive Monarchiz referri debet ad A. U. C. 726. quippe ab A. U. 727. ineunt anni Auguſti. Vide Dionyſ. Petavii *Doctr. Temp. x. 64. Rat. Temp. 11. 3, 15.* Natus erat Auguſtus Romæ ix. kal. Octobr. A. U. C. 691. deceſſit Nolæ in Campania xiv. kal. Sept. A. U. C. 767. an. ætatis 76. Cum M. Antonio & M. Lepido III. viris fere annos 12. ſolus autem Remp. tenuit annos 43. menſes 11 dies 18.

I I I.

CLAUDIUS TIBERIUS NERO. (a)



LOTICHIUS.

TIBERIUS bellator in hoste, sed urbe tyrannus.
 Hoc ferus, ast illo nomine fortis erat.
 Sustulit hunc diri successor fraude veneni,
 CHRISTUS ubi duram passus in orbe crucem.

HOFMANNUS.

*Sceptra tulit tectus Romana Tiberius, arte
 Non una, insidiis (b) savitiæque (c) nocens (d).
 Sub quo, pro mundi CHRISTUS fera fata salute
 Expertus, mortem (e) diræque probra tulit (f).*

ENARRATIO.



Iviæ (a) filius, Augusti privignus, atque ab eo in Cæsarum familiam adscitus, successit patri, anno a N. C. 14. post Pannonios Batone duce rebelles subactos, ann. 10. & Vienneenses coërcitos, ann. 12. ob vinolentiam, *Caldius Biberius Mero* eleganti joco dictus. (b) Satis prudens in armis, factisque fortunatus, literis insuper egregie imbutus, sed ingenio erat pessimo, truci, avaro, *insidioso*, *simulans ea se velle quæ nollit*: his quasi infensus, quibus consultum cupiebat; his vero quos oderat quasi benignus apparens, Suetonius *Tiberio*, Tacitus *Annal. lib. 1.* Dio *lib. 57.*
 Alii.

Alii. (c) Nono præsertim imperii anno, *savire ipse aut savientibus vires præbere*, Tac. *Annal.* l. 4. c. 1. inprimis Sejano sublato, *in scelera simul ac dedecora prorumpere*, lib 6. sub fin. *tristioraque solus exercere supplicia adeo, ut, nisi mors prævenisset, plures aliquando necaturus crederetur, identidem felicem Priamum prædicans, quod superstes omnium suorum vixisset*, alibi. (d) Imperator factus primo statim anno Comitia a populo ad Patres transtulit, Germanos, eorumque Regem Arminium per Germanicum, e Druso fratre nepotem, attrivit, Pannonicarum vero legionum seditionem ægre per Drusum filium composuit, ann. sequente. Per eundem Germanicum Cappadociam in provinciam redegit, post Archelai Regis obitum, ann. 18. Zenone Rege Armeniæ imposito, ann. 20. Sejanum, quem evexerat, ann. 17. occidi iussit, ann. 31. (e) Vid. mox dicenda. (f) Obiit anno C. 37. æt. 78. Imperii 23. Vellejus Paterc. lib. 2. cap. 110. & 114. Dio libb. 55. & 56. Strabo lib. 7. Tacitus *Annal.* libb. 6. primis. Suetonius *Tiberio*. Alii. Eo imperante, Pilatus Judææ, post Gratium, Præsidem egit, ab ann. C. 27. Anno post tertio CHRISTUS, ineunte trigésimo ætatis anno, ex Levitarum instituto, in publicum productus, ac munera sua auspicatus est, *Luc. cap. 3. v. 23*. Itaque a Johanne baptizatus, docet, miraculaque edit, postquam a multis seculis illa fieri desissent, nec quisquam Majorum Christi, ac speciatim nullus de Tribu Juda miraculis legatur celebris fuisse. Cum Domino contra cælum ipsum ac universa rerum natura adeo famulata fuerit & continuo propemodum obsequio, ad singularia quæque vitæ ejus momenta, nativitatem, baptismum, mortem, resurrectionem, ascensionem, sessionemque ad dextram Patris, obsecundaverit. Ministerii curriculum quidam trium annorum ac dimidii spatio definiunt, occasione loci *Luc. cap. 13. v. 7*. contractius aliquanto faciunt Veterum nonnulli. Eo absoluto, crucifigitur pro peccatoribus, eoque in cruce pendente, sol præter naturæ leges deficit, terra tremit, rupes dissiliunt, velum Templi scinditur, sepulchra sponte aperiuntur, ipse, postquam *consummatum esse* pronuntiavit, ingenti cum clamore spiritum ponit, anno 34. ac triduo post resurgit, *Matth. c. 27. v. 26. 50. c. 28. v. 6*. V. quoque Evangg. cæteros, adde Josephum *Antiqq. Judaic. lib. 18. cap. 4*. Quadragésimo dein die in cælum ascendit, & decem aliis diebus elapsis, (unde *Pentecoste* Judæis) Spiritus sui dona largissime emittit, *Marci cap. 16. v. 19*. alibique passim. Quibus instructi Apostoli, cum in omnibus statim linguis JESUM DEI FILIUM mundi que Servatorem intrepide profiterentur, eaque dicerent & facerent, quæ nemo nisi Deo plenus potest, tantum obtinuerunt paucis diebus consensum multitudinis, ut prima oratione tria millia, mox alia quinque millia Christi fidem amplecterentur. *Actor. cap. 2. v. 41. & ibid. cap. 4. v. 4*. Sed nascenti Ecclesiæ mox præsto persecutio, Stephanusque protomartyr lapidatur, ann. C. 35. *Actor. cap. 7. v. 59. & Saulo Ecclesiam vastante disperguntur cæteri: At qui dispersi fuerant, peragrabant regionem evangelizantes sermonem Dei, cap. 8. v. 4*. ipse Saulus convertitur, ac Pauli nomine assumpto, quæ ante exhorruerat dogmata, summa animi contentione vera divinaque esse propugnat, anno 36. *Actor. cap. 9. &c.*

CAJVS (a) CALIGVLA (b).



LOTICHIUS.

CALIGULA augustos tetra caligine fasces
 Turpiter infecit, pronus in omne scelus.
 Nempe tribus stuprum germanis intulit, hinc tot
 Vulneribus vitam finiit ille malam.

HOFMANNUS.

*Cajus a caligis ducto cognomine, Caesar,
 Orbis perniciēs opprobriumque (c) fui,
 Luxu (d), sevitia (e), cæcaque libidine (f) fædus,
 Contemptor Patrum (g), sanguinis (h) atque Dei (i).*


ENARRATIO.

Germanici ex Agrippina, (a) Augusti nepte, filius, Tiberio, quem pulvillo injecto suffocasse tradunt, successit, ann. C. 37. tanto populi Rom. favore, ut pro ejus ex insula Caprearum reditu 160. millia victimarum caderentur. b) Quod in castris genitus, & in contubernio legionum eductus esset, *militari vocabulo Caligulam appellabant*, utpote plerumque ad concilianda vulgi studia eo tegmine pedum indui solitum, Tacitus *Annal. lib. 1.* (c) Initio quidem Germanico patre haud indignum se præbuit, mox, quod sagacissimus senex de eo prædixerat, *exitio suo omnium-*
 B que

que Cajum vivere & se nutricem populo Rom. Phaëtonem orbi terrarum educare, implevit. (d) Princeps ad perdendam pecuniam natus, ultra 675. tonnas auri, a Tiberio corrasas, brevi tempore abligurivit, eo egestatis redactus, ut ad colligendam pecuniam lupanar in palatio instituerit, ann. C. 39. (e) Nota vox ejus, *Oderint dum metuant*: & votum, *unam cervicem populo Rom. optantis*. (f) Spurcissime non cum aliis solum, sed & sororibus, ac Drusilla inprimis, vixit, & in earum nomine juramenta ac vota concipi voluit: (g) quorum interemtis selectissimis Alexandriam secedere in animo habuisse, ex Josepho discimus. (h) Vid. modo dicta. (i) Divinam sibi majestatem asserens, numini suo templum, hujusque sacerdotem unum ex equis suis, *Incitatum* nomine, constituit, Consulem etiam facturum, si diutius vixisset. Ne vero nihil egisse videretur, expeditione Britannica *conchas milites legere jussit, vocans spolia Oceani Capitolio Palatioque debita*, anno C. 40. Occisus a Cassio Chærea, conjuratorum capite, cum Cæsonia uxore, & filia infante, quæ parieti illisa, anno C. 41. æt. 29. Imperii 3. mense 10. Suetonius *Caligula.*, Dio Cassius *lib. 59.* Tacitus *Annal. lib. 9.* Orosius *lib. 7. cap. 5.* Suidas *in Cajo.* Alii. Ejus tempore, orta inter Judæos & Græcos Alexandriæ seditione, Alexandrini Appionem, Judæi Philonem, cujus opera etiamnum habentur, ad Imperatorem miserunt, a quo hi cum ignominia repulsi sunt, ann. C. 38. Josephus *Antiq. Judaic. lib. 18. cap. 10.* & Philo *de Legat.* In Ecclesia, quamvis primus hic Imperator innotescenti gentibus CHRISTO repugnaverit, atque in eo Templo, quod Deo erat vero exstructum Hierosolymis, suam dedicari effigiem præceperit, ann. C. 40. uno septennio, quod a morte Servatoris effluxit, plurimis firmatum est pactum Dei, ante tot secula Patribus promissum, donec jussi sunt Apostoli promiscue omnibus populis eadem secreta enuntiare: quod tenuiter inchoatum per Philippum Evang. (a quo Eunuchus Candaces Æthiopissæ baptizatus est, *Actor. cap. 8. v. 27. & seqq.*) deinde per Petrum & Johannem, apud Samaritanos & Philistæos, resistente quamvis Simone Mago, ann. C. 38. *Actor. cap. 8. v. 5. & cap. 14. v. 20. 21.* continuatum est. Paulus tertio post conversionem anno Hierosolymam ascendit, Apostolos visurus, inde præmonitus in somno de insidiis, per Syriam in patriam suam Tarsum abiit. Petrus, Lyddæ & Joppæ miraculis patratis, Cæsareæ Cornelium Centurionem cum tota familia convertit. Antiochiæ, ubi Cyprii quidam & Cyrenenses jam Ecclesiæ fundamenta jecerant, ann. C. 39. submissus a Consistorio Apostolico Barnabas, assumsit sibi Tarso adiutorem Paulum, qui ambo cum annum ibi docuissent, tanta credentium accessio facta est, ut, ad discrimen infidelium, fideles *Christianorum* nomen adsumerent, ann. C. 40. Vid. *Acta Apostolorum capp. 8. 11.*



TI. CLAUDIUS I. DRVSVS. (a)



LOTICHIVS.

CLAUDIUS indomitis Anglos exercuit armis,
 Cætera quæ gessit, pleraque laude carent.
 Ecce ! scelus sceleri qui subdere noverat, ipse
 Per scelus uxoris, toxica perque perit.

HOFMANNUS.

Neurospastus (b) ei successit Claudius, ut qui
Servorum (c) arbitrio mobilis usque fuit.
 Uxoris tandem crudeli fraude (d) necatus,
 Privigno (e) cessit sceptrum thronumque suo (f).

ENARRATIO.



Ilius (a) Drusi Neronis, (quem Livia, quum Augusto gravida nupsisset, intra mensem tertium peperit) fratris Tiberii Imp. Germanico fratre majore in Juliam familiam adoptato, *Germanici* cognomen assumpsit, Suetonius *in eo* cap. 1. & 2. & post cædem nepotis, e latebris a milite protractus, loco necis, Imperium adeptus est, ann. C. 41. (b) *Νευρόσπαστον* quid Græcis, notum, *nervis alienis mobile lignum*. (c) A Valeria Messalina uxore sua, foemina impudicissima, & tribus libertis, Pallante, Callisto, & Narcisso, quo ipsis libuit, agebatur; prioribus



quidem duobus tam rapacibus, ut, querente Cæsare de exiguitate fisci, responsum sit, *abundaturum, si a duobus libertis in consortium reciperetur*, Plin. lib. 10. cap. 60. Unde a Caligula *ad ludibrium reservatus* dicitur. Et mater Antonia, cum quem socordiae arguere vellet, *stultiores aiebat filio suo Claudio*, Sueton. Publicis tamen operibus, portu scil. ad ostia Tiberis ædificato, & Fucino lacu fluvio, ut navigabilis esset, immisso, ann. C. 42. immortalitatem nominis quæsit, Plautioque duce Britannia partem occupavit, ann. C. 43. *Britannici* hinc nomine filio, qui tunc ipsi recens natus erat, imposito. Ostorio dein duce Caractacum Regem dolo Cartimandue necavit, ann. C. 50. quo eodem Druidarum religionem vetuit, Judæosque ac Mathematicos urbe ejecit. Messalina ob mores, ex Narcissi consilio, occisa, ann. 48. Agrippinam, foeminam imperiosissimam, suam ex fratre Germanico neptem, incestis nuptiis sibi junxit, ann. 49. (d) veneno in boleto dato ab illa sublatus, ann. C. 54. ætat. 64. Imper. 13. mense 8. Suetonius *Claudio*, Tacitus *Annal. lib. 11. cap. 26. & lib. 12. cap. 42. & 66.* Dio lib. 60. Eutropius, Orosius, Eusebius, Aur. Victor, alii. (e) Neroni, quem ut, data ei in matrimonium filia Octavia, Imperio destinaret, proprio filio Britannico postposito, mater effecerat. (f) Eo principe, Mithridates Pontum turbat, ann. C. 47. Gotarzes fratre Artabano occiso Armeniam & Parthiam occupat, ann. 46. quam defunctus Vologases e Media vocato relinquit, ann. 50. In Germania Suevi Vannium Regem pellunt, eod. Tacit. *Annal. lib. 11. & 12.* In Palæstina, Herodes Agrippa I. Rex, cogn. *Magnus*, Aristobuli fil. Judæa, Samaria & Abila actus attollitur, ann. 41. post triennium a vermibus vivus corrosus, ann. 44. filiolo Agrippa minorenni relicto, Josephus *Antiq. Jud. lib. 19. cap. 4. 57.* Missus eodem Cuspius Fadus, Theudam impostorem, ac Pseudo-Josiam cum asseclis oppressit, ann. 46. Quantum ad Ecclesiam, idem Agrippa Jacobum Apostolum gladio interemit, ann. 44. *Actor. cap. 12. v. 2.* Petrum in vincula conjecit, ab Angelo liberatum, anno eod. *vers. seqq.* B. Virgo mortalitatem explevit, ann. 48. teste Nicephoro. Philippus Apostolus Hierapoli Phrygiæ urbe lapidatus, martyrium subiit, ann. 54. Matthæus in Judæa, Marcus Romæ, & Lucas in Achaja scribunt. Septennio, de quo supra, elapso, per Petrum, Paulumque inprimis & Barnabam, potenter apud varios populos gentesque Evangelium annuntiatur, ut ex *Actis Apostolicis* liquet. Hierosolymis Concilium habetur, ann. 48. *Actor. cap. 15.* Vid. quoque Eusebium lib. 2. cap. 17. & lib. 3. cap. 18.

Additamenta HENR. CHR. HENNIN.

CLAUDIUS Imp. licet stoliditatis, iræ, iracundiæ, obliviosæ, sævæ atque sanguinaræ indolis infamia laboravit, habuit tamen insignes etiam virtutes, adeo ut credam efferatam fuisse indolem ejus, Clementiæ alias non expertem, ex pertinacissimo contemptu, quo a suis ipse Necessarii olim conculcabatur. Multa etiam debentur nequitie Servorum & Libertorum Aulicorum, qui facilitate Domini & Patroni abutebantur. Cæterum fuit Princeps eruditus, magnificus in operibus publicis, utilis in plerisque legibus latis, felix in bellis. A. CHR. 50. *Cattos* per L. Pomponium; *Frifios*, & *Chaucos* A. CHR. 47. per Gabinium & Corbulonem, egregium illum rei Militaris instauratorem; *Mauros* per Suetonium Paullinum fregit aut subegit; ac *Mauritaniam* fecit Provinciam divisam in *Cæsariensem* & *Tingitanam*; *Numidiam* per legatos pacavit; *Mithridatem Bosphoranum*, Ponti regnum affectantem, fractum & supplicem, traditum A. C. 49. Romam vehi, per Junium Cilonem Ponti Procuratorem, curavit, & eundem Bosphoranis restituit. *Britannia* partem, quæ hodie *Anglia*, in

quam & ipse navigavit, & *Orcadas* Insulas, hodie *Orshney*, numero xxvii. sed tantum xiiii. cultas, per Plautium & Vespasianum Imperio adjecit sine sanguine, A. C. 43. 44. Polemoni Polemonis F. pro *Bosphorano* Regno *Cilicia* partem dedit. Urbis pomoerium A. C. 49. protulit. Ludos Sæculares A. U. C. 806. CHR. 47. celebravit. Eo Imperante, impetrante uxore Claudii ultima, Agrippina, Veterani & Colonia A. C. 50. in oppidum Ubiorum, quod hinc *Colonia Agrippina*, deducuntur; Petrus A. C. 41. Claudii I. Romam venit; Fames illa in Syria A. C. 44. fuit, quam Agabus prædixerat *Actor. xi. 28.* ut & Fames Romæ A. C. 50. Helena Adiabenorum Regina, ad Christi, an Mosis Legem, conversa, A. C. 44. in illa Syriæ fame Christianis, an Judæis, apud Hierosolyman, advectis ab Ægypto frumentis, subvenit. Hæc excerptimus ex Suet. *Claud. Dion. l. lx.* Tacit. *Ann. xi. & xii.* Paulo Orf. vii. 6. Josepho *Ant. xx. 2-5.* Euseb. *H. E. 11. 8. & 19.* Plin. *H. N. v. 1.*

VERO natus Antij. Imperavit ann. XIII mens VII dieb. XXVIII.
deince Petro, et Lino, seipsum interfecit, an. Ch. LXVIII.

**Tantus in orbe tulit vix unquam sceptrā Tyrannus ,
Sanguinea quantus mente manuque NERO.
Infidias qui cum necti sibi sensit , apertam
Desperans subiit per sua tela necem.**

*Quid Nero, laudatus per prima biennia (c), post hac
Non Caesar, nec homo (d), sed fera tigris erat.
Christiadas primus (e) non una morte peremit,
Casaream stirpem clausit (f) & interiit (g).*

Few people are aware that the

H X (a) Agrippina præfata filius Domitii Ænobarbi, inter gratulationes amicorum, *negantis, quidquam ex se & Agrippina, nisi detestabile & malo publico, nasci potuisse.* Sueton. *Nerone cap. 5. 6.* artibus matris ad Imperium pervenit, ann. C. 54. (b) A quo fuerat adoptatus ann. ætat. 11. nomen nactus. (c) Primo biennio, vel quinquennio, ut alii volunt, ita se gessit, ut *cunctos Principes procul ab eo relinqui* dixerit Trajanus. Graviores vectigalia abolevit, aut minuit. Cum de supplicio cuiusdam capite damnati, ut ex more subscriberet, admoneretur, *Quam vellem*

B 3

lem, inquit, *nescire literas!* Agenti Senatui gratias, *cum meruero*, respondit. Nempe quamdiu Afran. Burrhus militaribus curis & severitate morum, Annæus vero Seneca eloquentiæ præceptis & comitate honesta eximii. Imperatoriæ juventæ rectores aderant. Post ea a matre, eo ambitionis provecta, ut præsidere in Senatu vellet, discedit: cumque hæc, efferata repulsa, Britannicum ostentando, filium terrere vellet, (c) fratrem veneno peremit, matre procul ab aula in ædes Antonia translatæ, ipse se grassationibus nocturnis ac omni lasciviæ mancipavit. Accensus dein amore Poppææ Sabinæ, hujus instigatu, necavit matrem, ann. 59. Burrhum, præter alios insignes viros, ann. 62. Octaviam conjugem, eod. ipsam, quam sibi loco ejus junxit, vasti animi ac superbi luxus foeminam, Poppæam, ann. 67. Postquam idem urbem, ut Trojæ incendium spectaret, incendisset, ac (d) Christianis (Vid. infra) imputavisset, ann. 64. Unde ad hoc monstrum tollendum instituta conjuratio Pisoniana, anno 65. sed quæ prodita multos eximios pervertit viros, in quibus Seneca præceptor ejus, quem similiter sustulit. Tandem cum virtutem ipsam excindere cupiisset, Julii Vindicis & Galbæ defectionibus territus, ac a Senatu hostis judicatus, (e) semetipsum gladio transegit, atque sic Cæsarum familiæ (Vid. Suetonium *Galba cap. 1.*) finem imposuit, ann. C. 68. ætatis 30. Imperii ann. 13. mense 8. nulla re egregia memorabilis, nisi quod Britannos rebelles & multo Romanorum sanguine cruentos per Suetonium Paulinum vicit, ann. 62. dein Isthmum perfodere conatus est, & Græciam liberam pronuntiavit, ann. 67. Suetonius, Xiphilinus, & Aur. Victor *Nerone*, Tacitus *Annal. lib. 14. & 15.* Pausanias *Corinthiacis & Achaicis*, alii. (f) Sub eo, in Judæa Gessio Floro nequissime grassante, Massadæ castello expugnato, & Flavio Vespasiano misso, initium desolationis factum est, anno Neronis 12. Anno sequente, post Jotapatam fortissime defensam, Josephus in manus victoris devenit, & quod Vespasiano spem Imperii faceret, benigne habitus est, Josephus *de Bello Jud. lib. 3. cap. 49.* In Ecclesia, Paulus Apost. captivus Romam missus, ann. C. 59. ibi addito custode milite Evangelium docet, integrum biennium, *Actor. cap. ult. v. 30. & 31.* quo durante, exteræ Ecclesias compellavit per Epistolas, quas ad Galatas, Philippeneses, Colossenses, & Hebræos scripsit: Philemonem quoque literis dignatus. Absolutus a Nerone & dimissus, visitatis Ecclesiis Orientalibus, Italiam, Galliam, & Hispaniam illustravit, ann. 61. Hierosolymis dein Jacobus Alphæi Apostolus lapidatus est, ann. 62. At Romæ Persecutio I. immaniter grassata, & Christiani, ac si urbis incensæ rei essent, *in usum nocturni luminis usti*, ann. 64. raptique ex provinciis quoque fideles Romam ad supplicium, ac Petrus (ut volunt) & Paulus eodem pertracti (quorum hic in 9. mensium carcere ad Timotheum suum secundam epistolam valedictoriam scripsisse videtur) martyrio coronati sunt, ann. 68. Sed & Ecclesiam vexavere hæreses, Menandro, Simonis Magi (quem in amicorum numerum Cæsar receperat) discipulo, *se Servatorem esse* jactante; ac Nicolaitarum secta *communem uxorum* inducente, auctore Nicolao Diacono, ann. eod. quem tamen Eusebius culpæ eximit *Histor. Eccles. lib. 3. cap. 26.* Vid. quoque eum *lib. 2. cap. 22. 23. 25.* Sulpitium Sev. Orosium, Cedrenum, alios.

SERGIUS (a) SVLPICIUS GALBA (b).

VI. IMPERATORES E DIVERSIS FAMILIIS.



L O T I C H I U S.

GALBA minus felix, paucis vix mensibus usus
Imperio, vitam clausit in urbe suam.
Imperio quoniam, neque milite noverat uti,
Miles eum medio sustulit ergo foro.

H O F M A N N U S.

*Decrepitus (c) juveni successit (d) Galba Neroni,
Extra urbem (e) lectus; qua caput orbis erat.
Octavo mox (f) Imperii sed mense peremptus (g),
Ludibrium atati debuit ille suae.*

E N A R R A T I O.



Servius (a) aliis. (b) Nullo gradu contingens Cæsarum domum, sed haud dubie nobilissimus magnæ & vetere prosapia, patre Consulatu functo, matre Mummiæ Achæica pronepte L. Mummi, quem Corinthum excidisse vidimus. (c) Septuagenario quippe major. (d) ann. C. 68. postquam sub Nerone Hispaniæ Præsidatum tenuisset. (e) Primus ex-

tra

tra urbem Princeps lectus, Carthagine nova viz. Hispaniæ urbe, *deploravit temporum statum, consalutatusque Imperator, legatum se Senatus ac Populi Rom. professus est*, Sueton. *Galba cap. 10.* Ut vero disciplinæ severioris amans erat, ingressus ejus in urbem 7. mill. *Prætorianorum occisis, reliquis decimatis*, cruentus fuit, ann. C. 68. Æmulos dein oppressit, Neronisque scelerum administratos ad mortem rapuit. Sed quod a T. Vinio, Corn. Lacone, & Martiano liberto, mire se circumagi pateretur, ut eos *Principis Pedagogos* vulgo vocitarent, *omnium judicio capax Imperii, nisi imperasset*, habitus est. (f) Juxta vaticinium Augusti, *Et tu fili aliquando Imperium degustabis.* (g) A seditiosis militibus, negato donativo, & voce severiori, *Legi a se militem, non emi*, exasperatis, una cum Pisone Liciniano, quem successorem sibi legerat, ad lacum Curtium trucidatus est, inter verba *agerent ac ferirent, si ita e Rep. videretur*, ann. C. 69. ætat. 73. mens. 8. Suetonius, Plutarchus, & Aur. Victor *Galba*, Tacitus *Hist. lib. 1.* Eusebius, Eutropius, Orosius, alii.

Additamenta HENR. CHR. HENNIN I.

GALBÆ vitam; præter Suetonium, diligentissime scripsit Plutarchus, ea tantum pertractans, quæ ipsi ad Imperium adspiranti, eo-que potito deinceps evenerunt. puer adoptatus a Noverca *Livia Ocellina* assumsit nomen *L. Livii Ocellæ*; Sueton. *Galb. 4.* Puero non solum Augustus, sed & jam Consuli Tiberius, ex Genethliologiæ disciplina, cui addictissimus erat, cum olim Galbam venientem conspiceretur, imperium prædixit, ad Amicos primæ admissionis affirmans de Galba: *En virum, futurum aliquando Romanorum Principem!* Joseph. *Antiq. xviii. 8.* Sed Tacit. *Ann. vi. 20.* accito & diversis sermonibus pertentato, Græcis verbis hoc præfagium dixisse iisdem Augusti verbis: *Et Tu Galba quandoque degustabis imperium*, refert, feram & brevem potentiam significantibus. Dio autem *l. lvii. p. 616.* ait Tiberium, ut indagabat fatum quorumcunque virorum præstantium, hoc Galbæ, qui tum forte uxorem duxerat, obvio facto dixisse. Uxor illa fuit *Lepida*, forte *Emilii* illius *Lepidi*, cujus nobilitatem, traditis *Emilia Musæ* locupletis intestatæ bonis, quod e domo *Emilii* videretur, adjutam narrat Tacit. *Ann. 11. 48.* Filia tempora certe non abludunt. Ea amissa, duobusque ex ea filiis, permansit in cælibatu; licet & hac viva, & viduus deinde omnibus modis sollicitaretur conditione *Agrippina*, viduatæ morte *Domitii*, cui *Neronem* postea Imperatorem pepererat. Suet. *Galb. 5.* *Lucii* prænomen usque ad tempus imperii usurpavit; Suet. *l. l. 4.* cum *Servii* prænomen revocavit; quod adeo usitatum *Sulpicia* Genti fuit, ut prope pro Gentili usurparetur. hinc tot *Servii* in

Sulpiciis: hinc Plutarchus, *Galb. 4.* cui *Sulpicia* gens ignota esse in hoc Imp. non potuit, ait Galbam magni nominis fuisse ob nobilitatem, ac τὸν Σουλπίων οἶκον, *Serviorum domum*. Hinc Otho apud Tac. *Hist. 11. 50.* ait, „post *Julios, Claudios, Servios*, se primum in familiam novam „imperium intulisse unde imperite *Sergius*, quod non est prænomen, ex vitiosis mss. aut Græculo aliquo nummo dicitur, quod jam olim aliqua ex parte ad Plutarch. *l. l.* annotavit Guil. Xylander. Gravissimo & prudentissimo judicio Tacit. *Hist. 1. 49.* vitam, mores, vitia, virtutes Galbæ breviter depingit his verbis: „Hunc exitum habuit *Ser. Galba*, *LXXIII.* annis quinque Principes (Augustum, Tiberium, Caligulam, Claudium, Neronem:) prospera fortuna emensis, & alieno imperio felicior, quam suo. Vetus in familia nobilitas, magnæ opes. „Ipsi medium ingenium, magis extra vitia, „quam cum virtutibus. Famæ nec incuriosus, „nec venditor. Pecuniæ alienæ non appetens, „sux parcus, publicæ avarus. Amicorum Libertorumque, ubi in bonos incidisset, sine reprehensione patiens: si mali forent, usque ad „culpam ignarus. Sed claritas natalium & metus „temporum obtentui, ut, quod segnitia erat, „sapientia vocaretur. Dum vigeat ætas, militari laude apud Germanias floruit: Proconsul „Africam moderate: jam senior citeriorem Hispaniam pari industria continuit, major privato „visus, dum privatus fuit, & omnium consensu capax Imperii, nisi imperasset. Occisus est *Galba* cum Pisone, quem Successorem adoptaverat, A. U. C. 821. die 18. kal. Febr.

M. SALVIUS OTHO (a).




LOTICHIUS.

Dimidium regnans OTHO vix compleverat annum,
 Tam cito Cæsareum cessat in orbe decus.
 Cum suscepta malo cecidissent prælia casu,
 Sponte sibi sævas intulit ipse manus.

HOFMANNUS.

*Gyrus adhuc brevior (b) verum tibi contigit Ottho,
 Vix tibi nam, princeps, vita trimestris (c) erat.
 Heu! vanas hominum spes, heu! longissima vota,
 Conclusa intereunt mensibus ecce tribus.*

ENARRATIO.



Atus L. Othone, Procos. Africæ, Claudioque Principi amplissimis verbis, *Vir quo meliores liberos habere ne optem quidem*, collaudato, Sueton. Othone cap. 1. & Albia Terentia splendida fœmina, ipse Neroni criminoſe olim familiaris, excepit Galbam, ann. C. 69. a duobus manipularibus, jam ante Galbæ cædem translato ad se Imperio. (b) Re-

C

rum

rum potitus præ se tulit egregium Principem, Tigellinumque Neroni omnis nequitiae magistrum neci dedit. Sed parricidium poena mox sequente, primo a manibus Galbæ lecto deturbatur; hinc hostem accipit Vitellium Belgii Præsidem, cujus duces licet non semel vicisset, tandem tamen ad Bedriacum cruentissimo prælio superatus, scelerumque conscientia adactus, mori constituit. (c) Itaque militibus quamvis charissimus, ac proin operam suam porro certatim offerentibus, seipsum interemit, speciosa ratione, ut *Remp. turbis eximeret*, ann. C. 69. ætat. 38. Imperii mense 3. Suetonius, Plutarchus, Xiphilinus, & Aur. Victor *Othone*, Tacitus *Hist. lib. 2. cap. 49.* Eutropius *lib. 7.* Eusebius, alii.

Additamenta HENR. CHR. HENNIN I.

OTHONIS quoque vitam cum fine imperii Galbæ connexam accurate persecutus est Plutarchus, multum Tacito usus in trimestri ejus imperio enarrando. Etiam huic Vates & Chaldæi, qui assidui circa illum erant, imperium prædixerunt. Seleucus Mathematicus olim *superstitem Neroni fore* sponsoerat, & inter Galbæ conatus ultro inopinatus adveniens ad Othonem, *imperaturum brevi* repromisit. Suet. *Oth. 4.* sed & Ptolemæus Poppææ antea Mathematicus, Othoni in Hispania comes, sæpe eadem ipsi affirmaverat, teste Plutarcho *Galb. 30.* at Tacitus gravi judicio ait, quod is Ptolemæus „ conjectura, jam & rumore, senium „ Galbæ & juventam Othonis computans, persuasit, fore, ut in Imperium adscisceretur, quæ „ Otho, tanquam peritia & monitu fatorum prædicta, acceperit. “ Adoptionis spe decidens, & instigatus magnitudine æris alieni, seditionem & Galbæ cædem molitus est, expresso ante paucos dies servo Cæsaris pro impetrata dispensatione decies HS. sive 25000. ducatonis, quo subsidio primum per Onomastum libertum sollicitavit Barbium Proculum, tesserarium speculatorum, & Veturium, optionem eorundem; hi duo Manipulares tres alios speculatores perduxerunt; tum hi quinque singuli binos alios, adeoque decem, comparaverunt, quibus omnibus, qui tantum numero quindecim fuerunt, dena HS. sive 250. ducatonis representati, & quinquagena, sive 1250. ducatonis promissi. Per hos sollicitati reliqui, ut fuerint omnino triginta, haud dubia fiducia, in ipso negotio plures affuturos, uti revera dominandi audacem spem ingresso Othoni, crescente militum, Galbæ parcam tenacitatem detestantium, mobilitate, mox plures & plures adfuerunt ministri. ita colligimus ex Sueton. *Oth. 5.* Tacit. *Hist. 1. 25.* Zonar. *Annal. 11. p. 190.* Verum hoc parricidium in Galbæ sene perpetratum ultor Deus mox punivit; sub idem namque tempus Germaniciani exercitus in *Vitellii* verba juraverant, & Otho imprudenti temeritate, cum fame & angustiis locorum hostem urgere ac trahere bellum debuisse, quamprimum cum Vitellianis decertavit, tribus mediocribus præliis, I. apud *Alpes Maritimas*, II. circa *Placentiam*, III. ad *Templum Castorum*, quod abest duodecim millia passuum Cremona, victor; etiam nummis argenteis jactata victoria; IV. vero, eoque maximo, frau-

de superatus apud *Bedriacum*, vicum inter Cremonam & Veronam, binis cladibus Romanis notum infaustumque, unde forsitan hodie *Bina* dicitur; ubi ante commissam aciem in omnium conspectu conflixerunt tres aquilæ. V. Suet. *Vesp. 5.* Hic seu pudore, ut luculenta ad Milites oratione præ se tulit, seu desperatione, (Tac. *H. 11. 76.*) licet residuis integrisque etiam nunc ad secundos casus copiis, supervenientibus etiam aliis e Dalmatia, Pannonia, Mœsia; nec victis adeo afflictis, quin vel solæ in ultionem ignominiae quidvis discriminis ultro subirent pro Othone, se tamen ipse pugionis (quem Vitellius postea Coloniam Agrippinam misit, Marti dedicandum, Suet. *Vit. 10.*) ictu infra lævam papillam trajecit, & Manibus interemti Galbæ poenas luit, *Brixelli*, hodie *Bressello*, oppido Italiae ad Padum, A. D. 12. kal. Maj. A. U. C. 821. Sueton. *Oth. 9. 11.* Plut. *Oth. 7--23.* Tac. *H. 11. 12--39.* & Ryckius *ad c. 23.* Dio *l. LXIV. p. 733.* Tacitus *l. 1. c. 50.* Eum ita, velut in tabella, depingit: „ Hunc vitæ finem Otho habuit xxxvi. ætatis annos, no. origo illi e municipio Ferentino. Pater Consul, Avus Prætorius. maternum genus (*Albia* „ *Terentia*, splendidissimæ, sive Equestris ordinis, „ *Femina*, Suet. *O. 1.*) impar, nec tamen indecorum. pueritia (prodiga & procax, Suet. *O. 2.*) & „ juvena (luxuriosa, mollis, inter flagrantissimas „ libidines, sæva, audax, Tac. *H. 11. 31.* Adde Juvenal. *11. 99—109.* ibique a nobis notata: „ qualem memoravimus. duobus facinoribus, altero „ flagitiosissimo; (*parricidio Galbæ*;) altero egregio, (sensu Taciti, dum vitam patriæ impendit, & sua ipsius cæde bellum civile redimit; Plut. *O. 20.*) „ tantundem apud Posteris meruit bonæ „ famæ, quantum malæ. Hinc Aufon. *in Cæss.*

*Finetamen laudandus erit, qui morte decora,
Hoc solum fecit nobile, quod periit.*

Addit deinde Tacitus vulgatum traditumque ab incolis Regii Lepidi miraculum, cui fidem demere non ausit, de visa ave inusitata specie, sed mox cum Othonis exitu ex oculis ablata. Cæterum ob trimestre tantum imperium Othonis, nummi ejus ærei in municipiis, coloniis, urbibus jure Latio donatis percussi, sunt longe rarissimi: & si qui sunt, vel in Syria Antiochiæ, vel in Ægypto, vel Carthagine Africa, erunt percussi, quæ nomine Ejus tenebantur, Tac. *H. 1. 76.* adde Joh. Foy-vaillant *in Numism. & Cr. Fo. 1. p. 129.*

A V L V S V I T E L L I V S (a).



L O T I C H I U S.

Tu quoque vix modicos menses regnare, VITELLI;
 Exitio poteras appropere tuo.
 Nam dum præ nimia sine fine tyrannide sævis,
 In Tibri mutis piscibus esca natus.

H O F M A N N U S.

*Aule, gula (b) devotus eras, sed Mars (c) tibi sceptrum
 Mobilis & fasces Imperiumque dedit.
 Ast tam celsus apex, tanto tibi sanguine (d) constans,
 Mox patrium in Tiberim (e) precipitatus iit (f).*

E N A R R A T I O.



ilius (a) Lucii Vitellii Censoris & ter Consulis, ex Sextilia probatissima nec ignobili fœmina, qui ambo genitorem ejus sic exhorruerunt, ut pater magnopere semper contemderit, ne qua ei provincia vivo se committeretur: & mater missum ad legiones & appellatum Imperatorem pro afflicto statim lamentata sit, Suetonius in eo cap. 3. (b) Præcipue sævitæ luxuriæ deditus epulas trifariam semper, interdum quadrifariam, dispertiebat, cap.

13. imo in luxum adeo profusus, ut diceretur, *si diutius vixisset, luxuriæ sumptibus & pretio mensarum Imperii Rom. opes abliguriturum fuisse*: cujus proin ut monumentum extaret, *patinam dedicavit, quam, ob immensam magnitudinem, Clypeum Minervæ dictitabat*, ibid. (c) Quod nihil cuiquam poscenti negaret, a militibus Imperator salutatus, ann. C. 69. Othonem, ut diximus, ad Bebriacum vicit, (d) cæforumque cadavera læto vultu spectans, *Optime olere occisum hostem, melius civem*, dictiavit. Comititia dein in 10. annos ordinavit, seque *Consulem perpetuum* fecit. (e) At, audito Vespasianum in Judæa contra se Imperatorem creatum, dum contumeliam ulturus, Fl. Sabinum fratrem ejus in Capitolio obsidet, ipsumque Capitolium exurit, ducibus ejus victis urbeque capta, ipse revinctis post tergum manibus, inter verbera ad Gemonias raptatus, trucidatus, & unco in Tiberim tractus est, ann. C. præfato, ætat. 57. Imp. mense 8. Suetonius, Victor, alique *in Vitellio*, Tacitus *Histor. lib. 3.* Orosius, Eutropius, &c. (f) Sub eo, Cæcina Helvetios cecidit, eorumque Remp. subvertit, Tacitus *Histor. lib. 1. cap. 67. & seqq.* In Judæa, duces seditiosorum Johannes, Simon, & Eleasar Hierosolymis inter se configunt, Titusque contra illos mittitur, Josephus *de Bello Jud. lib. 6. cap. 1.*

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

Cum evulgatum erat Imperii arcanum, posse Principem alibi, quam Romæ fieri, Tac. *H. 1. 4.* imo Eum ab exercitu posse fieri, ib. 11. 76. fluctuavit incertum & vagum imperium, sub specie Stratocratæ, annuo spatio per tres Principes, qui instar Tragicorum Regum cito personam deposuerunt, id quod ex monstro tricipite Syracusis nato prædixerat Apollonius, Philost. *vit. Apoll. v. 4.* lubet adscribere egregia Plutarchi verba *Galb. c. 2.* „Romanorum Imperium iisdem affectum est malis atque motibus, quibus „Titanas ferunt; simul & in multas divulsum partes, & in sese passim mutuum incidens; neque „id tantum ambitione designatorum Imperatorum, quantum avaritia & libidine militum, „Imperatorem Imperatore, veluti clavum clavo, „expellentium. Dionysius Pheræum illum, qui „tyrannide per decem tantum menses in Thessalos „obtentus interfectus fuit, *Tragicum* vocabat *Tyrannum*, subitæ mutationi illudens: At vero „Palatium, Cæsarum domus, breviori temporis „spatio, quatuor Imperatores exceperit, militibus „tanquam in scena modo introducuntibus aliquem, modo educuntibus..... Nymphidius Sabinus primus docuerat mutatione Cæsaris „magnum præmium quærere; & pulcerrimum „facinus, defectionem scilicet a Nerone, mercede promissa in prodicionem verterat. Hæc Plutarchus. Sic Nymphidius Sabinus, Prætorio Præfectus; sic Julius Vindex in Galliis; Clodius Macer in Africa, Fonteius Capito in Germania Imperium agitarunt ambitione militari, licet vana

molitione. Suet. *Galb. II.* Xiphil. *l. LXIV. p. 729.* Tac. *H. 1. 7. & 36.* Sic Galba a Legione v 1, Imperator consalutatur Carthagine nova, hodie *Cartagena*, in Hispania Tarraconensi conventus agens: Tac. *H. v. 16.* Suet. *Galb. 9. & 10.* Sic Otho per corruptos speculatores cæterosque milites, ad Galbæ cædem & Imperium, Romæ grassatus est, ut ante diximus: Sic & Vitellius Colonia Agrippinæ in Germania Inferiore, capta largitionibus, indulgentia, promissis, adulatione, Exercituum utriusque Germaniæ gratia, Imperator est consalutatus ab iisdem: Suet. *Vit. 8.* Tac. *H. 1. 57.* Vitia Vitellii passim Auctores idonei taxant; segne ingenium; torporem; inexplēbiles prodigiis epulis, sumtu ganeaque libidines; mobilitatem inconstantissimam ingenii; inscitiam; humilem in adversis animum; in secundis sævum. Nonnulla tamen laude digna hujus Principis refert Tac. *H. 11. 60. & 62. 111. 85.* Perit A. D. 9. kal. Jan. A. U. C. 821. Quia vero Galbæ, Othonis, Vitellii, tempora, initia, exitus valde solent confundi, notanda est epicrisis Xiphilini *l. LXVI. p. 753.* „A morte Neronis „usque ad Principatum *Vespasiani* annus unus intercedit, diesque viginti duo: quod ideo scripsi, „ne errore ducerentur ii, qui numerum temporis „ad eos, qui Principatum obtinuerunt, referrent. Non enim sibi succedere invicem, sed „vivo adhuc & regnante altero, quisque eorum „Imperatorem se tum esse credidit, cum primum Imperium quodammodo accepit.

FLAVIVS (a) VESPASIANVS (b).



L O T I C H I U S.

Mente teres , nulli probitate , vel arte secundus ,
 Prospicis Imperio , VESPASIANE , tuo.
 Te velut amissum deflevit patria patrem ,
 Morte diarrhoea cum morerere gravi.

H O F M A N N U S.

*Vespasiane tibi Solyma (c) populusque rebellis ,
 Et peperere ingens balsama (d) victa decus (e).
 Sed minuit nummi (f) grata ex re qualibet aura :
 • Auget , stantem (g) , iterum te voluisse mori (h).*

E N A R R A T I O.

Flavio (a) gens , obscura quidem ac sine ullis majorum imaginibus , sed tamen Reip. nequaquam pœnitenda , Sueton. in eo cap. 1. (b) Fil. Titi Flavii , Petronii publicani prius in Asia , dein in Helvetia fœneratoris , ex Vespasia Polla , per militarem industriam ad Imperium emerlit , ann. C. 70. quo potitus , mox urbem , ruderibus Capitolii primus manus admovendo purgandis , restauravit. Ærarii que curam habuit , eod. (c) Expugnata & solo æquata a filio ejus Tito Hierosolyma , Templum , licet victore inhibente , casu incensum , post 1100. mill. Judæorum in ob-
 C 3 fidione

fidione deleta, 97. mill. in captivitatem abducta: & vasa sacra, *mensa aurea, candelabrum, ac lex Judaeorum* in triumpho circumgestata, & in Palatio primum, dein in Templo Pacis (quod 5. annorum spatio magnificentissime extruxit, ex suggestione Iosephi se eum esse ratus, de quo Esajas loquitur *cap. 9. v. 6.*) collocata sunt, ann. 71. (d) Judæa balsami ferax. (e) Seditionem dein a Claudio Civile in Batavia excitatam compescuit: Achajam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum, Thraciam, Cili-
ciam, & Comagenam in formam provinciarum redegit, ann. 74. Hispanis contra jus Latii dedit, circa ann. 75. (f) Princeps sane post Augustum optimus, nisi quod tributo ex urina quoque exacto, *lucri bonum odorem ex re qualibet* judicasset. (g) Tandem alvo ad defectionem soluta, conflurgens Imperatorem, ait, *stantem mori oportere*: obiitque ann. C. 80. ætat. 69. Imperii 10. Suetonius, Xiphilinus, & Aur. Victor *Vespasiano*, Tac. *Annal. lib. 3. cap. 55.* & *Histor. lib. 5. cap. 10.* Pausan. *lib. 7.* Plin. *lib. 3. cap. 3.* Eutropius, Eusebius, Orosius, alii. (h) Eo imperante, Alani, Caspiis effusi portis, Mediam Armeniamque vastarunt, ann. 72. Iosephus *de Bello Jud. lib. 7. cap. 27.* Judaica Ecclesia ob spretum Messiam horribili casu concidit, una cum augustissimo Templo, ut diximus. *Namque Ecclesia Dei jam per totum orbem uberrime germinante, hoc tanquam effectum ac vacuum arbitrio Dei auferendum fuit*, Euseb. *Histor. lib. 3. cap. 4.* prius tamen e Judaica hac flamma, cœtu fidelium, divino monitu, Pellam trans Jordanem evocato. Vid. Iosephum ubi supra *lib. 7. cap. 24. & seqq.* Ephesi Johannes Apost. Smyrnæ Polycarpus, Romæ Linus & Cletus, Evangelium strenue promovent, Irenæus *lib. 3. cap. 3.* Eusebius, Polydorus *lib. 5. cap. 3.* alii: quod frustra Ebionitæ hæretici, *Judaismum Christianismo miscentes*, turbatum eunt, ann. 70. Idem Irenæus *lib. 1. cap. 26.*

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

VESPASIANUS, cui & puero, & juveni, & seniori ostenta, somnia, oracula, fata, Vatum, Iosephi (qui ab hoc Imp. e captivo liber factus *Flavii* nomen postea, pro more Romano, addidit suo:) & Haruspicum responsa præsaga Imperium portenderunt, Princeps mitis, affabilis, Artium fautor, Doctorum & mediocritatis amans, civilis, clemens, liberalis, acer militiæ, solus omnium ante se Principum in melius mutatus, Imp. per Exercitus Orientis renunciatus est Alexandriæ kalend. Jul. A. CHR. 69. (a quo initio Principatus Ejus celebratur,) in Judæa 5. Non. Jul. Antiochiæ in Syria circa & ante Id. Jul. ejusdem anni. ante Tribunatu militum in Thracia meruit: Quæstor Cretam & Cyrenas provinciam sorte accepit: a Claudio deinde Legatus ad Legiones in Germania missus, inde in Britanniam profectus, tricies & bis cum hoste conflixit, duasque validas gentes, xx. oppida & insulam *Vesim*, Britannia proxima Imperio adjecit. hinc triumphalia ornamenta, duplex sacerdotium & consulatum redux accepit. dein adversus Judæos rebellantes missus, per Titum F. ipse jam Imperator cepit Hierosolimam, quæ obsideri coepta est in Paschate, Templum ejus incensum 4. Id. Aug. Urbs capta & incensa 6. Id. Sept. adeoque Politia Judaica deleta, & tota Gens dispersa A. C. 70. quo verus finis hebdomadam Danielis a multis statuitur. Hinc anno sequente cum Filio triumphavit: Janum sexto ab U. C. clausit: Urbem incendiis & ruinis deformem instauravit: Capitolium restituere, Amphitheatrum Urbe media & Templum Pacis Foro proximum cepit eodem anno ex-

struere; quod posterius, ut & Capitolium, demum perfectum & dedicatum est A. C. 75. Templum vero Judæorum Heliopoli in Ægypto diruit A. C. 72. Censum Romæ agit A. C. 74. circa quod tempus etiam Seta *Macedonianum*, de ære alieno filiorum familias; & *Pegasianum*, de quarta fideicommissi retinenda, facta creduntur. Hinc Senatorium & Equestrem Ordinem suæ dignitati restituit: judicia ordinavit: militarem disciplinam instauravit: limites Imperii provinciis aucti circumscripsit. Pri-
mus e Fisco Latinis Græcisque Rhetoribus annua centena, five aureos 2500. annuos constituit. summa ærarii fiscique inopia, ut Resp. staret, compulsus est, ut lucri odorem ex qualibet re bonum arbitraretur, quod tamen omne in usus publicos optimo usu convertit. A. C. 76. sub eo cepit Bellum Britannicum geri per Julium Agricolam, Taciti Socerum, Britannia Consularem Præpositum. Sub initia vero Imperii A. C. 69. Claudius Civilis, Belga Batavus, Germaniam & Galliam turbavit fretus suis Batavis, Frisiis & Caninefatibus. Hæc excerptimus ex Sueton. *Vesp.* Tacito, maxime in *Hist.* Orosio vii. 9. Iosepho *de B. Jud.* Eutropio vii. 87. Dion. Xiphilin. *libb. LXV. LXVI. LXVII.* Hegesippo, *de Exsc. Hiems.* Tu adde etiam, maxime ob res Judaicas hujus ævi, Euseb. *H. E. l. 111.* Zonar. *Ann. l. 11.* Cæsar. Baron. *in Appar. ad A. E. n. 24.* & *ad A. C. 72. 73.* Welsch. *Reh. Aug. Vind. lib. vi. p. 125.* Scalig. *ad Euseb. n. 2086. 2089.* Ubbon. *Emm. Reh. Chronol. l. v. p. 132-134.* Boxhorn. *H. Univ. p. 128-148.* Christ. Cellarii *Hist. Antiq. p. m. 113-118.*

TITVS VESPASIANVS (a).



L O T I C H I U S.

Indomitos validis Judæos contudit armis
 Æmula defuncti patris imago Titus.
 Sed postquam Solymam vastasset funditus urbem,
 Ante diem rapida febre sublatus obit.

H O F M A N N U S.

*Prima atate Nero (b), quantum mutatus ab illo es,
 Post clemens (c), largus (d), nec pietatis (e) egens:
 Orbis delitium (f), cujus discedere tristem
 Non ullum vultus (g) fronsque benigna tulit (h).*

E N A R R A T I O.

Filius (a) Vespasiani, ex Flavia Domitilla, patri successit, ann. C. 80. particeps jam ante Imperii & patris in septem Consulatus collega. (b) Adolescens in sævitiam, luxuriam libidinemque adeo pronus erat, ut propterea Nero palam appellaretur. (c) Imperator factus ita mutatus est, ut patrem clementia, erga conjuratos inprimis, quos monuisse, *Potestates fato dari*, sat habuit, exercita: (d) liberalitate item ac pecuniæ contentu

temtu longe anteiret : cujus specimen , incendia Vesuvii & urbis restituta , anno eod. (e) Quum , ob victoriam Judaicam , finitimæ gentes , promovere , eum coronare vellent , pie respondit , *Non se esse tantorum operum auctorem , sed Deum Judæis iratum* , Euseb. *Hist. Eccles. lib. 3. cap. 6.* (f) Quod nemini quidquam , quod concedi fas esset , abnueret , *Amor & delicia generis humani* dictus est , quibus verbis vitam ejus Suetonius orditur. (g) *A facie principis neminem tristem recedere debere* , crebro dictitabat. (h) Biennio exacto , non sine suspitione veneni a Domitiano dati , febre correptus , inter querelas , *eripi sibi vitam immerenti , neque enim exstare ullum factum suum pœnitendum , præter unum : nullius sanguinem , in Rep. administranda , fuisse* , Orosius *lib. 7. cap. 6.* Obiit ann. C. 81. ætat. 41. Imp. 2. Suetonius , cœterique qui vitas Impp. scripsere , in eo , Eusebius *Chron. num. 2095. & seqq.* Eutropius *lib. 7.* Tacitus *Histor. lib. 1.* alii. Ejus tempore , Jul. Agricola in Britannia res præclaras gessit , Tac. *vita ejus* : in Italia , incendio Vesuvii præfato , non urbes solum duæ Herculeanum & Pompejanum , sed & Plinius *Historiæ Natur. Scriptor* interiit , ann. 80. Plinius Jun. *Epist.* At Ecclesia pacem habuit , nisi quod ab Ebione , Cerintho , Menandro , & Nazaræis turbata est , Irenæus *lib. 1. cap. 21.* Theodoretus *de Hæret. fab. lib. 2. &c.*

Additamenta HENR. CHR. HENNIN I.

TITVS obiter adito Veneris Paphiæ oraculo , dum de navigatione consulit , etiam de Imperii spe confirmatus est. factum hoc sub Galba adhuc imperante. Suet. *Tit. c. 5.* Tacit. *Hist. 11. 4.* adeo verum , ex ipsius Titi professione , Principatum fato dari. Suet. *l. l. c. 9.* Quod cognominatus fuerit vulgo : *Amor ac Delicia generis humani* , tradunt Eutrop. *vii. 14.* Drepanius in *Panegyrr.* Victor in *Tito.* Suid. in *Tito* , ex Johanne Antioch. in *Exc. Peinesc. p. 817.* at Bernegg. in *Tit. c. 1.* negat hoc elogium Tito publice & a S. P. Q. R. tributum : Eutropium & sequiores hausta e Suetonio verba *c. 1.* in aliam mentem traxisse. vera hæc sunt. quare dicimus cum Rupert. in *Besold. Synops. p. 298.* fuisse ista verba privatum Suetonii de Tito judicium. addo , & omnium bonorum civium , ac Historicorum. Sic Aufon. in *Cass.* dicitur : *Orbis Amor.* Augustino de *C. D. v. 21.* *Suavissimus Imperator.* tanto melius , quod sine pompa & ostentatione veram laudem optimo Principi dederit vox publica , non adulatio S. P. Q. R. Modestum ejus de victoria Judaica judicium narrant & Philostr. *vit. Apoll. l. vi. p. 305.* ex Eusebio Suid. *l. l.* Cæforum eo bello Judæorum calculos ponit accurate Lips. de *Const. 11. 21.* Stupendum illud Vesevi montis incendium contigit 2. Novembr. A. U. C. 832. CHR. 79. de quo Xiphil. *lxvi. p. 755. 756.* Zonar. *Annal. II. p. 196.* Victor. *Epit. in Tito* , Plin. *Epist. vi. 16. & 20.* Tertull. *Apolog. c. 48.* Oros. *vii. 9.* Euseb. in *Chron.* Sed & sub eo Roma triduum arsit , consumpto inter alia Jovis

Capitolini templo ; sæviit pestilentia , quæ quotidie 10000. homines , per multos dies absumsit , quibus malis Titus Patriæ patrem se præstitit. *ll.* Sub eodem Imp. primum certo exploratum est , per Legatum Cn. Julium Agricolam , Britanniam esse insulam ; inventæ Orcades , aperta Thyle. Tac. *Agric. c. 10.* Boxhorn. *Hist. Univ. ad an. 80.* ait inventos fuisse Titi nummos in Dacia , cum magnifico elogio : *LOCVPLETATORI ORBIS TERRARVM.* Cæsareensium in Palæstina , quos Pater Titi colonos fecerat , remisso capitis tributo , ipse insuper immune solum pronunciavit. *l. 8. II. de Censib.* Obiit idib. Septembr. A. U. C. 834. CHR. 81. æt. 42. ex febris , Suet. *Tit. 10.* balnei intempestivo usu , Plut. *de tuend. val. p. 123.* imo vero præbito per fratrem Domitianum leporis marini veneno. Philostr. *vit. Apoll. vi. 14.* Tzet. *Chil. vi. 43.* Euagr. *H. E. 111. 41.* at Cedren. *p. 179.* ait , ex itinere per æstivi Solis ardores correptum narium hæmorrhagiâ Titum & animi deliquio , sic spirantem , per causam faciendæ medicinæ , in arcam ligneam nivis plenam conjectum , ibique a Fratre extinctum. Judæi & veteres & recentiores , odio excisæ ab eo Urbis Sanctæ , & exusti templi , ex laudatissimo Principe faciunt *Idumeum , impium , filium impii , nepotem Esavi.* Buxtorf. *Lex. Thalmud. Rabb p. 31. voce : Edom.* & deinde muscam in Ejus cerebrum ingressam , unde contabuerit ac perierit. Vide Scalig. *ad Euseb. num. 295. & 2152.* at hæc sunt nugæ Rabbiorum.

FLAVIUS DOMITIANVS (a).



LOTICHIUS.

Imperii summis fratri succedit habenis
 Christicolis magnum, DOMITIANE, malum.
 Ast tandem fociis justo jugularis ab armis,
 Exitium in promptu nempe Tyrannus habet.

HOFMANNUS.

*Diffimilis patri & fratri (b), tua, CHRISTE, cruentus
 Agmina (c) venatus, more Neronis, erat.
 Muscarum captator (d), at athere dignus haberi,
 Et dominus (e) voluit dicier atque Deus (f).*

ENARRATIO.

Idem (a) parentibus cum Tito natus, fratri successit, ann. C. 81. (b) Initio satis laudatus, mares castrari vetuit, jus diligenter dixit, libellos famosos abolevit, delatores hactenus ab Imperatoribus magni habitos castigavit, incestus Vestalium defossione punivit, a cæde alias alienissimus; in exstruendis etiam Templis locisque publicis supra omnes fere Principes magnificus; postea, exuta omni honestate, evasit sævus, rapax, luxuriosus.

D

sus. (c) Vid. paulo post. (d) Quotidie horam sibi loco secreto sumebat, quasi arduis meditationibus vacaret, quum nil ageret, sed muscas capteret styloque configeret. Nasamones tamen delevit, ann. 87. domuitque Britannos per Agricolam, sed hujus gloriæ invidens veneno eum perdidit, ann. 93. quo & vineta in Gallia alibique excindi iussit. At pacem a Gothis & Decebalo pecunia redimere coactus, a Quadis etiam, Marcomannis, & Cattis clades accepit, ann. 85. 88. 91. 94. (e) *Dominus ac Deus* dici & haberi voluit: sed miser, fulminum metu, olearum frondibus perpetuo cinctus incessit. (f) Mortem vero, ab Ascleterio Astrologo sibi prædictam & dilaniato ejus corpore a canibus confirmatam, evitare non potuit, illa ipsa die, quam ei denuntiaverat, occisus a Parthenio & Stephano cubiculariis, ann. C. 96. ætat. 45. Imp. 15. Suetonius, Xiphilinus, Eutropius, Aur. Victor *Domitiano*, Tacitus *Agricola* cap. 45. Philostr. *lib. 7. cap. 3. & seqq.* Eusebius, Orosius, alii. Sub eo, Ecclesia Dei Persecutionem II. passa est, in qua Johannes Evang. & Apostolus, ex Asia Romam tractus, *in oleo ferventi* illæsus mansit, atque inde, in insulam Pathmon relegatus, divinam ibi Apocalypsin vidit, ann. C. 95. Romæ, Lino & Cleto cæsis. Clemens I. in insulam Pandatariam deportatus est, circa idem tempus. Alexandriæ vero Marcum Evangeligraphum, cum primus Ægyptiis salutarem doctrinæ cœlestis facem intulisset, decessisse anno C. 85. successore Aniano, tradit Eusebius *Histor. Eccles. lib. 3. cap. 12. & 16.* Vid. quoque eum *cap. 17.* Neque vero in Philosophos Domitianus benignior, quos, atque in iis, Epictetum, urbe & Italia ejecisse Cluverus refert, ex Aul. Gellio *Noct. Atticar. lib. 15. cap. 11.*

Additamenta HENR. CHR. HENNIN.

Bellum Britannicum hoc Imp. confectum per Agricolam A. U. C. 837. CHR. 84. quo etiam anno de Cattis Dacisque mendaces & ridiculos egit triumphos, ipse magnis cladibus affectus. vide Tacit. *Agric. c. 39.* Xiphilin. *lxvii. p. 762.* Scalig. *ad Euseb. num. 2107.* Lips. *ad Plin. Paneg. c. 12.* Deum appellari se Domitianus iussit A. CHR. 85. imperii 5. sequenti anno primus *agon Capitolinus*, institutus a Domitiano, Suet. *Dom. c. 4.* celebratus, quarto quoque anno aliquandiu repetitus. biennio post Ludos Sæculares perperam celebravit *l. 9.* aureas & argenteas sibi statuas in Capitolio poni iussit A. CHR. 92. imperii 12. Suet. *l. l. c. 13.* Imperii anno 14. CHR. 94. cœpit secunda Christianorum persecutio, (quia illum Deum agnoscere forte noluerunt:) qua Flavia Domitilla, (cui Flavius Clemens, patruelis Domitiani, & ipse Christianus, hujus Flaviæ forsan opera, factus, fuit avunculus,) relegata fuit in insulam Pontiam. Euseb. *Chron. p. 2112.* H. E. *111. 14.* at Xiphil. *lxvii,*

p. 766. occisos ambos ait. Nota etiam hæc Orofii de Domitiano verba: *vii. 10.* „Inter Judæos „quoque acerbitate tormentorum & cruentissimæ „quæstionis exquiri genus David, atque interfici „præceptum est, dum Prophetis sanctis & invi- „detur & creditur, quasi adhuc futurus esset ex „semine David, qui regnum posset adipisci. Hæc Ille: Quod Eusebius alique ad Vespasianum referunt, forsan melius, si legamus Joseph. *in vit. sub fin.* ex quo constat Eum Judæis non adeo fuisse inimicum. Adde porro de hoc Imp. Philostr. *Vit. Apoll. vi. 17.* *vii. 3.* Tacit. *passim*, Martial. *passim*; Plin. *Ep. 1. 5.* *vii. 19.* Joh. Antioch. *in Exc. Peir. p. 819.* Scalig. *ad Euseb. n. 2105. 2112.* Baron. *Annal. ad an. 98.* Alex. Donat. *de Urb. Roma 1. 26.* De Nasamonibus, duce Flacco, internecione deletis, Zonar. *111. p. 197.* Aristid. *in Smyrnaico*: Eusebium *Græcum lib. prior. p. 66.* *Latinum lib. poster. n. 2102.* Dionys. *Perieg. vers. 208. 209. 210.*

COCCEJVS NERVA (a).
XIII. IMPERATORES EX ROMANIS ET EXTERIS.
ANTE DYARCHIAM.



LOTICHIUS.

Aufoniis animi felix pronatus in oris
Præfuit Imperio non ita NERVA diu.
Febre cadens raptos canis pensavit honores;
Dignus is ingenuo Principe finis erat.

HOFMANNUS.

*Nerva manu trepidante senex (b) insignia sumit (c),
Moxque iterum ponit mortis (d) ad arbitrium:
Trajano (e) hac legans, quem quod propioribus (f) orbis
Antetulit, claro nomine dignus erat (h).*

ENARRATIO.



Rimus (a) hic Imperium advena nactus est, Cretensis quippe Xiphilino, Narniensi tamen oppido genitum Aur. Victore asserente, unde completum est, verba sunt hujus, *urbem Romam externorum virtute crevisse.* (b) Extrema ætate apud Sequanos (c) cepit Imperium, legionum arbitrio, an invitatu viduæ Domitiani, atque a Senatu gratanter exceptus

ceptus est, ann. C. 96. dignus ab Aufonio vocari, *Princeps nomine, menteparens* Statuis Domitiani dejectis, Actisque rescissis, adempta per injuriam bona restituit, reos Christianismi absolvit, exules revocavit, cives Romanos pauperiores sublevavit, pueros puellasque egenis parentibus natos per Italiam publico sumtu ali curavit, in Curia juravit, *neminem Senatorem suo jussu occisum iri*, atque in aliis quoque mitissimum se præbuit. (d) Cum in Regulum Caufidicum ardentius declamaret, febri correptus, decessit ann. C. 98. ætat. 65. Imp. mensibus 16. d. 9. (e) Mire ab Æliano Casperio Præt. Præf. (quem magno redemerat, cum Domitiani interfectores ad necem quærerentur) exagitatus, Trajanum, Germaniæ tum Præsidem, adoptavit, atque ad eum sua manu versum illum Homericum scripsit.

Telis nate tuis lachrymas ulciscere nostras.

(f) Quanquam liberi ei non essent, propinquos tamen habebat, quibus quod antetulisset Trajanum, non solum quo animo in Remp. sed & quantus consilio esset, docuit. (g) Xiphilinus e Dione, Aur. Victor, & Aufonius in eo, Eutropius, Orosius, Eusebius num. 2113. Herodianus, Martialis, alii. Eo Principe, Corn. Tacitus Historicus floret, *Hist. lib. 1. cap. 1.* In Ecclesia, Johannes e Pathmo, a Nerva, exules restituente, vocatus, Ephesum rediit, ibique Deo plenus *Evangelium* suum, *Apocalypsin*, & *Epistolas* edidit, anno 97. cum Cerintho ne quidem eodem balneo lavari sustinens, ann. sequente, Irenæus lib. 3. cap. 3. Eusebius, alii.

Additamenta H E N R. C H R. H E N N I N I.

M. COCCEJUS NERVA, sic enim privatus dicebatur, at Princeps in nummis *Imp. Nerva Caesar Aug.* quandoque & addito his cognomine *Germanicus* scribitur; Is vero male dicitur *advena*. noti *M. Coccejus Nerva* Cos. A. U. C. 718. Imp. Nervæ Proavus, & Avus *M. Coccejus Nerva* Cos. A. U. C. 776. Collega *C. Vibii Rufini*: at quomodo erit *advena*, cujus Majores ultra cl. annos in Fastis Consularibus splendebant Romæ? At dicet, non erat *Roma* natus, sed *Narnia*; aut in *Creta*. quid tum? Claudius Lugduni in Gallia natus est, non tamen ideo Gallus censetur. Suet. ll. 2. Civium Romanorum Filii, etiam extra Italiam nati, censebantur Romani. Vide Casaub. ad *Spartian.* & *Epist.* 267. ad *H. Grot.* ergo ille Claudius foret primus *advena*, contra Victorem; qui in *Epitome* sibi contrarius: „*Hactenus*, ait, *Roma seu per Italiam orti Imperium* „*vexere*: hinc *advena*, & statim subjicit: *Nervam oppido Narniensi genitum*. atqui Narnia erat in Umbria Italiæ. in *Cass.* vero ait *Nervam Cretensem*. aut error est, aut corruptela. Forſan Gens Nervæ, Abavus vel Atavus fuerit Cretenſis: ut placet Valeſ. ad *Ammian. Marc. l. xxix. p. 308. 379.* Sed ita ipsi Julii & plerique Troja, aut aliunde, atque Roma, oriundi, erunt *advena*. Tu vide Rupert. ad

Besold. Synopf. p. 303. 304. & ad Pompon. l. 111. c. ult. sect. 2. magnifice de *Optimi* hujus Principis, ut in quodam nummo *Theſaur. Brandeb. Begeri p. 642. P. 11.* dicitur, initio loquitur Tac. *Agric. c. 3.* quod *primo statim beatissimi sæculi ortu res olim dissociabiles, Principatum ac Libertatem, miscuerit, nec spem modo ac votum Securitas publica, sed ipsius voti fiduciam ac robur assumeret.* Victor in *Cass.* ait, Nervam se *Imperio abdicasse*; quæ verba Plin. in *Paneg.* explicat, de adoptione Trajani loquens: *Inde Nerva quasi deposito Imperio qua securitate, qua gloria latuit? nam quantum refert, deponas, an partiaris Imperium, nisi quod difficilior hoc est.* Vide ibi plura egregia de hoc Imperatore. Idem *Forum Peruvianum* dedicavit, Vict. l. l. Annonam sublevavit, Frumentum plebi constituit, Congiariis Populum beavit, Fiscus Judaici calumniam sustulit, Vehiculationem Italiæ remisit, Justitiam & Æquitatem revocavit: ex *Nummis.* Victor in *Epist.* ait Eum obiisse anno ætatis LXXIII. cui potius credo, quia Nerva ob senium contemtor fuerat; Idem ait, eo die, quo obiit, Solem defecisse; sepultum esse in Augusti Mausoleo; eodem, quo olim Augustus, honore à Senatu delatum.

M. ULPIVS TRAJANVS (a).



LOTICHIUS.

Ortus ab Hesperiae TRAJANUS partibus oræ
 Christicolas duro pressit ubique jugo.
 Utilis imperio licet esset, morbidus hydrops
 Fecit, ut extremum clauderet inde diem.

HOFMANNUS.

Optimus * excepit Nervam Trajanus, in agnos
 Ni Nero scivisset tertius (b), AGNE, tuos.
 Decebalum (c) domuit, sicque ipsa in morte (d) triumphum (e),
 Atque ipsa tumultum nactus in urbe (f) fuit (g).

ENARRATIO.

Ispanus (a) natione, a Nerva, ut diximus, adoptatus, (cum semet Imperio abdicasset, tribus ante obitum mensibus) virtutem cujusque, non patriam aestimandam, censente, apud Coloniam Agrippinam Imperium suscepit, ann. 98. * Id elogii a Senatu tulit, quod comis, liberalis, magnificus, Senatus amans, & populi studiosus, rerum insuper gestarum gloria insignis esset. Initio certe statim, nunquam suo jussu virum bonum occisum iri, aut ignominia notatum, juravit. Et Sabura-

num Præfectum Prætorio, cum ei insigne potestatis pugionem porrigeret, *Accipe*, monuit, *hunc gladium, eoque, si recte imperavero, pro me, si male, contra me utitor.* (b) Vid. paulo post. (c) Dacorum Regem (etsi inscripto fungo dehortaretur) vicit, tanto tamen Romanorum sanguine, ut obligandis vulneribus lintea deficerent, & proprium in eos usus paludamentum Imperator rescindere cogeretur, ann. 102. mox rebellem, Danubio ponte sumtuosissimo strato, reversus, ann. 103. iterum victum ad voluntariam mortem compulit: Daciamque in provinciam redegit, anno 105. ac gentem triumphavit, ann. 106. Cosroem dein Parthorum Regem Armenia depulit, ann. 108. Antiochiæ, ingenti terræ-motu concussa, tantum non periit, ann. 111. Adiabenorum postea gente domita, Assyriam occupavit, ad Indos perrecturus, ann. 112. 113. 115. ni a tergo subacti rebellassent. In Agarenos frustra movit, ann. eod. Neque vero orbem solum nominis sui fama implevit, sed & urbem egregie ornavit, ann. 114. (d) Post Judæos, qui circa Cyrenem & in Insula Cypri armis sumtis multum sanguinis fuderant, per Lusium Quietum & M. Turbonem domitos, cum novam in Mesopotamiam expeditionem moliretur, Selinunte, in Cilicia, adscito prius in Imperium Æl. Adriano consobрино, obiit, ann. C. 117. Imp. 19. mens. 6. cum dimidio: finibus Imperii latissime extensis, præ cæteris clarus. (e) Ei uni ex omnibus & triumphus mortuo, (f) & sepulchrum intra urbem contigit, erecta columna ingenti, servataque deinceps acclamatio Principum: *Sis felicior Augusto, sis melior Trajano.* (g) Interim non desunt, qui vinositatis eum & spurcæ libidinis infamia notarunt. In Christianos vero sævus, III. Persecutionem contra illos movit, quod avitæ superstitionis tenacior evectionem sui ad Imperium Diis acceptum ferret. In ea Clemens I. Episc. Rom. in Pontum relegatus primo, dein marimersus; successor ejus Evaristus, Simeon Episc. Hierosolym. Ignatius Præsul Antiochenus, alii, similiter variis suppliciorum generibus sublati sunt, circa ann. 107. usque ad 110. Donec a Tiberiano Syriæ Præsidi & Plinio Jun: Procons. Bithyniæ de Christianorum innocentia monitus, vim inhibuit, anno eod. Xiphilinus, Aur. Victor, aliique *Traiano*, Plin. *Epist. lib. 10. & Panegyri.* Eutropius, Orosius, Eusebius, Sext. Rufus, alii. Sub initia Imperii, Johannem Evang. & Apost. obiisse, sicque post centesimum annum Apostolos CHRISTI omnes obdormivisse, Eusebius *Histor. Eccles. lib. 3. capp. 31. 32. 33.* adnotat.



ÆLIVS ADRIANVS (a).



LOTICHIUS.

Ubi natus eras , urbemque benignus & orbem
 Laudibus implebas , o HADRIANE , tuis.
 Multa tibi debet probitas , pax , Musa ; sed alvi
 Sanguineus mortem jussit obire fluor.

HOFMANNUS.

*Christicolas quartus (b) toto infectatus in orbe ,
 Cœpit Aristidis (c) mitior esse prece.
 Pacis (d) avens , orbem peragravit (e) , Tactica (f) scripsit ,
 Judeos (g) patria jussit abire (h) sua.*

ENARRATIO.



Onfobrina (a) Trajani genitus , non tam ipso volente , quam
 conjugis ejus Plotinæ artibus , Imperium adeptus est ,
 ann. C. 117. eruditus quidem & laboris inexhausti , sed
 ingenio varius. Sub initium Imperii , *debita Fisci ad 27.*
milliones , syngraphis in foro incensis , populo remisit ,
 ann. sequente , inde magnificum *Soteris* nomen adeptus.
 Remp. ex Jurecoss. consilio administravit , *tanquam populi rem , non pro-*
priam : ac proinde Senatu optimos in contubernium ascivit. Assyriam, Me-
 fopo-

sopotamiam, & Armeniam liberas dimisit, posito Imperii fine Euphrate, ann. 119. (b) Vid. quæ postea dicemus. (c) Philosophus hic eloquentissimus, Apologetico pro Christianis Philosophorum sententiis contexto, ut & altero Quadratus Episc. Atheniensis, Imperatori oblatis, erga Christianos mitiorem reddiderunt, ann. 126. (d) Bellum nullum movit, motumque ab aliis exemplo composuit. (e) Omnes Imperii provincias peragravit providitque, ne vel ab irruptionibus Barbarorum, vel avaritia Præsidum, detrimenti quid caperent, ann. 122. (f) Vid. ubi nos de *Scriptoribus Taciticis*. (g) Post Sarmatas rebelles coercitos, ann. 121. Gallos sublevatos, murum per transversam Britanniam ductum, Germanis Regem datum, Adrianopolim conditam, ann. præf. 122. post Tarraconem restauratam, ann. 123. & Athenas ornatas, ann. 125. Judæos, in locum everse Hierosolymæ Ælia Capitolina condita, additoque Jovis Capitolini templo, irritatos, hincque rebellantes, exorto postea Barcochabo obstinatiores redditos, lento bello fameque præsertim edomuit: cæsis eorum ad 600000. nec incruenta tamen Romanis victoria, adeo ut Senatui scribens Adrianus consuetam formulam, *Ego quidem & exercitus valemus*, omiserit, ann. 135. (h) Exinde Judæis *patriam suam nec e specula licuit intueri*, nec quisquam nisi numerata pecunia, ut modicum ibi (uno sc. die quotannis) flieret, admisus est. (i) Obiit ann. C. 138. ætat. 72. Imp. 21. Athenæis variis conditis, de re literaria optime meritis, sed quod præstantissimo quibusque in artibus invideret, Antinuum pro Deo coleret, Magicisque artibus uteretur, infamis: Senatus quoque & populi gratia, quod Senatorum nonnullos sustulisset, minus florens. Æl. Spartianus *Adriano*, Xiphilinus e *Dione lib. 69.* Aur. Victor; Eutropius, Orosius, Jos. Scaliger *ad num. Eusebian. 2147.* alii. Ecclesiam quod attinet, fœdas circa hæc tempora Satan excitavit hæreses, inprimis Carpocratianorum, qui, *agape in cætu finita, amoto lumine in promiscuam libidinem ruere* solebant. Ab his quod fideles non satis discernerebantur, Persecutio IV. oborta est, ann. C. 124. tanto ardore ad mortem offerentium sese, ut Arrius Antonius Proc. Asiæ obstupefactus juberet, *si vellent mori, & præcipitia & restes ipsis in promptu esse, tribunal ne amplius adirent*: sedata per Quadratum & Aristidem, ann. 126. ut diximus. In ea, Romæ Alexander I. Evaristi successor, & post eum Sixtus I. martyrio sublati sunt, quem excepit Telesphorus: quorum ille *lustralem aquam & panem azymum*, circa ann. 120. iste *Trisagii decantationem*, hic *Quadragesimale jejunium*, circa ann. 135. 140. instituisse dicuntur, Clem. 3. *Strom.* Eusebius *Histor. Eccles. lib. 5. cap. 23.* Platina *Vitis Pontificum*, alii. Ex calamitate vero Judæorum præfata, id emolumenti in Ecclesiam redundavit, ut ab illorum & dogmatibus & conversatione Christiani magis recederent, quorum nomine hætenus promiscue censebantur, malis illorum non raro, persecutioni præsertim secundæ, sub Domitiano propterea involuti.

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

IN Hadriano & illud culpandum, quod inviderit gloriæ & operibus decessoris Trajani. hinc ruptus Pons Danubii. Lamprid. in *Alex. Severo* narrat, quod „Hadrianus „etiam cogitasse feratur, Christo templum facere, eumque „inter Deos recipere: hinc templa in omnibus civitatibus „sine simulacris iussisse fieri; quæ hodie iccirco, quia non „habent numina, dicantur *Hadrianeæ*, (sic lego) quæ ille „ad hoc parasse diceretur: sed prohibitum esse ab iis, qui

„consultantes sacra repererant, omnes Christianos futuros, „si id optato evenisset, & reliqua templa deferenda. “ Hæc ille. Casaub. *ad l. l.* Alique nimis facile pro fabula habent, quia res hæc ignoretur Christianis Hyperaspistis adversus Gentes: quasi & alia similia iisdem non fuerint ignorata. cæterum nota ex hoc loco: I. Incrementa Christianismi sub Hadriano. II. Templa paulatim more Gentium adscita: III. licet sine simulacris.

LVCIVS AELIVS (a) CAESAR. (b)



Supplementa HENR. CHR. HENNIN.

Quem tantum Terris Fata ostendere micantem,
 AELIVS, & tantum nomine CAESAR, erat.
 Delicias rapuit mors importuna fluentes,
 Patris adoptivi spem tulit illa simul.

Tetraftichum Historicum.

*Filius (c). haud Patri, sed tantum Divus habetis,
 Prator, Pannoniis Dux, modo Consul eras. (d)
 Sed paries fueras festina morte (e) caducus,
 Patris amor, (f) Doctus, (g) Deliciisque fluens. (h.)*

E N A R R A T I O.

Dictus est (a) primum *L. Aurelius Verus*, *Cesonii Commodi* F. quem patrem Alii *Verum*, Alii *L. Aurelium*, multi *Amium* prodiderunt, unde F. etiam appellatus est his nominibus: *L. Cesonius Commodus Verus Aelius Caesar*. *Caesar* (b.) autem dictus est, quasi designatus Augustae Majestatis haeres, qui hodie apud Germanos dicitur *Rex Romanorum*. Si Spartiano credimus, bis hoc agenti, *primus*, hoc scilicet sensu, *CAESAR* est appellatus; qua in sententia multi sunt eruditorum. alii vero aliter sentiunt, ac Spartianum erroris arcessunt, aut emendare, sed frustra, laborant. Distingamus accurate tempora. Augustus primus destinatos Principes successores in imperio *Caesares*, sed simul *Principes Juventutis* appellavit

pellavit *Cajum & Lucium*; ex Agrippa Nepotes Filiosque domi per assem & libram a Patre Agrippa emtos adoptivos, subsidia dominationi quærens. vide Tac. *Ann.* I. 3. conferendo *Hist.* I. 15. Suet. *Aug.* 64. *Tib.* II. 12. 13. & Nummos ap. Foyvaillant. *Num. Col. T.* I. p. 58--62. ubi & *Agrippam Cæsarem* habes: (sed in foro, lege Curiata adoptatum, Suet. *Aug.* 65.) Erizz. *p. m.* 165. Sub Tiberio occurrunt *Drusus Cæsar*, & *Germanicus Cæsar*, *Ti. Aug. FF.* in Nummis, hic adoptivus, Drusi Fr. F. Suet. *Tib.* 15. item *Nero & Drusus Cæsares*, Germanici FF. *Ti. Aug. NN.* capitibus adversis in Nummis, tanquam Augustæ successionis Candidati. Caligula Fr. patrualem Tiberium die virilis togæ adoptavit, appellavitque *Principem Juventutis*. Suet. *Cal.* 15. Sub Claudio Nero fuit ab adulante Senatu, cedente Claudio, appellatus *Princeps Juventutis*, Tac. *Ann.* XII. 41. idem tamen Claudius poenitens postea Britannicum *verum Cæsarem* i. e. *διάδοχον τῆς ἀρχῆς*, vertente Dione *lib.* LX. p. 687. *Successorem Imperii* legitimum dare Populo Rom. voluit. Suet. *Claud.* 43. coll. Tac. *Ann.* XIII. 14. Galba L. Calpurnium Pisonem Licinianum in spem imperii *Cæsarem* pro concione in castris adscivit & dixit, consentientibus Prætorianis. Tacit. *Hist.* I. 29. coll. I. 15. Suet. *Galb.* 17. Sub Vespasiano renovatum in Tito & Domitiano *Cæsarum & Principum Juventutis* nomen in nummo ap. Illustr. Spanhem. *Diff.* VIII. p. 662. Sub Domitiano ex Domitia Filius *Cæsar* apud Martial. IV. 3. & in nummis ap. Beger. *Thesaur. Brand. T.* I. p. 641. consecratus *Divi Cæsaris* nomine. Nerva Trajanum *Cæsarem* in Senatu declaravit, Dio *lib.* LXVIII. ad quem novum in Senatu *decla- randi Cæsaris* morem, & *adoptandi in partem imperii* respiciens forsan excusari posset Victor Scholti, qui hoc modo *Trajanum* primum *Cæsarem* dictum innuit c. 13. Trajanus sub extrema adoptavit, si credimus Spartiano, vel factione Plotinæ supposito, qui pro Trajano mortuo fessa voce loqueretur; ceu Testamento nuncupativo; vel corruptelis libertorum, Hadrianum: sed, si Dionem audimus, non est adoptatus; verum successit, artibus Plotinæ ficta adoptione; at maxime jure propinquitatis & affinitatis, tum ex favore amatorio *Cæsar* pariter & *Imperator* creatus est, ac quia non procul aberat, magnasque copias habebat. Hic demum ævo ingravescente morbis tristioribus pressus adoptavit nostrum *ÆLIUM*, qui *nihil habet in vita sua memorabile*, verba sunt Spartiani, *nisi quod primus tantum CAESAR est appellatus*: quæ rite hinc ita puto accipi posse, quod fuerit primus, qui in Cæsariana dignitate, designatus Augustæ Majestatis heres, mortuus ad Imperatoriam non pervenerit. Cæteri enim, quos diximus, aut *Principes Juventutis* simul aut *ἀπλῶς* audiebant, aut *in partem Imperii* erant adoptati, aut alio adoptionis ritu adsciti; hic in Gentem Æliam adoptatus, familiæ Principum adscriptus est, nulla affinitate aut cognatione, qua ratione nullus ante illum *Cæsar* factus. (c) Hadrianus vero Mathefeos peritissimus & sæpe dixit de hoc Aelio: *Ostendent Terris Hunc tantum Fata, neque ultra esse sinent.* imo & cum irrisione dixisse fertur: *Ego mihi divum adoptavi, non Filium.* (d) Adoptatus statim *Praetor* factus, *Pannoniis Dux & Rector* impositus, quam rem ostendunt & Nummi, Beger. *Thes. Br. p. m.* 662. mox Consul creatus, ac iterum designatus: (e) sed valetudinis adeo miseræ fuit, quippe qui scutum solide jactare nequiverit, ut Hadrianum statim adoptionis prænituerit, querentis, præter vanas impensas, *satis se in caducum parietem incubuisse.* (f) ita tamen Patri adoptivo amabatur, ut solus omnia, quæ cuperet, etiam per literas impetraret. (g) Doctum & eruditum in literis, eloquentiæ celsioris, versu facilem fuisse arguit oratio pulcerrima, qua funestis sibi Kal. Jan. Patri è provincia redux gratias acturus erat; Idem *Ovidii Amorum libros* in lecto semper habuit, *Martialem* solebat dicere *suum Virgilium.* (h) Delicias & voluptates aliquatenus diffuentes lætissime vivens sectabatur. reperisse dicitur cibi genus, quod *pentapharmacum* vocabatur, quod ex sumine, phasiano, pavone, crustulatis & perna aprugna componeretur. item fecerat lectum eminentibus quatuor anaclinteriis, minuto reticulo undique inclusum, eumque foliis rosæ, quibus demtum esset album, replebat, jacensque velamine de liliis facto se tegebat, unctus odoribus Perficis. Accubationes & mensas de rosis & liliis fecit, & quidem purgatis. Uxori de extraneis voluptatibus conquerenti dixisse fertur: *Patere me per alias exercere voluptates meas; Uxor enim dignitatis nomen est, non voluptatis.* Ex sumto largius antidoto, ingravescente valetudine, per somnum obiit circa A. U. C. 889. CHR. 136. Vide Spartianum in *Aelio Vero*: & *Hadrian.* c. 23. adde de *Cæsaris* appellatione, cognomine & insignibus Rupert. *ad Besold. Syn. Min.* c. 14. p. 313. Fr. Lindenbrog. *ad Ammian.* l. XIV. p. 1 & 273. Vales. *ad eundem lib.* XIV. p. 34. Salm. *ad Spartian. Severum* c. 14. p. 612. Spanhem. *de Us. & Pr. Num.* *Diff.* VIII. p. 661--668.

TIT. AVG. FVLVVS ANTONINVS (a) PIVS (b).



LOTICHIUS.

ANTONINE, PII gaudens cognomine quondam,
 Nomine qualis eras, re quoque talis eras.
 Ardua diffusis cessit tibi gloria pennis,
 Febris at haud vitæ cessit acerba tuæ.

HOFMANNUS.

*Te, Pie, Roma olim merito super astra levavit,
 Nobilius namque est nil pietate (c) tua.
 Qui civem servare unum (d), quam perdere mille
 Promptus eras hostes, nomine dignus eras (e).*

ENARRATIO.

Pilius (a) Aurelii, e Gallia Transalpina, nepos Arrii Antonini bis Consulis, ab Adriano, cujus filiam Faustina conjugem habuit, post Æl. Cæsarem, adoptatus, cum in Imperio exceperit, ann. C. 138. (b) A Senatu sic vocatus, sive quod socerum fessum manu sublevavit, sive quod multos Senatores illi, sub finem lævienti, eripuit. (c) Totum orbem Rom. sola auctoritate pacifice rexit, tanta nominis sui fama, ut
 E Indi

Indi quoque , Bactriani , ac Hyrcani per Legatos illum venerarentur. (d) Scipionis illud , *malle se unum civem servare , quam mille hostes occidere* , crebro in ore habuit : propter quod pacis studium *alter Numa* dictus est. (e) Lollio tamen Urbico duce , Britannos vicit , ann. 144. Germanosque rebellantes contudit , circa annum 145. sed Vologesem II. Parthorum Regem solis literis Armenia repulit , circa ann. 150. Decessit ann. C. 161. ætat. 70. Imp. 23. optimi Principis speculum , & in Rhetores Philosophosque , quibus per omnes provincias honores ac stipendia detulit , inprimis largus. Jul. Capitolinus *Antonino Pio* , Aur. Victor *de Cesar. cap. 15.* Eutropius , Orosius , Pausanias *Arcadicis* , alii. Dum vero sic temporibus suis nihil asperum faceret , communi tamen errore Principum Christianis minus fuit æquus , donec Justinii aliorumque apologiis placaretur , quam ob causam persecutionem ab Adriano motam prius , dein inhibitam , sub Pio demum penitus sublatam , hinc discimus. In Ecclesia itaque , Romæ , Telephoro primo Imperatoris hujus anno martyrii coronam adepto , suffectus est Hyginus Atheniensis , ex Philosopho Christianus , qui *compatries & templorum consecrationes* ordinasse scribitur. Post eum Pius I. electus , qui ab Hermete pastore motus , *Pascha die tantum Dominico* in sua diœcesi celebrari voluit , ann. 156. Eum martyrii morte sublatum Anicetus excepit , sub quo floruit Justinus Philosophus , qui Marcioni *alium Deum inducenti* fortiter restitit : quod & Polycarpus Smyrnæ Episc. qui ad controversiam Paschatis finiendam Romam venerat , fecit , *primogenitum Satanae* eum appellando ; floruit autem hic an. 150. 160. Valentinus circa eadem tempora prodiit , mira Deorum portenta & ceremonias nefandas commentus , Eusebius *Histor. Eccles. lib. 4. capp. 8. 9. 11. 13.* Irenæus *lib. 1. capp. 22. 23. 24. & lib. 3. cap. 3.* Epiphanius *Hær. capp. 26. & 27.* alii.

Additamenta HENR. CHR. HENNIN I.

ITa ab omnibus idoneis Scriptoribus Priscis laudatur *Antoninus Pius* , ut Orof. vii. 14. scribat , „ Eum adeo tranquille & sancte Remp. gubernasse , ut merito *Pius & Pater Patria* nominatus sit. “ Vita Ejus est vera pictura Boni Principis. *Pius* propter clementiam dictus est , teste Eutrop. viii. 4. adde grave judicium Aur. Vict. in *Cass. de Eo* : *Hunc fere nulla visiorum labe maculavit ... adeo aequalis probisque moribus , uti plane docuerit , neque jugi pace ac longo otio absoluta ingenia corrumpi : eoque demum fortunatas Urbes fore , si regna Sapientia sint semper idem mansit ... nisi forte triumphorum expertem socordia videtur : quod longe secus est , cum majus haud dubie sit , neque quenquam turbare ausum composita , neque ipsum ostentandi sui bellum fecisse quietis gentibus.* magnificentissime celebravit , teste Eodem , nongentesimum Urbis natalem , sive ludos Sæculares A. U. C. 900. Sed Anno CHR. 139. U. C. 893. Imperii 3. amisit Uxorem , in Nummis ce-

lebratissimam Galeriam Faustinam. A. CHR. 151. U. C. 904. Imp. 15. putatur Circus Romæ concidisse , incendium 340. domos in Urbe vastasse : terræ motus in Asia Rhodum & alias Urbes labefactasse. sequente anno ab hoc Imperatore inhibita est Christianorum Persecutio. A. CHR. 159. U. C. 912. Imp. 23. Lex de Adulterio repetita sancitaque gravius , tam contra Maritos , quam contra Uxores. Obiit , si recte calculos ponimus An. Imp. 24. CHR. 161. ætas ejus varie An. 72. 76. & ultra putatur ; apud Lorios , villam propriam , M. P. xii. ab Urbe , ex febris paucorum dierum. adde Xiphilin. in *Epit. p. 270.* Suidam in *Eo*. Sub Illo ex Eruditis Paganis florere *Arrianus Nicomediensis* , Philosophus & Historiographus , *Xenophon Minor* dictus ; *Maximus Tyrinus* , Philosophus ; *Crescens* , Philosophus Cynicus , vehemens Justinii M. adversarius ; *Athenaus* , Polyhistor ; *Hermogenes* , Rhetor ; ex Christianis , adde memoratis *Egesippum* , è Judæo Christianum , Historicum.

MARCUS AVR. ANTONINVS (a)
PHILOSOPHVS (b).



LOTICHIVS.

Alma lubens vestros aspexit patria fasces,
Sive, o MARCE, tuos, seu quoque, VERE, tuos.
Sic fratrem decet ingenio succedere fratri;
Mite genus mortis sensit uterque suæ.

HOFMANNUS.

*Quintum (c) Christiadas ageres cum, Marce, Neronem,
Marcomanum illorum mox pepulere preces (d).
Mitius hinc habuit (e), qua rauca tonitrua cælo
Devocat, & torquet fulmina, sancta Fides (f).*

ENARRATIO.

Elius (a) Annii Veri, qui in Prætura decessit, ob maxi-
mas animi dotes, datus ab Adriano est Antonino Pio ad-
optandus, cum Lucio Vero (de quo infra aliquid) Ælii
filio, qui primi duo Augusti appellati sunt, sed moribus
diversissimis, ann. C. 161. (b) Non tam cognomen, quam
epithetum, ejus hoc fuisse, docet Salmasius *Not. ad Capitolin.* Doctus

enim Princeps , ac doctorum , Maximi præsertim Tyrii Philosophi , cultor fuit , adeo ut *Magistrorum suorum aureas imagines in larario haberet* , & jam Imperator ad domum Apollonii ac Hermogenis discendi causa ventiret. (c) Sed , Philosophorum instinctu , in Christianos , velut Deorum contemptores ac novæ superstitionis reos , V. Persecutionem excitavit gravissimam , circa ann. 166. quam cum nullæ apologiæ , a Justino Philos. Melitone Sardenſi Episc. & Apollinario Episc. Hierapolit. oblatae , possent inhibere , (d) stetit Legio Melitina , quæ precibus suis fulmina ac nimbos , contra Suevos , Sarmatas , Marcomanos , & Quados , Romanis vero sitî emorientibus largissimam pluviam cœlitus impetravit , ann. 176. *Fulminatricis* hinc nomine insignita. (e) Rem sic gestam publice notam cum fecisset Imperator , persecutionem inhibuit. (f) Postquam de Parthis , una cum Vero , triumphasset , ann. 165. & Avidium Cassium in Oriente rebellantem oppressisset , ann. 175. Eodem anno , quo Marcomannos Quadosque domuit , Athenis publicos Doctores omnifariæ doctrinæ annuo salario constituit : Scythas dein vicit ann. 179. decessit , cum ad Tribunalum dixisset , *Abi ad Orientem , ego jam ad Occidentem commeo* , ann. C. 180. ætat. 58. Imp. 18. maximo omnium , Senatus præcipue , gemitu , non sine suspitione veneni a Medicis , Commodus , ejus ex Faustina conjuge filio , gratificantibus , propinati. Xiphilinus e Dione *lib. 71. Jul. Capitolinus in eo* , Pausanias *Arcadicis* , Vulcatius Gallic. *Avidio Cassio* , Aur. Victor , Eutropius , Orosius , Eusebius , alii. Eo imperante , Ecclesia persecutionem passa est , ut diximus , in qua periere , inter cæteros , Justinus ann. 163. & Polycarpus ann. 167. cujus discipulus Irenæus Photino Lugdunensi Episc. martyrii coronam itidem adeptus , successit. Eodem tempore Athenagoras Athen. Philosophus suam *pro Christianis Legationem* scripsit. Romæ , Aniceto Episc. qui cum Polycarpo celebrationem Paschæ liberam esse voluerat , suffectus Soter , ann. 173. *Hierologiam nuptialem* instituisse dicitur. Eum , martyrio sublatum , excepit Eleutherius , qui Fugatium & Damianum in Britanniam evangelizatum misit , ann. 167. Cataphryges contra a Montano , & Encratitæ a Tatiano orti , hæreses suas prosemnarunt , circa ann. 175. 180. Eusebius *Histor. lib. 4. capp. 14. 15. & lib. 5. Tatianus contra Gentes* , alii.



LUCIVS AVRELIVS VERVS (a).



HOFMANNUS.

*Diffimilis fratri (b) fasces cum fratre capeffit (c),
 Luxuria (d) & vitiis deditus usque suis (e).
 Hinc quoque dissimilis fama est, inglorius hicce (f),
 Is celsa eximiis laudibus astra ferit.*

ENARRATIO.

LNtegre, (a) L. Cejonius Ælius Commodus Verus Antoninus, fil. fuit L. Ælii Veri, qui ab Adriano adoptatus primus *Cæsar* est dictus, sed paulo post obiit, (b) adoptivo Marco Philosopho, ut diximus, (c) ann. 161. (d) Parum ingeniosus ad literas, deliciarum & luxuriæ erroribus quatiebatur, nisi quatenus se, pro consensu Imperii, ad Marci mores egit, cujus filiam Lucillam uxorem habuit. (e) Parthico hinc bello confecto, Romam ad triumphum reversurus, quasi histrionicum bellum confecisset, fidicinum mimorumque & præstigiatorum secum greges, fratris morum sanctitate contempta, duxit, popinamque domi instituit,

E 3

ann.

ann. 165. Inde ad Marcomannicum bellum cum eo profectus, antequam id conficeretur, quod urbanas desideraret voluptates, in urbem destinatus est: sed in itinere obiit, non sine rumore, tanquam veneno esset interceptus, a Faustina Marci conjugē, ipsove Marco, priusquam insidias ipsis structas perageret, ann. C. 172. Imp. II. (f) Nisi apud Iurcones & voluptatum mancipia, quibus *Convivio* se commendavit, quod cum audiisset Marcus, *ingemuisset & doluisse publicum fatum*, legitur apud Capitolinum, qui illud pluribus describit in *Vero Imp.* Vid. quoque Scriptores supra memoratos.

Additamenta HENR. CHR. HENNIN I.

L VERVS M. Philosophi in Imperio Collega fuit per 9. annos, si credimus Fastorum Conditoribus, & Euseb., loco mox laudando, qui aiunt eum obiisse A.U.C. 921. Sosio Prisco & Apollinare Coss. CHR. 190. aut potius II. annos, si fides Victori in *Epist.* Eutrop. lib. VIII. Capitolino, Cassiodor. in *Chron.* ubi de hoc Imp. agunt; Euseb. & Scalig. *ad il-lum.* n. 2185. Nummis, qui T.R. POT. annum X. vel XI. numerant. Eutropius l. I. *Tum primum*, ait, *Romana Resp. duobus aequo jure Imperium administrantibus paruit, cum usque ad eum singulos semper habuisset Augustos.* Capitolinus ait, „Eum neque inter „ bonos, neque inter malos Principes poni, quem „ constet non inhorruisse vitis, nec abundasse virtuti- „ bus: vixisse deinde non in libero principatu, sed sub „ Marco in simili ac pari Majestatis imperio.“ Idem postea tradit, „ fuisse in pluribus Neronem, præter „ crudelitatem & ludibria.“ Hæc Ille. Hi autem L. & M. Imp. quos Græci, contra consuetam Latino- rum nomenclaturam, solent nominare *Verum & Lu- cium*, sunt illi *Divi Fratres* per libros Juris Romani celebratissimi. Vide Valef. *ad Ammian. lib. XXVII. p. 339.* Rupert. *ad Besold. Synops. p. 325.* Sæpius hinc in Nummis conjuncti. Unde Spartian. in *L. Aelio Caf.* „ Verus certe cum M. æquale gessit Imperium. nam „ ipsi sunt, qui primi *Duo Augusti* appellati sunt: & „ quorum Fastis Consularibus sic nomina præscribun- „ tur: [Cassiod. in *Chron.* ad init. Imp. M. & L. „ ita: *Duo Augusti Coss.*] „ tantumque hujus rei & „ novitas & dignitas valuit, ut Fasti Consulares non- „ nulli ab his sumerent ordinem Consulium.“ Sub *Piorum Fratrum* imperio hæc speciatim de *L. Vero* nota- mus: Altero Imperio anno L. Cæsari Athenis sacri- ficanti, ignis in cælo ab Occidente in Orientem ferri visus est. eo enim anno, CHR. 161. U. C. 915. Verus cum exercitu in Orientem profectus est: cum prior annus, U. C. 914. itu, reditu, belli apparatu, ordinandis provinciis esset infumtus. Vologeses enim Parthorum Rex gravi eruptione Armeniam, Cappado- ciam Syriamque, Romani Imperii fines, vastabat. At dum Verus apud Corinthum & Athenas inter sympho- nias & cantica navigat, & per singulas maritimas civi- tates Asiæ, Pamphyliæ, Ciliciæque clariores volupta- tibus immoratur, atque Antiochiæ luxuriæ indulget, Vologeses provincias graviter afflixit, & A. U. C. 915. Severianum ducem cum Legionibus internecione de- let. sed hæc clades mox correctæ à tribus nobilissimis Ducibus. Nam M. Statius Priscus regiam Armenio- rum Artaxata cepit, unde delatum utrique Imperato- ri *Armeniæ* cognomen, quod Marcus aliquandiu per verecundiam recusavit, post tamen A. U. C. 916. re- cepit. eodem anno 916. alter Dux L. Avidius Pudens Cassius, Syriæ Præses, Seleuciam, Assyriæ urbem, super Hydaspem fluvium sitam, cum millibus 300. 400. aut 500. (ita enim variant Auctores) cepit: regiæ in urbe Ctesiphonte solo æquatæ: anno 916. & 917. Mar- cius Verus, dux consilio manique promptus, eloquen-

tia non minus, quam armis validus, M. Aurelium Soæmum, Achæmenidis Regis F. Artacidis N. à Vo- logese pulsum, & Romæ in Senatorium ordinem re- latum, (ubi & consulatum gesserit, si credimus Jam- blichio Syro in *Bibl. Photii cod. 94.*) in regnum Ma- joris Armeniæ restituit. hinc in Nummis L. Veri: *Rex Armeniis datus*, anno 917. ulterius in Parthos Medo- que itum, bellumque confectum, quo profligato uter- que Princeps *Parthicus* appellatus est, licet M. Imp. illud cognomen non statim, sed anno 918. videatur recepisse, quo Divi Fratres, à reditu Veri, decreto ambobus *Patris Patriæ* nomine, & oblata corona ci- vica; de Parthis, Medis, Armeniis & Vologese trium- pharunt. Addit Capitolinus *Medici* cognomen, quod & in *Inscr.* L. Veri occurrit. In Mesopotamia Car- rhas & Singaram Colonia ex Veteranis deductæ. Sic ergo quadriennio confectum est bellum, & post quin- quennium reversus Verus triumphavit cum Fratre. Illo autem quadriennio Verus hyemes agebat Laodiceæ, ætates apud Daphnen, reliquis annorum partes in otiosa voluptate Antiochiæ. Circa initia Belli Parthici rebellabant Britanni, contra quos missus Calpurnius Agricola. creduntur eodem tempore Sacra Christiana publice annunciata Britannis. Contra Catos in Rhe- tiam incurstantes missus Aufidius Victorinus, anno U. C. 921. CHR. 168. Germani, Marcomanni, Quadi, Vandali, Suevi, Daci, Jazyges, Sarmatæ arma mo- verunt contra Romanos. A. CHR. 168. anno ante *L. Veri* mortem atrocissima pestilentia lues Urbem, Italiam & provincias ab ipsis Persarum finibus ad Rhe- num usque & Gallias, depopulata est, adeo ut Mar- comannicum bellum, quod tum movebatur, non nisi novo delectu, per triennium habito, potuerit geri. Mi- ram hujus luis à vero allatæ causam referunt Ammia- nus & Capitolinus. Fama de veneno, quod L. Vero, vel per M. Fr. ex invidia rerum gestarum, vel per Fauf- tinam Socrum ob proditum à Lucio filiæ, uxori ejus, matris incestum; vel per uxorem Lucillam, Zeloty- pam ob amores Fadiæ seu Fabiæ, sit exhibitum, idque vel aspersis veneno ostreis, vel data carnis parte, quæ exsecta erat cultro una parte venenato, ea inquam fa- ma atrocior est, quam verior. Ista excerptimus, præ- ter Scriptores in hoc *L. & M. Imp.* commemoratos, ex Herodian. l. I. Suida in *vis. Cass.* & in *Zeũpua*, & in *Marcio Vero*: Ammiano Marcell. l. XXIII. in *medio.* Euseb. *Chron.* n. 2179. Dione lib. LXXI. p. 802. & seqq. Casaub. & Salm. *ad H. A. Scrr. in h. Imp.* Philostr. in *vis. Herod.* Vulcatio Gallican. in *Avid. Cassio*: item ex Nummis & *Inscr.* ac nonnulla conciliavimus, explanavimus, sanavimus. Quia vero po- pularis meus Lotichius hujus Imp. *L. Veri* elogium vitæ *τετρασίχον* omisit, illud ita suppleo:

*Primus ego Augusto Augustus Collega salutor,
Undenis annis Frater in Imperio.
Victis perque Duces Parthis, ego Iurco neposque
Parthicus inde vocor, Medicus, Armenicus.*

LVCIVS COMMODVS ANTONINVS (a).



L O T I C H I U S.

Commoda nulla dedit , sed multa incommoda passim,
 COMMODUS ille illi mos erat , illud opus.
 Dissimilis sæva tibi , VERE, tyrannide , sævam
 Ergo jure suo passus in urbe necem.

H O F M A N N U S.

*Philosopho (b) genitore (c) satus , sed degener (d), ulla
 Non Marcum expressit conditione patrem.
 Crudelis (e) , spurcus (f), nec tanto culmine dignus,
 Nec Caesar (g) , potius vanus in arte pugil (h).*

E N A R R A T I O.

Pro (a) & fratre Antonino Gemino , prægnans Faustina
 visa est in somnis serpentes parere , sed ex his unum ferocio-
 rem. (b) Marco Imp. cui successit ann. C. 180. (c) Alii
 gladiatore natum ferunt , quam famam Faustinae impudi-
 citia firmavit & Commodi mores. (d) Neque enim mul-
 ti disciplinarum Magistri , ei a patre adhibiti , quidquam
 profuere , quo minus pessimus evaderet. (e) Auspiciis crudelitatis dedit
 anno æt. 12. cum repidijs forte lotus balneatorem in fornacem conjici jus-
 sit.

fit. (f) Turpis, improbus, libidinosus quam maxime. (g) Popinas & ganeas in Palatinis semper ædibus fecit, neque unquam pepercit vel pudori vel sumptui, ut probris natum magis quam ei loco eum crederes, ad quem fortuna illum provexerat. Hinc bellum Marcomannicum jam fere confectum data Barbaris pecunia deseruit, ut Istri rigores cum urbicis delitiis permutaret, ann. 183. Lucillæ dein sororis insidiis frustra petitus, ann. 185. Procerum sanguine maduit, instigatu præsertim Perennis Præf. Præf. quem & ipsum tamen Imperio inhiantem oppressit, ann. 186. ut & Cleandrum in Perennis locum suffectum, similiter affectati Imperii reum ann. 187. & Maternum, ex milite latronem, tum copiarum ducem, Galliæque & Hispaniæ direptorem, idem tentantem, ann. 191. Quibus exasperatus in omnes præcipue insignes viros sæviit, Deorum honorem in se transtulit, Romam suo nomine, uti & menses suis cognominibus insignivit, Reip. usque adeo negligens, ut in libellis ipse *Vale* tantum scriberet. Victi tamen sub eo per Legatos Mauri, Daci, Pannonii, Germani, & Britanni per Ulpium Marcellum ducem vigilantissimum, circa ann. 186. (h) Tandem magis gladiator, quam Princeps, cum esset, a Marcia primo concubina, veneno petitus, dein hoc per vomitum rejecto, a Narcisso validissimo palæstrita, cum quo luctari solitus erat, *compressis faucibus* extinctus est, ann. C. 192. ætat. 32. Imp. fere 13. omnibus incommodus, sævior Domitiano, nec purior Nerone. Lampridius, Xiphilinus, Aur. Victor, & Herodianus in *Commodo*, Eutropius, Orosius, Eusebius *Chron. num.* 2208. & ibi Scaliger. Ejus tamen principatu, Ecclesia pacem ab Antonino patre concessam retinuit, favore Marcia prædictæ, quam tenere deamabat Commodus: unde Romæ etiam viri illustres & opulenti ad eam accesserunt, scribitque Irenæus ejus ævi doctor, florentissimas Ecclesias fuisse in Germania, Iberis, Celtis, in Oriente, Ægypto, Libya, & Asia, quarum doctrinam cum Protestantium fide plane eandem. Vid. apud eum *lib. 1. capp. 2. 3. & lib. 3. cap. 24.* Eodem tempore, post LXX. Interpp. & Aquilam Ponticum, qui sub Adriano floruit, Theodotion novam V. Test. versionem procudit, Tatiani discipulus, Eusebius *lib. 5. cap. 18.* Romæ Eleutherio, cum adversus Tatianum, *nullum usualis victus rejiciendum esse genus*, decrevisset, capite truncato successit Victor, circa ann. 192. Vide Eusebium *lib. cit. passim.*

Additamenta HENR. CHR. HENNIN I.

COMMODOUS, monstrum illud hircosum & ef-feminatum sævitæ portentum, primus inter Imp. Romanos in aula natus est Patri Imperatori successor. recens natum statim Imperatoria purpura suscepit, simulque sol hominem ipsum vidit & Principem. primus provincias Imp. Romani in titulis adscivit, ut *Imperatoris Sarmatici, Britannici, Germanici* &c. cognomina, non honoris causa ab Exercitu aut S. P. Q. R. sibi data, quod illas Gentes ipse devicisset, sed ultro assumpta, quod possidere illas se provincias jactaret, Frisios Transrhenanos per Clodium Albinum fudit. Ad Eum videntur venisse Indi illi, ex finitima Damadamidis regione, quorum iter, & simul mores Brachmanum & Samaræorum descripsit Bardesanes Babylonius, & hos ex eo Porphy. *de Abst. lib. IV. p. 404-415*; Christianos intactos neglexit, quod totus libidinis erat deditus. Marcia libidines & adulteria furtiva non arguunt eam Christianam. A. U. C. 940. CHR. 187. Romam vastavit pestilentia, & fames, quam

augebat consulto flagellator annonæ Cleander Præf. Prætorio. A. U. 942. CHR. 189. illustre illud Pacis Templum fulmine tactum arsit Romæ, incendiumque late per Urbem fudit. Orosius VII. 16. ait, Capitolium fulmine ictum, ex quo facta inflammatione Bibliotheca illa, Majorum cura studioque composita, ædesque aliæ juxta sitæ, rapaci turbine concremata sint: deinde aliud incendium postea exortum, ædem Vestæ & Palatium, plurimamque Urbis partem solo coræquasse. Commodus Hostis Deorum, humani Generis, Patriæque, Carnifex Senatus & Parricida & vivus & mortuus judicatus est. Sub Eo Pantænus Alexandrinus Indis Evangelium prædicavit. *Talmud* Judæorum editum, A. CHR. 190. post deletam à Tito Urbem Sanctam 120. Excerptissimus hæc ex Scr. laudatis: & Suid. in *Cess. Capitol. in Clod. Alb. Calaub. & Salm. ad H. A. Baron. ad an. 190-194. Goltz. Thes. c. 4. p. 81. 82. Joh. Antioch. in Exc. Peir. p. 822. & Aliis,*

PUBL. HELVIUS PERTINAX (a).



L O T I C H I U S.

HELVIUS Aufoniis olim pronatus in oris
 Nomine suspecto Cæsar avarus erat.
 Ergo minus multos ne qua regnaret in annos,
 Miles eum cruda sustulit ipse nece.

H O F M A N N U S.

Grammaticus (b) *primo*, *post hac diademate sumpto* (c)
Cæsar in Imperio non diuturnus (d) *eram.*
In desertores acer (e), *neque sordibus* (f) *ullis*
Deditus, *annona providus usque* (g) *fui* (h).

E N A R R A T I O.

Natus (a) patre libertino Helvio Successo, qui filio nomen ex continuatione lignariæ negotiationis, quod *pertinaciter* eam rem gereret, imposuisse fertur. (b) Grammaticen professus est, post Sulpitium Apollinarem. Inde Centurio, post cohortis præfectus, perque alios gradus assurgens, urbis tandem Præfectus factus est, *Fortuna pila* propterea dictus. (c) Quo in munere dum versatur, cæso Commodo, a Senatu delatum sibi

F

Impe-

Imperium accepit invitus, ann. C. 192. Imperator Senatui favit, in delatores animadvertit, scurras Commodi proscripsit vendiditque. (d) Occisus quippe, precans *Jovem Ultorem*, ann. C. 193. ætat. 60. Imp. die 85. (e) dum insolentiam militarem refranare aggreditur, &, Tribuno signo dato *Militemus*, adversus se milites concitat. (f) Existimavit sanctius esse inopem obtinere Remp. quam ad divitias per dedecora grassari. (g) Annonam diligentissime curavit. (h) Cattis ex Rhæria repulsis, ann. 165. militum seditione in Britannia punita ann. 188. & Mauris rebellibus victis, ann. 190. jam ante Imperium, clarus. Mortuo *Divi* nomen decretum, acclamatumque *Patri pio*, *Patri Senatus*, *Patri bonorum omnium*. Jul. Capitolinus, Xiphilinus, & Aur. Victor in eo, Herodianus lib. 2. Eutropius, Orosius, Eusebius, alii.

Additamenta H E N R.

PERTINACIS cognomen Victor in *Epit.* inde arcessit, quod ille imperium coactus & repugnans suscepit. sed in *Inscr. Grut. LVI. 4.* iterum *Cof.* & nondum Imperator appellatur *P. Helvius Pertinax*. nec tamen Capitolino in *Pertin.* credam, qui id, quod C. L. Hofmannus narrat, ex incerto rumore hausit. Fuit cognomen boni ominis, à contentione & constantia boni propositi tenace, aut tenacissima parsimonia desumptum. unde post Severus amore boni Principis à Senatu Pertinacis nomen accepit. Locus natalis à Dione traditur *Domo Alba* in *Liguria*; à Capitolino in *Apennino Villa Martis*; à Victore, in *Epitome*, in *Agro Squalido Lollii Gentiani apud Ligures*. hæc ita conciliari posse puto, ut Victor innuat territorium Patroni, cujus cliens fuerat Pertinax, in quo agro ad Vada Sabatia fuerit villa paterna, dicta *Domus Alba*, ubi Pater Ejus tabernam coactiliam exercuerat, ad quam post bene gestas quatuor provincias Consulares, utriusque Mœsiæ, Daciæ ac Syriæ, jussus est à Perenne secedere, ex invidia & æmulatione Aulica: ubi multis agris coëmtis tabernam paternam, manente forma priore, infinitis ædificiis circumdedit, ac, ut vero est simile, bellico nomine *Villam Martis* nominavit, ac illic per triennium hæsit, & per suos servos est mercatus. avaritiæ ibi suspicionem incurrit, quasi oppressis sænore possessoribus latius suos tenuerit fines, inde populari dicto, ex versu Luciliano, *Agrarius Mergus* est appellatus. Equus pullus ea hora, qua natus est, in tegulas ascendit, atque ibi breviter cominoratus decidit atque exspiravit. hac re motus Pater ad Chaldæum venit, qui cum illi futura ingentia prædixisset, stipem se perdidisse dixit. *Pertinax* primus omnium ea die, qua *Augustus* est appellatus, etiam *Patris Patriæ* nomen recepit, nec non *imperium Proconsulare*, cum jure *quarta relationis* quod ominis loco illi fuit. Nam alii Impp. non nisi sero hæc recipiebant. Eadem die & *Flavia Titiana*, Uxor Ejus *Augusta* est appellata, sed Ipse hanc appellationem non recepit. Filium quoque Ejus *Pertinacem*, Senatus *Cæsarem* appellavit, at ipse dixit: *Cum meruerit*. Sed nec filiam, neque hunc jam adolescentem in Aulam Palatinam unquam adduxit, verum intra privatos Lares continuit, sic ut hic in ludum quoque literarium atque gymnasia de more itaret, nihil privatis absimilis, erudireturque.

C H R. H E N N I N I.

Ipse (primus ex Gente sordida & tenui loco:) suscepit Imperium, ægre à Populo, Milite & Senatu exoratus, ac suscepto civilem se præbuit, neque ullam aut tyrannicam aut omnino Imperatoriam pompam ostentavit. non alium se, quam fuerat, videri volebat. omnibus erat affabilis. Imo voluit etiam Imperium deponere atque ad privatam vitam redire. Convivium Imperatorium ex immenso ad certum revocavit modum. exemplo autem Imperatoris, cum ille parcius ageret, ex omnium continentia vilitas nata est. Hinc in Nummis Ejus: *Saculum Frugiferum*, *Ops Divina*. nam Imperatorium sumtum, pulsus non necessariis, ad soliti dimidium detraxerat. sed hæc laudabilis parsimonia & sobrietas vitio avaritiæ data & traducta est; lucri cupido etiam ex eo Illi impacta, quod apud Villam suam per suos homines jam Imperator, adhuc mercaturam exerceret. *Chrestologum* sive verbis benigniorem, quam rebus beneficum, illum male opinantes fabulatores, milites ac Ligures quidam vocabant, quod immodicis largitionibus nec vellet, nec, exhausto ærario, posset illis pro spe facere satis. Fuit moderationis, justitiæ & æquitatis, si quisquam, studiosissimus, ac plane Curiis Fabriciisque æquandus; &, nisi Cohortis Prætorianæ, vitiis adueta, odio cæsus esset, omnia collapsa restituisset. huic enim exosus ob parsimoniam, sanctitatem, & exprobratam consuetudo sibi, ac apud Prætorianos statim bis repetito, signo militari, *MILITEMUS*, superiorum temporum segnitiam; nec non quod in causa Falconis, qui Imperio inhiaverat, multos milites ad unius servi testimonium occidi præcepisset, per tumultum periit. ætatis & Imperii tempus, necisque Auctor, diversis modis traduntur. Vide Scalig. ad Euseb. *num. 2209.* & *H. A. Scrr.* Vixit tamen post necem Virtus: mortuo ingeminatis, ad vocis usque defectum, plausibus acclamatum: *Pertinace Imperante securi viximus, neminem timuimus!* Sub Severo Imp. funus imaginarium Ei & Cenforium ductum, & ab ipso Severo funebri laudatione honoratus est. Filius Pertinacis, Patris, inter Divos relati, Flamen est factus. *Marciani* Sodales, qui D. Marci sacra curabant, *Helviani* sunt dicti in Ejus honorem. additi Circenses, alique honores. Hæc excerpta ex *H. A. Scrr.* & Suid. in hoc Imp.

P. DIDIVS SALVIVS JULIANVS (a).



L O T I C H I U S.

Tu quoque vix modico durasti tempore Cæsar,
 Hei ! nimis imperio trux , JULIANE , tuo.
 Natus eras vitiis , Insubribus ortus , atrocem
 Isthinc ex merito passus es ergo necem.

H O F M A N N U S.

*Emptum a militibus (b) sceptrum Julianus habebat ,
 Sed male quasitum mox quoque perdit idem.
 Vix menses binos (c) diademate cinctus obiit ,
 Inter ploratus vulnere stratus humi.*

E N A R R A T I O.

Severi (a) quoque cognomine insignis. Filius fuit Petro-
 nii Didii Severi ex Clara Æmilia , de quibus Spartianum
 vide : Chaucis ad Albim repulsis ann. C. 173. nomen a-
 deptus. (b) Post cædem Pertinacis Imperium a militibus
 turpissimo præconio venale propositum emit , promisso
 singulis 600. coronatorum pretio , ann. C. 193. (c) quod cum exsolvere

non posset, a Senatu etiam *Parricida & Imperii invasor* appellatus ac capitis damnatus esset, Severus insuper Pannoniæ, Pescennius Niger Syriæ, & Albinus Britanniae Præsides defecissent, inter foedissimas complorationes, *Quid ego peccavi, aut quem interfeci*, jussu Senatus neci datus est, ann. ætat. 60. cum bimestre imperasset, *eruditione melior, quam animo*. Spartianus, Xiphilinus, & Suidas *in eo*, Herodianus *lib. 2.* Zosimus *lib. 1. alii.*

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

JULIANO huic Proavus maternus fuit Salvius Julianus, bis Cof. PF.V. & J.C. insignis, auctor *Edicti Perpetui* sub Hadriano; unde illi & nobilitas & gentilis in jure peritia. educatus apud Domitiam Lucillam, M. Imp. Matrem, cujus suffragio lectus XXVir, Quæstor ante annum, quam legitima ætas ferebat; hinc suffragio ipsius Marci Aedilis Curulis, Prætor, Legionis xxii. Primi-geniz in Germania Tribunus, Belgicæ Reçtor, ubi Cauchis repressis, Cattisque debellatis, testimonio Imp. Consulatum meruit. Hinc Dalmatiam, a confinibus hostibus vindicatam, & Germaniam Inferiorem rexit. post Curator Alimentorum in Italia. conjurationis cum Salvio adversus Commodum absolutus, in Provinciam remissus; hinc Bithyniam, sed non pari laude, qua priores, rexit. Cum Pertinace Consul, eidem Procos. Africæ successit, semper *Collega & Successor* salutatus ab illo. In Inscr. ap. Reines. VI. 42. dicitur & *Leg. Aug. Pr. Pr. Ponti, Galatie, Prætor Africa & Achaia, Tutelaris Consulatus, XVVir ßl. judicandis, Sodalis Antonianus*. Interfecto Pertinace, & Prætorianis turpissima auctione Imperium venale prostituentibus fluctuantem & quasi caducam ac proscriptam Imperii possessionem ipse Vigilum PF. emit, & Flavius Sulpitianum Cof. PF. V. Socerum Pertinacis eoque ipso suspectum, sestertia xx. singulis Prætorianis pollicentem, promittens xxv. inhonestissima Licitatione palam superavit. Hæc impudentissima nundinatio primum corruptit militum mores, avaritia latius serpente, usque ad contemptum & sanguinem Imperatorium, ac initium caussaque militibus fuit in posterum, ut quam turpissimi contumacissimique evaderent. At cum ipse esset Princeps animo segnis, otio & luxui deditus, heluo, aleator, mutabilis, superbus, initium habuit ominosum. Senatu enim seu blanditiis, seu metu in partes tracto, & ex S.C. receptis P. P. & in Uxore ac Filia *Augustarum* cognomine, ac T.R. P. quæ & Nummio ostentant, Populum mitigare nulla ratione potuit. nam post convicia & lapides in eum jactos Pescennium Nigrum, qui jam imperare dicebatur in Syria, ad Urbis præsidium vocarunt; aureos, quos digitis Julianus ostendebat, indignanter repudiarunt, succlamantes: *Nolumus, nan accipimus*. quod ut audivit Julianus, teneri ultra non potuit, quin proximos quosque interfici juberet. Populus ea re multo irritior, Juliano maledicere, Deos invocare, Milites execrari. ad extremum arma capiunt

omnes, & in Circo diem noctemque jejuni transigunt; sed fame stimulante iterum diffugiunt, externa auxilia præstolantes. Cum vero Juliano nuntiatum esset, Severum cum Illyricis Exercitibus defecisse, quem suspectum non habuerat, perturbatus ad Senatum venit, imperavitque: *Ut Severus hostis renunciaretur, militibusque præstimeretur dies, ultra quem, si cum Severo fuissent, hostium numero haberentur*. Interim ipse omnibus assentari Romæ, obvius arridere, multa libero homine, nedum Principe, indigna facere, conciliandæ multitudini, sed frustra. Suspecta enim erant prudenti cuique immodica officia. visæ tum circa Solem tres stellæ, claro die, tres Principes sibi invicem inimicos, Severum in Illyrico, Clodium Albinum in Britannia, Pescennium Nigrum in Syria, adversus Julianum asserentes sibi imperium, portendebant. interim Romæ desides Prætorianos & urbana luxuria dissolutos frustra Julianus in armis exercebat, & diro facinore mactatorum extis puerorum, magorumque ludibriis futuros eventus expiscabatur. Satis stulte crebro misit percussores ad Severum, sed transituros ad illum. quin & Tullius Crispinus, PF. Præt. legatus, ut classem Ravennatensem produceret, repulsi ad Severum transiit. Sacerdotum deinde preces Virginumque Vestalium orans Didius, audivit a Fausto Quintillo Consulari Augure: *Non debere imperare Eum, qui armis adversario non posset resistere*. quare iratus per milites Senatum ad obsequium cogere, aut obtruncare voluit. sed mox mutato consilio, de participatione Imperii egit, abnuente Severo, & Prætorianos sibi literis conciliante. ita apud Milvium Pontem victus, & capitis damnatus periit A.U.C. 946. Kal. Junii, 66. Imperii die. Victor, Eutropius & Orosius vii. menses ei tribuunt. caput ejus in rostris positum. Corpus deinde a Severo Malliæ Scantillæ Uxori & Didia Claræ F. concessum, via Lavicana, ad milliarium V. in Proavi monumento sepultum est. Consule præter laudatos Eutrop. viii. 103. Oros. vii. 16. Aurel. Victorem, in hoc Imp. & qui eleganter ex Dione ac Herodiano, verioribus testibus, singula digessit, Joh. Cluver. *Epit. in hoc Imp.* adde Rupert. *ad Besold. c. 14. p. 335--338.* obiter enim notandum est, Spartianum ab Herodiano & Dione, qui his rebus ipse interfuit, hinc majore fide dignus, in diversa abire, & multa circa Julianum emollire.

SEPTIMIUS SEVERUS. (a).



LOTICHIUS.

Non patitur focios majestas æmula fasces;
 Hoc in te verum nempe, SEVERE, fuit.
 Tollis enim ALBINUM, sed tu magis utilis annis,
 Ex podagra summum claudis in orbe diem.

HOFMANNUS.

*Ingenio sequitur (b) rigidis & moribus, acer (c),
 Septimius, sextus (d) mente manuque Nero,
 Saviit in CHRISTI non noxia membra: subegit
 Hostes (e): cuncta fuit, sed tamen ecce fuit (f).*

ENARRATIO.



Septimianus (a), natione Afer, filius ex Fulvia Pia Getæ, cujus Majores Equites Rom. fuere. (b) Populo Pescennium Nigrum contra Julianum accersente, dum hic moratur, a Pannonico exercitu Augustus creatus, moxque a Senatu confirmatus est: quo facto Prætorianos Pertinacis occisores exarmavit, & intra centesimum ab urbe lapidem relegavit, anno

anno C. 193. Inde, Claudio Albino Britanniae Præsidente spe Imperii, cui inhiabat, astute lactato, Pescennium Nigrum, alterum potentiae æmulum, ann. eod. ipsum dein Albinum sustulit, anno 198. (c) huiusque capite Romam, ut patibulo publice affigeretur, misso, Senatui tristitia minatus, post reditum suum ultra 40. ex eorum numero, quod Albino favissent, occidit, ann. 199. (d) Vide infra. (e) Filio Bassiano Cæsare appellato, Parthicum bellum, pulso Artabano, & Ctesiphontecapta, feliciter confecit, ann. 200. Postea Byzantium, quod diruerat ann. 197. restauravit, ann. 201. libros arcanarum rerum Ægyptiis abstulit, ann. 202. Inde reversus filio elocat Plautiani Prætorio Præf. filiam, quæ tantum dotis marito attulit, *quantum reginis 50. satis fuisset*, ann. 203. sed insidias ejus, quem ex imo ad summum promoverat, expertus, interfici illum mandat, ann. 206. Britanniam pacat, Caledonios & Mæatas pellit, ann. 209. in eadem, ad Pictos coercendos, vallum transversum ducit, cujus rudera etiamnum supersunt, ann. 210. Obiit Eboraci, ann. C. 211. æt. 66. Imp. 18. de quo Senatus judicium fuit, *Aut non debuisse nasci*, propter crudelitatem; *aut non debuisse mori*, propter successorum ignaviam. (f) Alluditur ad verba morientis, *Omnia fui, & nihil mihi expedit*. Herodianus, Xiphilinus, Spartianus, & Aur. Victor in eo, Eutropius, Orosius, Zosimus, Beda *Histor. Angl. lib. 1. cap. 5.* alii. Sub eo VI. Persecutionem, instigatu Plautiani, Ecclesia perpessa est, eamque adeo immanem, ut passim *rivi Christiano sanguine spumantes decurrerent*, in Ægypto & Thebaidem maxime: quælaniena, inter alios, Leonidam Origenis patrem, ann. 202. & Irenæum Episc. Lugdun. abstulit, ann. 203. Huic itaque furori ut obviam iretur, Tertullianus, doctissimo pro Christianis Apologetico scripto, innocentiam eorum defendit, & calumnias de *Sacramento infanticidii, ac pabulo crude & post convivium incestu* solide refutavit, ann. 210. ipse tamen, inductus asperioris vitæ specie, Montani hæresin amplexus. In Scotia vero Evangelium recipitur, sub Donaldò Rege, ann. 200. Romæ, Victor non consentientes in tempus Paschale anathemate ferit, ob id a Polycarpo Ephes. Irenæo Lugdun. aliisque Episcopis reprehensus, ann. 196. ei violenta morte sublato, ann. 200. successit Zephyrinus, Montanistis favens, ann. eod. qui *vitreos calices pro ligneis* ordinasse creditur. At sub initium jam Imperii Severi prodiit quarta Vet. Testam. versio, a Symmacho Samarita vel Ebionita concinnata, ann. 193. Clemens Alexandr. sub eodem floruit, Theodotus oppugnator *Divinitatis Christi* insaniit &c. Eusebius *Histor. Eccles. lib. 6.* passim, Ado Vien. *Chronico*, Greg. Turon. *lib. 1.* Tertullianus *ad Scapulam*, & in *Apologetico*, alii.



A. ANTONINVS BASSIANVS CARACALLA.



L O T I C H I U S.

An , CARACALLA, diu conjunctas fratris habenas
 Arbiter imperio te tolerasse GETÆ?
 Non ita ; namque abs te fraterna cæde patrata ,
 Sæviit in cædem Partha sagitta tuam.

H O F M A N N U S.

*Asperior genitore (c), Diis mox addere fratrem (d) ,
 Atque isti te ausus , Papiniane (e) , fuit.
 Cadibus infamis (f) propriaque libidine matris (g) ,
 Ipse quoque est casus militis ense sui (h).*

E N A R R A T I O.

Elius (a) natus major , ex Martia , Severi Imp. qui eum
 Cæsarem appellaturus imposuit illi *Aur. Antonini* nomen :
 (b) a barbaro vestitu , quo & ipse & exercitus utebatur &
 populus donabatur , cognominatus : (c) quem in Imperio
 excepit , ann. C. 211. Britannos rebelles placavit , eod.
 (d) Ex ea provincia redux , fratrem Antonin. Getam , ex Julia Severo na-
 tum , in sinu matris interfecit , in Divorum dein numerum retulit , *Sit*
Divus ,

Divus, modo non sit *vivus*, dictitans, ann. 212. (e) Papinianum J.C. Prætorio Præf. quod cædem excusare nolle, capite truncavit, eod. (f) atque in cæteros omnes, qui cum Geta fecisse videbantur, immaniter sæviit: Alexandria quoque in turba, quæ confluxerat, ingenti strage per milites edita, quod eum *Oedipum*, *Juliam Jocasam* joco appellassent, ann. 217. (g) Novercam enim suam Juliam incestis nuptiis biennio ante sibi junxerat. Cæterum Macedones coluit, Alemannos ad Mœnum fluvium vicit, & ex Germanis custodes corporis sibi legit, ann. 215. Artabanum Parthorum Regem dolo superavit, ann. 216. Augarum Osroënorum Regem, sub fide publica evocatum, in vincula conjecit, eod. (h) Postquam patris fratrisque spectris multum exagitatus esset, interiit, Macrini Prætorio Præf. infidiis, ad Carras Mesopotamiæ, ann. C. 217. ætat. 29. Imp. 6. mens. 2. Spartianus *Caracalla & Geta*, Xiphilinus, Aur. Victor, Herodianus *lib. 4.* Zosimus, Zonaras, alii. Ejus tempore, quinta versio Græca V. Test. incerti auctoris Hierichunte in dolio quodam reperta est, circa ann. 217. Eusebius *Histor. Eccles. lib. 6. cap. 12.* & Origenes florere cœpit. *Ibid.*

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

HUNC CARACALLVM (ita constanter Græcis, quandoque Latinis appellatur; non tamen vel hoc vel BASSIANI cognomine in Nummis reperiundo:) Tertullianus *ad Scapulam c. 4.* laetè memorat enutritum Christiano; ac de Patre Severo testatur, quod *feminas Virosque clarissimos sciens hujus sectæ esse, non modo non laeserit, verum & testimonio ornarit, & populo furenti in os restiterit.* at alia de hoc Spartian. *Sever. c. 17.* quod *Judaos fieri sub gravi pœna vetuerit, idemque de Christianis sanxerit.* itaque aut Tertullianus erraverit, aut de primis Severi Imp. annis intelligendus, cum Plautianus PF. Præt. eum in Christianos nondum concitasset. sed nec mihi verosimile est, quod Afer tradit de *Bassiano*; suspicionem puto inde enatam, quod septennis puer, cum collusorem suum, ob *Judaicam religionem* (qua & *Christianam* volunt intelligi; at has Severi tempore distinctas, nec ejusdem nominis fuisse, satis docet allata Severi in *Judaos & Christianos* sanctio:) *gravius verberatum audisset, neque Patrem suum, neque Patrem pueri, velut auctores verberum, diu respexerit.* scilicet ex commiseratione ætatis & amoris puerilis, non quod ipse *Bassianus* tum foret eorundem, sive Judaicorum, sive Christianorum Sacrorum. nec de Caracallæ incestis cum ipsa seu matre, seu noverca nuptiis res adeo certa. fuit *Julia Domna* mater vera, non autem noverca Caracallæ, quod ex Græcis æqualibus Scriptoribus Dione, Chrysostomo, Oppiano, probat Salmasius ad Spartian. *Sever. c. 20.* non taciturnis incestum facinus inter perditissimi Imp. probra Dione ac Herodiano: ac quomodo deinceps sine ullo, quod nec legitur, divortio, Artabani, Parthorum Regis, filiam in matrimonium simulatum petere potuit?

Satis norant Parthi Romæ non valere polygamiam. fuit hæc *Julia Domna*, hærentibus totos dies circa Eam Sophistis, Philosophiæ studiis tam exercitiis, ut *φιλόσοφος* dicatur Philostrato. Vide Reines. *Var. II. 12.* nec dubito, quin vera narrent de ejus projecta libidine Auctores Latini, quando cum velamento pudorem exuerat, & Filio nequius, *Si liceret, liberet*, nupturienti responderat petulantissime: *Si libet, plane licet: An nescis Te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere?* hinc nata fabula de incesto matrimonio subsecuto, ac de ipsa, ut excusatus esset, quasi Noverca. Plautillam vero uxorem, post Patris Fulvii Plautiani PF. PR. cædem in Siciliam relegavit, ac post mortem F. sui Antonini cum Filia & Plauto Fr. interemit. Alemannorum nomen sub Eo primum claruit. Opera Ejus publica sunt: Thermæ Antoninianæ eximæ, Porticus Severi, in Urbe: excitata magnifica ubique Isis templum & Sacra Ejus Romam solennius, quam ante, deportata. Coloniz: Antiochia ad Orontem in Syria, Edeffa in Mesopotamia, Emisa in Phœnice. periit 6. Id. April. A. U. C. 969. Laudatis Scirr. adde Suidam, Salm. & Casaub. *ad Spart. Eutrop. l. VII. f. Oros. VII. 18. Jornand. de Regn. succ. p. m. 490. Excerpt. Peir. p. 742-761. Scalig. ad Euseb. n. 2232. Baron. ad A. C. 219. Rupert. ad Befold. c. 14. p. 344. & seqq.* Nummos hujus Imp. & Plautillæ, Eorumque Enarratores, maxime Vaillantem, Begerum, Tristandum, Augustinum, Alios. Sub Eo: Porphyrius, & Celsus, Epicureus Philosophus, Origeni refutatus, Christianos scriptis oppugnavit: Batavi tum fuerunt *Fratres & Amici Populi Romani*, teste *Inscr. ap. Grut. 73. 9.*

CAIVS PESCENNIVS (a) NIGER. (b.)



Supplementa HENR. CHR. HENNINI.

In Syria *Augustus* dictus PESCENNIVS, idem,
Cum victus pereas, inde Tyrannus eras.
Otia Te perdunt, & Virtus cauta SEVERI,
Virtutem ardentem fata secunda juvant.

Tetraftichum Historicum.

Dux bonus (c), Imperio infelix PESCENNIVS audit (d),
Deliciisque Syris negligit Imperium (e).
Ter victus periit (f), titulos Romamque SEVERO
Linqvit & Imperium: Spes bona nulla fuit. (g)

E N A R R A T I O.

P Atrem (a) habuit Annium Fuscum, Lampridiam Matrem, & putatur ex equestri familia Aquinate ortus. Quæ illi uxor fuerit, cum nomen ejus nusquam legatur, incertum. (b.) *Fuscus* etiam in Delphico Oraculo dictus; a cervice nigra; habuit & cognomen IVSTVS in Nummis Latinis, in Græcis ΔΙΚΑΙΟΣ, qui ex his enim τὸ ΙΟΥΣ præ se ferunt, arte ficti sunt. (c.) IVSTI vero cognomen meruit, quod esset rigidissimus & vehementissimus disciplinæ militaris custos: nunquam sub eo miles provinciali lignum, oleum, operam extorsit, ipse a milite nihil accepit; cum tribunatus ageret, nihil accipi passus est: nam & Imperator Tribunos duos, quos constitit stellaturas sive lucra per fraudem ex stipendiis militum accepisse, lapidibus obrui ab auxiliariis jussit. cum apud Ægyptum limitanei milites ab eo vinum peterent, respondit: *Nilum habetis, & vinum queritis?*

Siquidem tanta Nili dulcedo, ut accolæ vina non quærant. tumultuantibus iis, qui a Saracenis victi fuerant, & dicentibus: *Vinum non accepimus, pugnare non possumus: Erubescite*; inquit, illi, qui vos vincunt, aquam bibunt. Scilicet aceto sive posca jusserat omnes esse contentos, vetito in expeditione vino. porro omne argentum submoverat de usu expeditionali, jubens, ut milites ligneis vasis uterentur. dicebat enim, *posse fieri, ut sarcina militares in potestatem hostium venirent, ne se Barbaræ gentes argento nostro gloriosiores facerent, cum alia minus apta hosticam viderentur ad gloriam.* Pistores sequi expeditionem prohibuit, buccellato jubens milites & omnes contentos esse. Ob unius gallinacei direptionem decem commanipulones, qui raptum ab uno comederant, securi percuti jussit: & fecisset, nisi ab omni exercitu, prope usque ad metum seditionis, esset rogatus, & cum pepercisset, jussit, ut denorum gallinaceorum precia provinciali redderent decem, qui simul furto convixerant, addito eo, ut tota in expeditione in commanipulatione nemo focum faceret, ne unquam recens coctum cibum fumerent, sed pane ac frigidis vescerentur, appositis speculatoribus, qui id curarent. jussit, ne in zonis milites aureos vel argenteos nummos portarent, sed publice commendarent, recepturi post prælia, quod dederant, addens, liberis eorum & uxoribus & hæredibus certe reddendum, qui venissent, ne ad hostes aliquid prædæ perveniret, si quid forte adversi fortuna fecisset. Ipse in omni expeditione militarem cibum sumsit ante papilionem, nec sibi unquam vel contra Solem, vel contra imbres quæsitum tectum. annonam suam per servos suos & contubernales portari voluit, & in concione juravit, (vocis erat adeo canoræ, ut in campo loquens per M. P. audiretur:) *se, quamdiu in expeditionibus fuisset, essetque adhuc futurus, non aliter egisse, acturumque esse, quam militem.* multa apud M. & Commodum Imp. egregia prudenter egit. Consiliariis salaria addidit, ne eos gravarent, quibus assidebant, dicens: *Judicem nec dare debere, nec accipere.* Sic varias provincias honestissime rexit, hinc ab ipso Severo commendatur Commodus, ut *Vir Reip. necessarius*, & Elogio Viri manu strenui, vita gravis, plusquam militis, fortis & virtute ducatus merentis, ac dignitate ornatus a M. Antonino & a Commodus, qui eum Cos. declaravit, invidente Severo, qui tamen jam hostis & Imp. laudavit eum a disciplina militari, Successoremque ægrotans destinare sibi voluit. Apollini Delphico, ut *Optimus* prælatus Severo & Albino; a Senatu & Pop. Rom. Princeps & Augustus feliciter acclamatus & ad tutelam Imperii vindex contra Julianum publice exoptatus, & expetitus. Vir benigni mansuetique ingenii, publice privatimque bonus, castissimus, Tribunus singularis, Dux præcipuus, Legatus severissimus, Cos. insignis, domi forisque conspicuus, Imperator infelix, (d); nam posteaquam comperit occisum Commodum, Julianum Imp. appellatum, eundemque jussu Severi & Senatus occisum, Albinum etiam in Gallia sumsisse nomen Imperatoris, ab Exercitibus Syriacis, quos regebat, appellatus est Imperator; sed dum (e) Antiochiæ desidet, tarditatis & ignaviæ poenas luit. Illyrico enim Severi exercitu contra se educto, Barfemii Adrenorum Regis Sagittariis adjutus, Partho auxilia promittente, Armenio neutrarum partium, conflavit qualemcumque, verum Illyrico Severi imparem, exercitum, levibus Syris audacius, quam prudentius nomina dantibus: At Severi cum astutia tum miles fortior & exercitior Pescennium, frustra Imperii consortium offerentem, tribus (f) magnis præliis vicit, primo ad Cyzicum; deinde ad Nicæam; tertio, (cum Severo Tauri angustias vi & arte non transeundas fortuna benefica aperuerat, laxatis imbrium torrentium defluo impetu munitionis coagmentis ac fundamentis:) atrocissima & cruenta pugna ad Issum in Cilicia, ubi Darium olim vicit Alexander: cumque in exercitu Pescennii trucidata essent xx. millia, fugiens Pescennius Antiochiam, in ejus suburbio a gregario equite deprehensus & interfectus est, anno ætatis 65. imperii 1. U. C. 947. caput ejus Romam missum, piloque infixum & circumlatum est, filii occisi, necata uxor, patrimonium publicatum, familia omnis extincta. Sic *Bona spes* (g), quam rarissimus Pescennii nummus forte in hanc expeditionem percussus, præfert, eum fefellit, & ex laudando alias Imperatore (Severi enim hostis invidas calumnias, quas Aurel. Victor imprudenter sequitur, non moramur:) victoria aliena fecit Tyrannum; at Severum, ut victorem, legitimum Principem. Magnanimum & nobile Pescennii, cum Imperatori facto quidam Panegyricum recitare vellet, est responsum: *Scribe laudes Marii, vel Hannibalis, vel alicujus Ducis optime vita functi, & dic, quid ille fecerit, ut eum nos imitemur. Nam viventes laudare, irrisio est, maxime Imperatores, a quibus speratur, qui timentur, qui præstare publice possunt, qui possunt necare, qui proscribere: ego autem vivus placere volo, mortuus etiam laudari.* Ex Principibus amabat Augustum, Vespasianum, Titum, Trajanum, Pium, Marcum; reliquos *femineos* vel *venenatos* vocans. Quod si rerum potitus fuisset, omnia correcturus fuerat, quæ Severus vel non potuit emendare, vel noluit; & quidem sine crudelitate, imo etiam cum lenitate, sed militari, non remissa & inepta atque ridicula. Hæc concinnavimus ex Spartiani *Pescennio*, Herodian. III. 1. & seqq. Ammiano Marcell. xxvi. circa fin. adde Dionem, Aurel. Victor. Suid. in hoc Imp.

OPILIUS MACRINUS (a).



LOTICHIUS.

Afer eras patria , MACRINE, furoribus acer,
 Par ANTONINUS filius ecce ! tibi.
 Si bona vita , bonus semper fuit exitus ; ergo,
 Dum mala vita fuit , mors mala vestra fuit.

HOFMANNUS.

*Invasi Imperium (b), sublato Principe (c), Maurus (d) ;
 Sed rapta exiguo tempore sceptrum (e) tuli.
 Causa , rigor (f) nimius : quare victricibus armis,
 Me vita Varius (g) depulit atque throno.*

ENARRATIO.

Umili (a) loco natus , & animi atque oris inverecundi ,
 se nunc Severum, nunc Antoninum , nuncupavit, (b) Im-
 perio ad se tracto , post cædem Caracallæ , ann. C. 217.
 (c) per Martialem quendam militem , ab illo suborna-
 tum : (d) in Colonia Julia Cæsarea natus. (e) Ab Ar-
 tabano Parthorum Rege , vicies centenis mill. & omni præda remissa , pacem
 G redi-

redimere coactus, nihilominus a Senatu, odio Bassiani, confirmatus est: sed breve Imperium fuit. (f) Militibus parum acceptus, non tam quod iis non daret, quantum Caracalla, quam quod disciplinam militarem restitutus severius in illos animadverteret, *Macellini* hinc convitio aspersus. (g) Quare ii, a Mœsa insuper, sive Varia, Juliae Aug. sorore, corrupti, rebellavere, victoque Juliano Præt. Præf. auspiciis Heliogabali, Variæ nepotis, Macrinum victum captumque cum filio Diadumeno, sola pulchritudine memorabili, necarunt, ann. C. 218. ætat. 54. Imp. 1. mens. 2. Herodianus *lib. 4. & 5.* Jul. Capitolinus *Macrino*, Lampridius *Diadumeno*, Spartianus *Caracalla*, Zonaras, Zosimus, alii.

Additamenta HENR. CHR. HENNIN I.

M. OPELIUS MACRINUS, Maurus natione, domo Julia Cæsarea, Jubbæ regia, quæ hodie *Algezira*, ex Venatore Tabellio, ex Tabellione Advocatus Fisci, hinc Præt. Præf. & tandem, confcius cædis Caracallæ, Imp. factus, militariter voluit imperare, in crucem milites tulit, servilibus suppliciis semper affecit, sæpe decimavit, aliquando centesimavit. præter Parthicum, composuit etiam bellum in Armenia, cum Tiridati diadema mitteret, & prædam olim captam redderet. Juliam Augustam, Severi viduam, cum initio blandius habuisset, ut comperit conviciis se ab ea impetum, ejecit Antiochia & mox ad mortem egit. nec pepercit aliis novitati ejus iniquioribus. initio Imperii literas ad S. P. Q. R. miserat optimi Principis indolem spirantes, quas Herodianus nobis servavit, quibus affirmat, Se nolle Imperium accipere, nisi volente Senatu: voluitque videri invitatus ac coactus Imperium suscepisse, ut sunt homines, qui ad ea se cogi dicunt, quæ vel sceleribus comparant. Secuta est in Senatu hinc publica lætitia, magis odio sublatis Caracallæ, & acclamatio: adscitus Macrinus in Patritios, factus P. M. decretum illi PII ac FELICIS nomen, quorum prius repudiavit, posterius recepit, Poëtarum Græcorum aculeis hinc petitus. neutrum tamen (P. F.) in Nummis Ejus hætenus occurrit, sed P. P. *Severum*, ut constanter in Nummis legimus; item, si Capitolino credimus, *Pertinacem* (aspera hæc nomina facto approbans, & hinc exosus) ac *Antoninum*; imo & *Aurelium*, si antiquo lapidi apud Grut. 50. 4. fides, se nuncupavit. Militaribus insidiis Bassianum interiisse causatus ad sedandos motus stipendium & Legionariis & Prætorianis dedit solito uberius, sic illi, ut solet, profuit pecunia, cui innocentia prodesse non poterat. Diadumenum F. & Cæsarem & Augustum adscivit, eumque statim a Militibus *Antoninum*, quod no-

men his esset jucundissimum, & illo ævo index augustæ purpuræ lætissimi ominis, appellari jussit. hinc, misso Romam Caracallæ corpore, ut Majorum Sepulcro, sive Septizonio, ducto funere regio, inferretur, cui honores divinos decreverat & statuas; in eo vehementer peccavit, quod Romam sui cupidam statim non petierit, sed Antiochiæ obhæserit, barbam nutrens, lento incessu, moroso accedentibus fastidio & voce submissa vix exaudienda tarde respondens, spectaculis indulgens & voluptatibus, incedens cum fibulis ac balteis auratis gemmatisque. hinc miles durius habitus procul a patria, indigens indignari, tandem rebellare ostentato Bassiani desideratissimi Filio. sic, dum scintillas Macrinus negligit, exarsit bellum, clades, turpis fuga, in qua deprehensus Macrinus a missis illico per Elagabalum, qui Macrinum insequeretur, in Bithynicæ Urbis Chalcedonis suburbano vico Archelaide ægrotans ac perpetuo itinere attritus capite truncatus est VII. Id. Jun. A. U. C. 971. Imperii spatium dicto adde III. dies. Mores ejus crudeliores narrat Capitolinus. Acer erat in suppliciis, Severique laudator. Adulterii reos semper vivos simul incendit, junctis corporibus. Delatores, si non probarent, capitis pœna affecit; si probarent, dato pecuniæ præmio dimisit infames. Convivio suo literatos adhibuit, ut loquens de studiis liberalibus a nimia ingurgitatione abstinere. Fuit in jure non incallidus, adeo ut statuisset omnia Rescripta Veterum Principum tollere, ut jure, non Rescriptis ageretur. Plura narrabunt præter laudatos Dio in *Exc. Peir.* p. 759. (qui in multis a Capitolino abit:) Aur. Victor, Euseb. & Cassiod. in *Chron.* Jornand. de *Regn. Succ.* Suid. ubi de hoc Imp. agunt. adde Nummos hujus Imp. & Eorum Interpretes; maxime Beg. *Th. Br.* 708--710. Vaillant. *Num. Col. P.* 11. p. 62--68.

AVITVS (a) VARIVS (b) ANTONINVS (c)
HELIOGABALVS (d).



L O T I C H I U S.

Quis te jure tuæ dixit nupsisse novercæ
Infamis magnis , HELOGABALE, malis?
Vita cloaca fuit tua , cæsus es inque cloaca ,
Tybris ad has sordes vix fuit ipse fatis.

H O F M A N N U S.

*Infamis vixi , feci dixique nefanda ,
Scilicet Ausonius Sardanapalus (e) eram.
Hinc ego Tractitius (f) mea sum post funera factus ,
Totaque exuvias distulit uncus humo (g).*

E N A R R A T I O.



Tiam (a) Bassianus dictus est , ex avi & proavi materno nomine : (b) ex paterno nomine , erat autem pater ejus Varus Marcellus Syrus , qui ex Sohæmiade , filia Mæsx, quæ & ipsa Varia , eum suscepit. (c) Hoc nomen sibi asciverat , vel in argumentum generis , vel quod gentibus charissimum esse nosset , (d) a Sacerdotio Solis , quod gesserat. (e) Om-

mnium nequissimus foedissimusque, *alter Sardanapalus* proin jure dictus. (f) Quum Alexandro Sev. necem machinaretur, a militibus interfectus, unco per urbem tractus, ac in Tiberim projectus est, *Tractitium* hinc, & *Tiberinum*, per ludibrium, cum vocantibus, ann. 222. ætat. 18. Imp. 3. & paulo ultra: occisa cum eo mater quoque foemina probrosissima, & tali filio digna, cautumque, *Ne unquam mulier Senatum ingrederetur*. Æl. Lampridius *Heliogabalo*, Dio lib. 78. Herodianus lib. 5. alii. (g) Ejus tempore floruerunt, Hippolytus Episc. Portuensis, & Jul. Africanus Historicus Christianus, qui Legationem pro instauranda Emaunte, quæ postea *Nicopolis*, suscepit. Romæ Zephirino, martyrio sublato, substitutus Calixtus I. *quatuor temporum jejunium* instituisse fertur, circa ann. 220. Eusebius *Histor. Eccles. lib. 6. cap. 16. & 17.* Hieronymus *Catal. Scriptorum*, Platina *Vitis &c.*

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

ELAGABALUS oriundus fuit Emisa, Phœnices urbe, sed quam ille postea fecisse videtur Metropolim Mesopotamiæ cis Euphratem, ut ex Nummis Coloniae ejus colligimus. Genus Ejus hoc est: *Bassianus Elagabalus*, Phœnix, Solis Sacerdos apud Emisenos, habuit duas filias *Juliam Domnam* (Severi Uxorem, *Bassiani Caracalli & Geta Matrem*;) & *Juliam Masam*, nuptam *Julio Avito*, Viro Consulari; cui peperit hæc *Juliam Soamiadem*, nuptam *Vario Marcello*, Senatorii ordinis Viro, qui ex ea suscepit hunc *Elagabalum*, ante *Avitum* ex *Avi* materni nomine, & a Proavo materno *Bassianum*, a Patre *Varium* dictum: porro *Julia Masa* eidem *Julio Avito* peperit & *Juliam Mamaam*, *Alexandri Severi*, (qui antea *Alexianus Marcellus* dicebatur:) ex *Genesio Marciano*, (si Dioni credimus:) matrem, Christianis Sacris ab Origene vel imbutam, vel firmatam. voluit videri *Elagabalus* Bassiani Caracalli F. furto seu clandestinis nuptiis conceptus, cum Soæmias in aula apud Materteram *Juliam Domnam* hæret, hinc talem se venditavit in Inscr. & passim. Hujus hoc unum laudabile, quod cum publice privatimque ad literas *Macrini* plurimis esset injuriis affectus, de nullo supplicium sumserit. Opera Ejus publica sunt: Templum Elagabali Dei in monte Palatino juxta ædes Imperatorias, & alterum in suburbano prope Romam; Amphitheatri exusti instauratio; Lavacrum in Vico Sulpitio; Porticus ad Lavacrum Caracalli exstructæ, & post ab Alexandro perfectæ; Plateæ in Palatio saxis Lacedæmoniis ac Porphyreticis (sub Diocleriano rursus erutis:) stratæ, hinc dictæ *Antoniniana*; Viæ quædam munitæ in Lusitania, Italia, Germania, (quas recensuimus in *Notis* ad Bergier. de *Vitis Publ. l. 19. §. 4. 6.*) Sidonem Phœnices urbem Coloniam deduxit, Veteranis in eam transmissis, *Aureliam* appellavit & provinciæ metropolin fecit. Marcomannis cum bellum inferre cuperet, dictum est a quibusdam: *carminibus &*

consecratione, jussu M. Antonini, Marcomannos Pop. Romano devotos esse, nec unquam fore hostes. quæ cum inquireret, suppressa sunt. constabat enim ob hoc consecrationem, seu magicam devotionem ab eo quæri, ut eam recantaret spe belli concitandi, & idcirco maxime, quod audierat responsum fuisse: *Ab Antonino bellum Marcomanicum finiendum esse.* Scilicet, id si finiret, ne videretur Pseudantoninus & subdititiis. Uxores III. habuit: *Juliam Paullam*, Julii Paulli PF. PR. Filiam, quam ob maculam corporis dimisit: rapuitque, nefarium scelus ægre ferente Senatu, *Juliam Aquiliam Severam*, Vestalem formosissimam, ut scilicet Sacerdoti Sacerdos nuberet, cavillatus, verum solita levitate mox hanc fastidit, & vagis nuptiis deditus, ad *Anniam Faustina* tandem animum applicuit, cujus rursus pertæsus ad *Severam* rediit. Ad suum Deum *Elagabalum* voluit transferre Judæorum, Samaritanorum & Christianorum religiones. Fuit homo omnium impurissimus, effæminatus, magus, indomitæ libidinis catula, ipse Matris mancipium, Senatum *togata mancipia* contemtum appellabat, etiam dictus *Ludibrium Publicum*. Lamprid. tamen c. 30. credit, multa fidem transeuntia esse ficta ab iis, qui in gratiam Alexandri Elagabali deformare voluerint; vocatque *Antoninorum ultimum* passim. periit VI. Id. Mart. Imperii an. III. mens. IX. die 4. A. U. C. 975. Præter laudatos Historiæ Augustæ Scriptores Græcos & Latinos, sæpe jam dictos, circa res Elagabali, adde Casaub. & Salm. ad Lampr. *Elag.* Euseb. in *Chron.* & in *cod.* sequentem id Calliodor. Eutrop. & ibi Chr. Cellarium; Spanhem. de *P. N. Diss.* II. p. 92. Vailant. *Num. Col. T.* II. p. 73--112. Grut. *Inscr.* 158: 3. 4. 163: 8. 1078: 7. Valef. ad *Excerpt. Peir.* p. III. 112. Scalig. ad *Euf. num.* 2234. Fuller. *Misc. Sacr.* I. 14. Baron. ad *A. C.* 220. Voss. de *Idol. Gent.* II. 5.

A. ALEXANDER SEVERVS (a).



LOTICHIVS.

Nomen ALEXANDRI referam quo nomine, cujus
 Enthea facta decus commeruere grave?
 Justus is, & multis virtutibus auctus, obivit
 Extremum citius non minus inde diem.

HOFMANNVS.

*Clarus Alexander sequitur virtutibus (b) atque
 Æmatio suppar consimilisque Duci (c).
 Marte potens (d) simul & pacis (e) consultus, iniquis
 Sævus iudicibus (f), Christicolisque (g) favens (h).*

ENARRATIO.

ARsena (a) Syriæ urbe genitus, patre Vario, matre Mam-
 mæa, Sohæmiadis sorore, sicque Heliogabali consobrinus,
 Imperium accepit, ann. C. 222. Antonini vero cogno-
 men sibi delatum respuit, utpote ab Heliogabalo deho-
 nestatum & propterea ex Annalibus erasum, (b) pacis bel-
 lique, ut paulo post. (c) Alexandro M. quo nomine ut
 dignus videretur, elaborabat, imo ut Macedonem illum vinceret, Lampri-
 dius in eo, cap. 50. (d) Artaxerxem Persam, Chosroum auctorem, qui
 Parthico regno, Rege ejus Artabano cæso, finem imposuit, ann. 229.

sicque Persarum in Oriente instauravit Imperium, (unde Magis pretium, Agath.) devicit & triumphavit, ann. 234. Lampridius *in eo*. Herodianus tamen victum illum, & multas Imperio provincias a Persa ereptas refert *lib. 6.* (e) Adulatores & scurras aula ejecit; Magistratus venales esse prohibuit, *non posse fieri, quin, quod quis emisset, illud venderet*, ajens; rectores provinciis vitæ inculpatæ, Christianos in Sacerdotibus eligendis imitatus, præfecit; ad offensionem usque matris humanus, cui exprobranti, *poteſtatem Imperii contemptibiliorem* sic fieri, respondit, *sed securiorem atque diuturniorem* &c. (f) Usque adeo, ut ad conspectum eorum totus cohorresceret, & ubi dabatur, proprio digito oculos erueret. (g) In Larario suo inter Divos Principes & animas sanctiores, CHRISTUM quoque coluit, Christianos sustinuit, illisque locum popinariorum, quem hi illis controversum reddebant, adjudicavit. Ab iisdem haustum Christi dictum, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, sæpiſſime per præconem repetiit, & publicis operibus inscribi curavit. (h) Post Persicum bellum, ad Germanicum profectus, ut Germanos Gallias infestantes compesceret, pecunia rem tentavit, hincque militibus in odium adductus, a Maximino, una cum matre, cui nimium tribuebat, Moguntia occisus est, ann. C. 235. ætat. 29. Imp. 13 postquam cXVI. Senatorum consilio, Ulpiani præsertim, quem Prætorio Præf. creaverat (nocturna militum irruptione confossum) citra sanguinem, ne uno quidem occiso, Remp. egregie gessisset. Herodianus *lib. 6.* Lampridius, Aurel. Victor, Xiphilinus, alii, *in eo*. Ejus principatu, Dio Cassius Pannoniæ Præses, ac deinde Cos. in Bithynia decessit, historiaque ejus hic desinit. Ecclesia in pace fuit, non occulte Imperatore illis, ut dictum, favente; magis Mammæa matre ejus, quæ Antiochiam ad se Origenem, ut ab eo erudiretur, evocasse legitur. Vid. Euseb. *Histor. Eccles. lib. 6. cap. 20.* & P. Orosium *lib. 7. cap. 11.* Romæ tamen Calixtum martyrio coronatum, ann. 224. vult Platina, cui Urbanus I. *argenteorum vasorum & prædiorum non recusandorum* auctor, successerit, & ille securi percussus, ann. 232. Pontiano successore. Sub eodem Imp. sexta versio Vet. Test. incerti itidem Auctoris, in dolio inventa fuit Nicopoli, apud Actium promontorium, circa ann. 230. E quibus 6. memoratis versionibus, primo quidem Τέτραπλα, dein Ἐξαπλα sua, concinnavit Origenes, circa eadem tempora. Eusebius *Histor. Eccles. lib. 6. cap. 14---38.* & *Chron. num. 2246.* Epiphanius *her. 64. & de Ponder. & Mensur. alii.*



DECIMVS CLODIVS SEPTIMIVS (a) ALBINVS(b).



Supplementa HENR. CHR. HENNINI.

Te, CLODI, poterat per Amici fallere nomen
 SEPTIMIUS, vendens somnia, verba, dolos:
 Sic tibi blanditiis vere fuit ille SEVERVS!
 Dum captat volucrem fistula, dulce canit.

Tetraftichum Historicum.

Vos, ALBINVS edax, injustus, sordidus, atrox (c),
 Caesar & Imperio, Galle, Britanne regit (d):
 CLODIVS at cauti delusus ab arte SEVERI (e),
 Cum vita perdit credulus Imperium (f).

E N A R R A T I O.



Atre (a) natus primus (vii. Kal. Decembr. sub finem sæculi ix. ab U. C.) Cejonio Postumio, Matre Aurelia Messalina, sanctis quidem, & apud suos nobilibus, origine a Romanis familiis Postumiorum & Albinorum Cejoniorum tracta, Hadrumentum in Africa; sed Lare modico, patrimonio pertenui. cum, exceptus (b) utero, contra consuetudinem puerorum recens natorum non ruberet, sed candore totius corporis ipsum linteamen, quo excipiebatur, vinceret, Pater eum ducto hinc cognomine *Albini* simul *Albinorum* familiæ dedit. nato statim multa Imperii signa facta, quæ speciatim recenset Capitolinus. puer in Africa literis Græcis ac Latinis tantum mediocriter eruditus est, quod esset animi militaris & superbi.

perbi. hinc adolescens statim se ad militiam contulit, atque Antoninis per Lollium Sere-
num, Baebium Metlanum, & Cajonium Postumianum, suos Affines, innotuit. egit
Tribunus Equites Dalmatas, egit & Legionem Quartanorum & Primanorum: Bithyni-
cos exercitus eo tempore, quo Avidius rebellabat, fideliter tenuit. Deinde per Commo-
dum Imp. ad Gallias translatus, ubi fufis Frisiis Transrhenanis, (si vera est hæc Capi-
tolini lectio, notandum erit, hanc esse primam *Frisiorum* in Historia Romana mentio-
nem:) celebre sibi nomen peperit. hinc accensus Commodus Ei *Cæsar*, nomen, dandi
stipendii usque ad tres aureos facultatem, pallii coccinei & purpuræ, sed sine auro, usum,
luculenta epistola sua manu scripta, quam servavit Capitolinus, detulit. Quibus omni-
bus ille prudenter abstinuit, dicens: *Commodum querere, qui aut cum Eo perirent, aut
quos cum caussa ipse posset occidere*. Facta Quæsturæ gratia, Aedilis non amplius, quam
decem diebus fuit, quod ad exercitum festinanter mitteretur. deinde Præturam egit sub
Commodo famosissimam; quippe in cujus ludis Commodus & in foro & in theatro
pugnæ exhibuerit. Cos. a Severo declaratus ac designatus est eo tempore, quo Albi-
num sibi cum Pescennio paraverat subrogare. M. Imperatori valde probatus fuerat,
qui eum in locum Cassii Papirii Cos. prope jam exanimis nunciati, voluit subrogare
Consulem. Inter ejus vitia fuit gula (c) edax, pomorum enim tantum hausit, quan-
tum ratio humana non patitur. nam jejunos comedit 10 ficus passarias sive callistruthias,
c Persica Campana, Melones Hostienses x, uvarum Lavicanarum pondo xx, ficedu-
las c, & ostrea cccc. ita in convivio sordidissimus, soli studens copiarum fuit. Vinosum
plerique fuisse tradunt; certe sæpe appetens vini, frequenter abstinens fuit. cum suis
nunquam cœnavit, vel propter vinolentiam, vel propter morum acrimoniam. Uxori
odiosissimus, servis injustus, atrox circa militem, iracundia gravi & furore tristissimo;
nam sæpe & ordinarios Centuriones, ubi causæ qualitas non postulabat, in crucem su-
stulit: verberavit certe virgis sæpissime, neque unquam delictis pepercit. mulierarius
porro inter primos Amatores. judicio Apollinis Delphici *peffimus*, Nigro *optimo* & Se-
vero *bono* comparatus. Juliano Pertinacis occidendi auctor quoque fuit. Virtutes tamen
suas idem habuit. Cinædorum osor & persecutor fuit: Agri colendi peritissimus, ita
ut etiam *Georgica* scripserit: nec illiteratus, qui *Milesias* ipse scripserit, famæ non igno-
bilis; amator ipse *Milesiarum Apuleji*: Senatus Romani cultor egregius, hinc illi vicif-
sim percarus, quantum nemo Principum, magis etiam in odium Severi crudelioris: in
vestitu nitidissimus: olim Reip. utilis, & M. Imp. teste, homo exercitatus, vita tri-
stis, gravis moribus, constans, dignus consulatu, Armorum strenuus adeo; ut *sui tem-
poris Catilina* diceretur. *Cæsar* (d) *sophismate politico adfectus*, cum regeret Albinus Bri-
tannicos Exercitus, a Severo Imp. & post *Imperator* in Gallia appellatus ab exercitu, arti-
bus tandem Severi deceptus (e) ac a Senatu hostis judicatus ac bello oppressus est. Severus
enim parus ac socii impatiens, filiis jam majusculis studens, Albini amoris invidens, preci-
bus maxime suæ uxoris adductus, eum primo tentaverat veneno; deinde immisit, sub spe-
cie quinque tabellariorum stipatorum, percussores cum blandissimis literis, quibus nomi-
nat & salutatur *Fratrem amantiissimum & desideratiissimum, Fratrem animi sui, Fratrem Im-
perii*; claudens: *mi unanime, mi carissime, mi amantiissime*: cumque hi velut secreta man-
data dicturi Eum cupidius remotis arbitris seducerent in porticum longissimam, Albinus
insidias intelligens easdem per quæstionem detexit. hinc aperto bello missaque hæcenus
socordia ipse ingenti exercitu collecto ex Britannia in Galliam contra Severum ejusque Du-
ces venit; variaque fortuna pugnavit: tandem apud Lugdunum fraude Læti, qui Seve-
rum ex equo deciduum, abjectoque paludamento delitescens perierat, ex Specta-
tore pugnae sibi vindicaturus Imperium cum recentibus copiis supervenerat, cruento præ-
lio devictus est, Lugdunum direpta & incensa. ipse Albinus (f) sive sua ipsius, sive servi
sui manu, sive a militibus suis, in gratiam Severi, percussus semivivus ad Severum dedu-
ctus est, qui semineci caput amputari, illud pilo circumferri, ac missum Romam cum mi-
nacissimis adversus Albini amicos (quos homo crudelis ex scrinio literarum Albini intercep-
to maligne enotaverat, & deinde per Senatum hostes judicari mandaverat:) literis, hoc ca-
put ibi in patibulo publice spectandum præfigi jussit. factum hoc x. Kal. Mart. A. U. C. 951.
cum Albinus ultra LX. annos ætatis foret, quippe qui major Pescennio Nigro ad Imperium
venerit. Ajunt Albini truncum corpus ante Severi prætorium per dies plurimos usque ad fœ-
torem jacuisse, tandem a canibus laniatum in profluentem abjectum, una cum uxoris & li-
berorum interfectorum cadaveribus. item equum adactum super Albini cadaver ab insi-
dente Severo; qui tamen ante cum Albino potestatem participaverat, nummis hujus ima-
gine percussis, statuis erectis, aliisque honoribus. Fuerat Albinus statura procerus, capillo
renodi acrispo, fronte lata, ac candore mirabili, voce muliebri ac pæne Eunuchi, mo-
tu facili. Hæc accurate concinnavimus præcipue ex Herod. lib. III. & Dione in rebus Seve-
ri: Spartian. Sever. c. 10. 11. Capitolin. in Albino; adde Nummos ejus, & horum In-
terpretes, Suid. & cæteros sæpius laudatos.

M. OPELIUS (a) ANTONINUS (b) DIADUMENIANUS (c).



Supplementa HENR. CHR. HENNINI.

MACRINI consors Patris DIADUMENUS adsum,
Nascenti nomen cui Diadema dedit.
Natus ad hoc solum videor, tanto omine, Cæsar
Cæsus ut hinc animam purpuream vomerem.

Tetraftichum Historicum.

*Quid prodest Genesis felici sidere nato (d)?
Quid clarum Nomen (e)? quid Diadema mihi?
Post tria lustra necor vite DIADUMENUS insons (f);
Miles at ut sævo non dederat veniam (g).*

ENARRATIO HENR. CHR. HENNINI.



Entile OPELII (a) nomen ita constanter in Nummis (nam Rupert. ad Befold. *Syn. Min. c.* 14. *p.* 348. errat, cum ait in Nummis legi OPILIUS:) & Inscr. mihi visis exaratur; in libris scriptis vero occurrit OPILIUS. In Inscr. réperio *M. Opilium Restionem, militem Legionis XXII. Antoniniane*, Grut. 87: 4. *M. Opellium Adjutorem, Ivirum Coloniae*, Gr. 3: 2. Engedini in Transylvania; & Albæ Juliæ *M. Opellium Secundum*, qui *Silvano Domestico V. S. L. M.* Reines. I. 103. *Cario Chron. l. III. in Macrino*, nescio quo errore facit *Popilium ex Opelio*, quem errorem Alii hujus exscriptores adoptarunt. *Antonini (b)* nomen vel a Patre accepit, ut suspicionem a se interfecti Antonini

nini Bassiani Caracallæ tolleret militibus; aut quia tantum desiderium nominis hujus erat, ut nisi populus & milites *Antonini* nomen audirent, Imperatorium non putarent, hinc Pater Eum participem imperii *Antoninum* appellari jussit a militibus, & Senatui impudentius scripsit, „ *imperio & nomine Antonini a Milite donatum Diadumenum, ut cohonestaretur prius nomine, sic etiam Regni honore* „: petit dein, de. „ ut *p. c. bono faustoque omine illud approbent, ne ipsis deesset Antoninorum nomen, quod maxime diligenter* „. & hoc Senatus, odio Caracallæ, videtur approbavisse. hoc autem *Antoninum* nomen illo ævo vel ipsis Deorum nominibus clarius habebatur, unde Commodus vitio vertebatur, quod *Herculis* nomen præ illo *Antonini* adscisceret: nomen erat, in quo per tres Principes *Antoninum, Verum, Marcum*, Sapientia, Bonitas, Pietas erant consecrata. Hinc Macrinus epistola ad Uxorem gloriatur, „ non tam se ad Imperium pervenisse, quod etiam indignis Fortuna „ concesserit; quam quod Antoniniani nominis ipse Pater & illa Mater essent facti. „ hoc bonum carere æstimatione „: unde exclamat: *O nos beatos, o fortunatam domum, præclaram laudem nunc demum felicitis Imperii!* Rupertus vero *l. l.* ubi viderit Nummos *Diadumeniani*, addito vel *Macrini*, vel *Pii* cognomine, quæro. In Inscr. Grut. 50: 4. *Herculi. Victori. pro. salute. Imp. Cæs. M. Opelii. Aureli. Severi. Macrini. Aug. L. Juventius. L. F. Ter. Severus. Aug. N. Dispensator* nescio quod solvit, quæ Inscr. per errorem in Indice Scaligerano XXI. adscribitur *Diadumeniano*. (Cæterum cum hac Inscr. Nummus *Macrini* convenit in Begeri *Thef. Brand. p. 708.* ubi *Salutis Sacrum*, & epigramma: *VOTA. PUBL.*) *Diadumenianus* (c) cognominatus est, quasi *Antoninorum* familiæ per adoptionem insertus, more Romano, sic nominati *Octaviani, Emiliani*, Aliique post adoptionem. *Diadumenus* dictus primum, cum adolevit, est, vel ex nomine Avi Materni, Græca flexione; Ergo Avus Maternus fuerit *Nonius Diadumenus*. Singulare tamen est, quod in Nummo Cæsareæ Palæstinæ occurrat: *M. Opel. Diadumeno. Au.* ap. Foy-Vaillant *Numm. Colon. T. II. p. 71.* obiter noto Genti *Noniæ*, cognomen *Macrini* usitatum fuisse, Testibus Inscr. Gr. 19: 2. 441: 10. 862: 4. 877: 4. 899: 4. 1097: 8. Puer vero, Latina flexione, *Diadematus* vocatus est, quia, cum nasceretur, loco pilei naturalis, qui ex foetus involucris membranis subinde caput nascentium cingit, habuit velut *diadema* tenue, sed ita forte, ut rumpi non potuerit. Natus est, ut videtur, in aula Caracallæ, in conclavi clararum purpurarum, die & hora natali Antonini Pii, XIX. Sept. circa A. U. C. 955. Chr. 203. Omina Imperii (d) stupenda statim fuerunt, nam præter vina modo dicta, diadematis & porphyrogenesis, Patri in agro XII. purpureæ oves natæ; die eadem, qua natus est, Aquila Ei sensim palumbum regium parvulum attulit, & posuit in cunis dormienti, & sine noxa recessit: Pantagathi (sive aves omnia bona spondentes,) in domo Patris Ejus nidum posuerunt; Mathematici ex Genitura affirmabant, Eum & Imperatoris Filium, & ipsum fore Imperatorem, unde fama nata, Matrem Ejus fuisse (forte a Caracalla, tum collega Imperatore Severi Patris:) adulteratam; puella *Diademato* in agro ambulanti aquila pileum abstulit, & facto comitum puellorum clamore, in monumento Regio, quod juxta villam, in qua tum Pater erat, supra statuam Regis posuit, ita ut capiti ejus aptaret; omen Imperii, sed lethiferi; Leo ferus ruptis vinculis elapsus infantem Eum in cunis delinxit & inviolatum reliquit; Mulier propinqua super recens nato, die natali Antonini, exclamavit: *Antoninus vocetur!* nam tam amabile & nobile erat (e) illis temporibus nomen *Antoninorum*, ut qui eo nomine non niteretur, mereri non videretur Imperium. Sed *Diadumenus* vera dictus est allusione: *Antoninus in somnis*; nam Imperatorium hoc nomen &, ceu notho, post paullo longi somni æterni tempora attulit. Mater illi fuit *Nonia Celsa*, quæ in Nummis Græcis & Latinis apud Goltz. in *Theaur. p. 61.* dicitur *Augusta & cεβαρην*, fæmina prostituti pudoris, *centum quæ Mæchos passa est, centumque rogavit*; quam *calvus Mæchus, Macrinus*, stupro prius cognitam deinde uxorem duxit. Quod si vere illius *Diadumeniani* sunt Epistolæ ad Patrem & Matrem ap. Lamprid. in *Eo, c. 8. & 9.* & ad Milites allocutio *c. 2.* tum fuit stili satis terfi & animosi Genii. Magistrum habuit *Celianum*, Rhetorem Afrum. *Diadumenianus* mox a Patre sub nomine *Antonini*, (quod tandem per Elagabalum ad sordes ultimas pervenit, querente Capitolino in *Macrino c. 7.*) ad spem Imperii destinatus est. Puto autem primo *Diadumenianum* circa 12. April. an. Chr. 217. factum fuisse *Cæsarem*, seu *Principem Juventutis*, hinc in Nummis apud Goltz. *l. l. Cæsar*, item *Cæsar Macrini Aug. Ail.* item *Cæsar, Princeps Juventutis*, inscribitur; & Eidem in

In Inscr. apud Grüt. 171: 5. *Principi Juventutis C. Perpennianus V. C. Praef. Urb. D. D.* nescio quid. Quantum ex Nummis colligo, putem ad consortium Imperii & titulos *Augusti*, ac *Tribunitiae potestatis* adscitum in *Consulatu II.* Ejus an. Chr. 218. ineunte: nam priore anno *Cos.* factus est sine dubio, alterutro COSS. ejus anni abdicante. Nummi apud Goltz. l. l. *Imp. Cæs. M. Opel. Ant. Diadumenian. Aug. Pontif. TR. p. Cos. II.* item: *ΑΥΤ. Κ. Μ. ΟΠΕΛ. ΔΙΑΔΟΥΜΕΝ. ΑΥΤΩΝΙΝ. ΣΕΒ. ΔΗΜ. ΕΞ. ΤΡΑΤ. Β.* Alii priores habent: *M. Opel. Ant. Diadumenian. Cæs. Cos. Princ. Juventutis*: item: *Cæs. Princ. Juvent. Cos. des. II.* item: *Cæs. Pontif. Cos. des. II.* Unde colligimus illum primo factum *Cæsarem*, & *Principem Juventutis*, (nam sunt Nummi, qui hæc habent, omisso *Antonini* nomine:) deinde *Antoninum*; mox *Cos.* tum *Pontif.* porro *Cos. des. II.* & subinde *Cos. II.* actandem *Imp. Cæs. Aug. TR. Pot.* Hic obiter notandus est quorundam Doctorum error, quinegant in Nummis *Diadumenianum Augustum* vocari: & tamen revera fuit *particeps Imperii paterni*, Capitolin. in *Macrin. c. 5.* In Literis modo laudatis scribit: *Patri Augusto Filius Augustus.* In allato Nummo Cæsariensi Palæstino: *M. Opelius Diadumenus Augustus* legitur: sic & in Tyriò Nummo ap. Foy-Vaillant l. l. p. 72. *M. Op. Diadumenian. Aug.* Hoc verum est, Nummos *Diadumeniani* cum titulo *Augusti* rariores esse, quam cum titulo *Cæsaris*; illi autem indicant, populos, qui *Augustum* appellavere *Diadumenianum*; Macrino contra Elagabalum favisse. vide l. l. Hinc Lampridius taxat, in *Eo c. 2.* Herodianum, qui ait *Diadumenianum tantum Cæsarem; cum Patre occisum.* Sed & ipse vicissim c. 1. errat; cum ait, contra Nummos: *simul cum Patre Imperatorem dictum ab Exercitu. Antoninum & Cæsarem* Edessam & Carras apud Exercitum; vel Antiochiæ Syriæ *Augustum*, paullo ante procinctum contra Elagabalum, in castris juxta Cæsaream Palæstinam Tyrumve, aut forsan etiam Antiochiæ, ubi marcebat Macrinus; factum putem *Diadumenianum*: nam cum Caracalla occisus est, quadriduo post Imperium rapuit *Macrinus*, filiumque *Antonini* nomine donavit acclamante milite; & quia statim apud Antiochiam moneta *Antonini Diadumeni nomine percussa est*; Lamprid. in *Diad. c. 2.* Vide hic Bege- rum l. l. p. 709. 710. ubi Nummus Antiochenus: *ΚΑΙ. Μ. Ο. ΔΙΑ. ΑΥΤΩΝΙΝΟΣ Σ. (i. è. Σεβαστος.) S. C.* & in adversa facie: *ΑΥΤ. Κ. Μ. ΟΠΕ. ΜΑΚΡΙΝΟΣ*; hujus vultus laureatus, habitus sagatus: illius togatus, caput nudum; qui nummus confirmat & postremam suspicionem meam. *Macrinus* porro in honorem Filii *Antonini* paraverat populo *pænulas* coloris rosei dare, quæ vocarentur *Antoniniane*; ut *Caracalle* Bassiani *Antoniniane* dictæ sunt, asserens melius Filium suum *Pænuleum* vel *Pænularium* dicendum, quam *Caracallus* esset dictus Bassianus.

Promisit & *Congiarium Antoninianum*, Populo Romano per Edictum; item ut Filius institueret, ad tam grati nominis gloriam propagandam, *Pueros Antoninianos & Puellas Antoninianas.* huc refero Nummum Macrini ap. Beger. l. l. p. 708. LIBERALITAS AUG. cum *figura muliebri stolata, dextra tesseram, sinistra cornucopiæ tenente*: & alios ap. Vaillant. in *Numm. Aereis*, item *Aur. & Arg. in Macrin.* in quorum uno *Macrinus cum Filio sedet in substructione, adstante Liberalitate, & in imo figura togata.* Porro, in honorem Filii, *signa* in castris & *vexilla* fieri *Antoniniana* Macrinus jussit; & ad Milites sibi Filioque conciliandos, *stipendium* & Legionariis & Prætorianis dedit solito uberius; pro Imperio aureos ternos, pro *Antonini* nomine aureos quinos, & solitas promotiones, sed geminatas; eademque promisit redonatum iri per cuncta quinquennia. tantundem promisit Filius. huc respiciunt Nummi *Macrini* inscripti: FIDES MILITUM, ubi *figura stolata gemina hinc & inde signa militaria*, apud Beger. l. l. p. 708. & *Diadumeniani* inscripti: PRINC. JUVENTUTIS; ubi *figura paludata stans, inter tria signa militaria, quorum unum dextra, alterum læva tenet*: in alio: *figura paludata, sinistra hastam tenens, a tergo duo signa militaria.* ibid. p. 710. *Antoninus* vero promisit in Allocutione ad Milites, „Se elaboraturum, ne deesset nomini *Antoninorum*: „scire enim, Se *Pii*, Se *Marci*, Se *Veri* suscepisse nomen, quibus satisfacere per- „difficile sit„. Itaque dies septem supplicatio pro *Antonini* nomine celebrata est; nam erat puer omnium speciosissimus, statura longiuscula, crine flavo, nigris oculis, naso deducto seu aquilino, mento ad omnem decorem composito, ore promi- nulo & velut ad oscula parato, fortis naturaliter, exercitio delicatior. ubi primum indumenta coccea & purpurea cæteraque castrensia Imperii insignia accepit, quasi si- dæreus & cœlestis emicuit, ut ab omnibus venustatis gratia amaretur. hinc Nummi

Ejus inscripti : SPES PUBLICA ; cum *figura muliebri stolata stante , quæ dextra florem tenet , læva vestem sublevat.* At Spes hæc fefellit. nam (f) anno ætatis XVI. ut plerique , vel x. si credimus , (modo vera sit lectio :) Dioni LXXVIII. p. 902. qui ait , a Patre *Filium Imperatorem , licet annum decimum ageret , designatum :* Filius , dum Pater victus fugitivusque occiditur , fugæ comes 8. Junii an. Chr. 218. capitur & a quibusdam militibus servari poterat , nisi Notarius literas Ejus ad Patrem Matremque prodidisset , easdemque Cubicularius concioni militum prælegisset , in quibus ultra ætatem sævus (g) videbatur : in illis enim Patrem quasi (& sane summo judicio.) reprehendit , quod *tyrannidis affectatæ conscios reservavit : hoc nec debuisse fieri , nec potuisse ; quia jam Ipsum exulcerati suspicionibus amare non possunt ; & crudeliores inimici sint , qui obliti veteris familiaritatis se inimicissimis Ejus junxerint : quod exercitus adhuc habeant ; ut saltem spem hæredis respiceret ; feriendos esse istos , si velit esse securus : nam vitio generis humani alios non esse defuturos , cum isti servarentur.* Ad Matrem : *Dominus noster & Augustus nec Te amat , nec Ipsum Se , qui Inimicos suos servat. Age igitur , ut Arabianus , & Tuscus , & Gellius ad palum deligentur ; ne , si occasio fuerit , non prætermittant* (scilicet cogitata perficere.) His literis incensi milites & ipsum *Diadumenianum* interfecerunt , & caput præcisum pilo circumtulērunt in gratiam Elagabali. Hæc concinnavimus ex Scriptoribus , Nummis , Inscr. obiter indicatis , quibus adde : Herodian. lib. IV. & V. passim. Dionis Excerpta l. LXXVIII. & LXXIX. passim , in Exc. Peiresc. p. 759. & seqq. (qui in nonnullis diversus est a Lampridio & Capitolino.) Eutrop. Hist. Rom. l. VIII. in fin. Jornand. de Regn. Suec. p. m. 490. (qui tantum annum unum Imperii Macrino & filio adscribit.) Victor de Cæss. c. 22. Epitom. c. 38. Oros. VII. 18. Harduin. Numm. Antiq. Illustr. passim : Vaillant Num. Græc. in *Diadumeniano.* Labet hanc vitam obsignare gravi judicio Aventini Ann. Bej. l. II. p. m. 116. *Jam Milites cadibus & sanguine Caesarum imbuti , simul luxuria perditæ avaritiæ & pecuniæ studio depravati , omnia venalia habere cœperunt. Ubi nummorum major aurique fulgor affulsit , continuo consilium iniere Principis mutandi : in Eumque summam rerum transferendi , qui plura largiturus sperabatur. Verissime Romano Militi Lucanus exprobrat : nullam fidem pietatemque , Venales manus ; & quod illis ibi fas , ubi maxima merces.*



C. JULIUS VERUS MAXIMUS.



Supplementa HENR. CHR. HENNINI.

His ego laudatus CÆSAR, culpatus ab illis
 MAXIMUS, & formæ lumine gratus eram.
 Sed Pater exosus me perdidit & mea vita:
 Stare diu sævis Regna superba nego.

Tetraslichum Historicum.

JULIUS (a) et VERUS (b), cognomine MAXIMUS (c) adsum!
 Et Patris consors omine (d) CÆSAR (e) eram:
 Egregius forma (f); Pater haud Mezentius (g) esset!
 Servandum (h) at letho vita superba (i) dedit.

ENARRATIO HENR. CHR. HENNINI.



hic JULIUS (a) ex humillimo & abjecto genere Thracio per Patrem oriundus, ut has sordes tegeret, Patrem imitatus *Julio* nomini se instruit, & ne falso genere superbire videretur, eadem audacia qua Pater, addidit *VERI* (b) cognomen, ut qui *Verus* & vere esset *Julius*: superbia vero adoptavit porro cognomen (c) *MAXIMI*, loco cognominis Paterni *Maximini*, quasi futurus esset rebus gestis longe major Divo Julio imo Juliorum *Maximus*. Capitolinus in *Eo*, & *Maximinis duobus*, vocat *Maximinum Juniores*; Aurel. Victor de *Cæss.* c. 25. utrumque vocat: *C. Julium Maximinum*. sic & Græci Scriptores nominant *Maximinos*. sed in Inscr. Pater est. *Imp. Cæs. C. Julius Verus, Maxi-*

Maximinus P. F. Inuictus Aug. P. M. P. P. TR. POT. III. COS. Germanicus Maximus, Dacicus Max. Sarmaticus Max. Grüt. 158: 6. in Inscr. 151: 5. est *TR. POT. V. Imp. VII. P. P. Procos.* in Inscr. Segusiana apud Foy-Vaillant. *Num. Col. T. II. p. 134.* vocatur insuper: *Optimus Maximusque Princeps.* Filius vero tam in Inscr. quam Nummis est semper *Maximus*: plenus titulis in Inscr. l. c. *Julius Verus Maximus, Nobilissimus Caesar, Princeps Juventutis, Germanicus Maximus, Dacicus Maximus, Sarmaticus Maximus*: in Nummis ap. Goltz. *Thesaur. p. 65. C. Jul. Maximus Cæs.* item: *Julius Verus Maximus Cæs.* item: *Maximus Cæs. Germ. Princeps Juventutis*: item: Γ. Ιουλ. Μαξιμος καισ. item: Γ. Ιουλ. Ονηρ. Μαξιμος καισ. cui additur in alio: ρεpp. tandem: *Imp. Cæs. C. Jul. Verus Maximus Aug.* cui in simili additur: *Germ.* natus est Macrino aut Elagabalo imperante, si ætatem respicimus occisi, vel 21. vel 18. annor. anno Chr. 217. aut 221. si hoc anno, locus natalis erit incertus, Patre Tribuno tum huc illuc discurrente, ne Elagabalum salutare ejusque manum osculari cogeretur; si illo, tum Pater latuit in vico natali Thracico commercia cum Gotthis exercens, adeo & ibi forsan Filius natus erit: Alii Romæ natum volunt. Pater dictus est: Mater fuit *Julia Paullina*, si Tristano in *Ea* credimus, laudatissima fœmina, ob virtutes hinc a morte SC. consecrata, testibus nummis, in quibus *Diva* vocatur; ex quibus solis est eruta, argumento cælaturæ hujus ævi, item formæ & metalli similibus nummis *Maximini*, ac tandem faciei lincamentorum *Maximo F.* similibus. vide Vaillant *Num. Aer. p. 144.* & *Arg. & Aur. p. 138.* ex consecratione apparet, eam primis Imperii conjugis annis extinctam fuisse. Tacent Eam Historici; solus Ammianus l. XIV. pr. ita Ejus sine addito nomine meminit: *Eum Gallum Imp. potius lenitate fœminea ad veritatis humanitatisque viam reducere utilia suadendo debuisse, ut, in Gordianorum actibus, factitasse Maximini, truculenti illius Imperatoris, retulimus Conjugem.* (at illi libri Ammiani nondum exstant, si non plane perierunt.) Verum tamen an sit hæc illa *Diva Paulina*, nondum omnia adeo liquida. vide illustrem Spanhem. *de præst. & us. Num. Diff. VII. p. 632--634.* Uxorem *Maximino Juniori* date cogitaverat sororem suam *Theocliam* Alexander Severus, super qua re ad Matrem *Mameam* scripsit Epistolam, quam adfert Capitol. in *Maximino Juniore c. 3.* Deinde vero desponsata illi fuit *Julia Fadilla*, Antonini Abneptis aut Atneptis; postmodum nupta Toxotio, ejusdem Familiæ Senatori, & Prætori, carminibus editis noto. Omina (d) Imperii futuri hæc narrat Capitol. l. l. c. 4. Cum Grammatico daretur, quædam Cognata ei donavit libros Homericos omnes purpureos, aureis literis scriptos. Ipse puerulus ad cœnam ab Alexandro Severo rogatus in Patris honorem, quod ei deesset vestis cœnatoria, vestem ipsius Alexandri accepit. Cum infans esset, subito per publicum veniente vehiculo Antonini Caracalli, quod vacuum erat, conscendit illud & sedit in eo, vix ægroque a mulionibus carrucariis deturbatus. Patris lanceola sic fissâ est fulmine, ut tota, etiam per ferrum, scinderetur, & duas partes faceret; interpretantibus Haruspibus: duos Imp. non diuturnos, ex una domo, iisdem nominibus, futuros. Libet hoc loco attexere gravissimum Aventini judicium *Ann. Boj. l. II. p. 120.* Jam Milites insueverant tumultuario judicio Imperatores creare, & eadem temeritate tollere: Romanum Imperium, velut ludibrium pilæque Fortune, obscurissimo & humillimo cuique, præcipue per officia militaria, quasi per gradus, ascendenti in propatulo expositum direptui patuit. Nemini non ad tantum fastigium aspirare licuit: Opiliones, Bubulci, Suarii, Fabri ferrarii ad hoc culmen rerum evecti sunt: ne mulierculis quidem interclusa via fuit, quo minus arriperent, & longius opinione omnium mordicus tenerent. Tantæ prædæ (ut sunt animi mortalium avidi, & omnes sibi esse melius malunt, quam alteri:) plerique omnes inhiabant. inde pertinax Genituræ studium; somnia, qualiacunque etiam, nemo neglexit; nullus omnia, supra modum frivola, contempsit; instigabant insaniam hominum Haruspices, Augures, Vates, Astrologi consulti. prout Aquila temere conspecta addixit, vestis donata, salutatio, pecus recens natum, sedes locata, & hujusmodi nugamenta arrisere: ut dictum factumve ullum, & ventulus levissime afflavit, spem sibi Orbis potiundi stultissimi mortalium fecere; quæ res pluribus supremi periculi causa exstitit: pauci admodum, nec citra periculum tamen, voti compotes facti. hæc ille. Quod ad educationem, literis & Græcis & Latinis egregie imbutus & doctus fuit. in illis usus est Magistro Fabilio, Literatore & Poeta Græco; in his Philemone Grammatico Latino: In Oratoria Græca Doctorem habuit Rhetorem Eugamium, illo ævo clarissimum; in Latina Juhum Titianum Juniores: Juri attendit

attendit sub Jurisperito Modestino. hinc Severus in *Epistola allata*, Eum vocat *Scholasticum* & *ad Græcas munditias eruditum*. Ut Pater *Augustus* appellatus est ab Exercitu in Germania haud procul Moguntiaco, 18. Mart. an. Chr. 235. ibi tum ipse *Cæsar* (e) Patri additus & ab eodem ad consortium adscitus est, & factus *Princeps Juventutis*, ut ex Nummis & Inscr. constat: vide nummum ap. Beger. *The-saur. Brandeb.* p. 720. in quo *Maximi vultus togatus*, in averſa facie *idem palu-datus*, *dextra baculum protendens*, *at deorsum a tergo vergens hastam cuspidatam sinistra*, *duo signa militaria a tergo*. *Germanici* cognomen, ut ex Nummis constat, (vide Vaillant. *l. l. Æreor.* p. 145.) accepit SC. At ex Inscr. allatis li-quet, a Populis Provincialibus data quoque esse illi, æque ac Patri, cognomina *Dacici* & *Sarmatici*, singulis addito superbo illo *Maximi* epitheto. rationes horum ti-tulorum dabit Capitolin. in *Maximino Patre* c. 12. & 13. nam Patri Filius quoque comes expeditionum fuit perpetuus. *l. l. c.* 17. factus tandem est plane *Augustus*. hinc in Nummo mox allato, legimus in adverſa facie: *Maximus Cæs. Germ.* in averſa: *Victoria Augustorum*, sed clarissime in Nummis laudatis Goltzii, cujus fides in-juria & immerito a nonnullis nimium suspecta habetur: adeoque de illo eruditi Foy-Vaillant. *Numm. colon.* T. II. p. 135. ampliandum puto, cum ait: „*Maximum* in „ Nummis Romanis *cæsaris* nomen tantum præferre; quod etiam in Colonicis & „ Græcis hætenus observavit „. Sane disertis verbis, Capitolino teste in *Maxim.* *Jun. c.* 3. Pater ipse in quadam epistola dicit: *Ego cum propter affectum, quem* *Pater Filio debet, Maximum meum Imperatorem appellari permisi; tum etiam* *ut Populus Romanus & Senatus ille antiquus juraret, se nunquam Pulcriorem* *Imperatorem habuisse*. Hic enim Maximus (f) tam pulcer erat, ut passim amatus sit a procacioribus sæminis, quas vel prolem ex eo non pudebat quærere; infamiam certe apud Inimicos, ex ista formæ præstantia, nescio cujus corruptelæ & spurcitæ, quæ tamen longe ab Illius fuit vita, contraxit: statura erat decore procera; vestibus ultra mulierem nitidus & accuratus; Amicis Paternis nimium obsequens donando & largiendo; vitæ erat lætitoris, vini parcissimus, cibi avidus, maxime silvestris, ita ut non nisi aprugnam, anates, grues, & omnia agrestia ederet; adolescens utebatur aurea lorica exemplo Ptolemæorum, usus & argentea; item clypeo gemmato inaura-to, & hasta inaurata; fieri jussit galeas bucculasque gemmatas; spathas argenteas au-reasque, & omnino, quicquid Ejus pulcritudinem posset adjuvare. Sed nocuit Filio nimia Patris crudelitas (g), qua hic *Sciro*, *Typho*, *Gyges* traducebatur, (vide præ-ced. vitam:) ut 27. Maji an. 238. a Senatu cum Patre *Hostis publicus* & *Inimicus Senatus* sit declaratus, *Diisque Inferis devotus*, (Capitol. *Gordian. c.* 11.) propo-sito Eum occisuris præmio. hinc deinde facilitata cædes, quæ (h) licet *digna crude-litate Patris*, *indigna bonitate Filii* Capitolino in *Maxim. Patre* p. 24. videtur; qui in *F. c.* 6. addit, *prope pacem*, (*ingenti gaudio* super viso cæsi Patris capite:) *mærorem* fuisse, cum *Filii caput pariter pilo circumferretur*; Ælium Sabinum scri-„ bere, „ tantam pulcritudinem oris fuisse in Filio, ut caput ejus cæsi, etsi jam ni-„ grum, jam fordens defluente tabo, videretur esse caput umbræ cujusdam pulcerri-mæ „. Fuit Filius satis carus Coloniis. Vide Harduin. *Numm. Antiq.* passim: Vail-lant. *Num. Græc.* p. 145. 146. Miror hic temerariam audaciam Oudani, Vernaculi Belgæ Numismatographi de *Magnit. Roman.* in *Maximinis*: qui Filii *pulcritudinem*, æque ac Patris *truculentam savitiam* a Scriptoribus *confictas* affirmat: cum hanc con-firmet Herodianus Scriptor ejus ævi, & omnes uno ore reliqui: illam mox allata Pa-tris Epistola, & Epigramma Fabilii, Literatoris Græci, Præceptoris Maximini Ju-nioris, hujus imagini subiectum, ap. Capitolin. *l. l. c.* 1. ecquis reprobabit testes o-culatos? Culpatur tamen in Filio superbia (i) insolentissima, qua nulli honorato as-surgebat, qua fastidiose salutabat, qua salutantibus genua, pedesque osculandos præ-bebat. Fama cædis diversa est. Contigit ea in obsidione Aquilejæ, mense, ut puto *Julio* adulto an. 238. (nam quarto post cædem die nuncius Romam venit, qui *dies ludorum* erat, forte *Triumphalium* 20. Julii, ut colligo ex Capitolino in *Maxim. P.* *c.* 25. & mora quædam itineris, ac obsidionis denique Aquilejensis:) communior fa-ma est, medio die, cum a prælio quiesceretur, Patrem & Filium, quiescentes in tentorio, a militibus occisos; Capitol. *l. l. c.* 23. Alii Historici ajunt, ante oculos Patris, a militibus jam deserti, Filium interemtum, (an. æt. xxi. aut xviii. ut Alii. Capit. in *Maxim. F. c.* 1. dignitatis vero an. 3.) qui Pater & ipse mox manu sua se interfecerit, ut viriliter moreretur & ne hostium ludibrio servaretur. Capit. *Maxim. F. c.* 6. at Herodianus VIII. 4. & 5. paullo aliter hæc narrat: nempe „Exercitu ob „ tædium

„ tædium moramque obsidionis & commeatum inopiam mœsto, die a pugna vacuo,
 „ dum Maximinus sub tentorio quiesceret, & plerique aut in tabernacula, aut in
 „ suas quisque stationes digressi essent, repente visum esse militibus illis, quorum ad
 „ Urbem Romam sub monte Albano castra erant, atque in his liberi eorum conju-
 „ gesque relictæ, neci dedere Maximinum. quocirca eos occupata audacia sub me-
 „ dium ferme digressi ad Illius tentorium contendisse, conspirantibus una corporis cu-
 „ stodibus, postquam de signis militaribus Illius imagines detraxissent,
 „ prostratis in tentorio, cum Filio, ut ad eos loqueretur, continuo obtruncas-
 „ se, unaque P. F. P. R. & quoscunque caros Ille habuisset. cadavera ad ludibrium pro-
 „ jecta canibus dein volucrisque lanianda relictæ, missis tantum primo Ravennam
 „ ad Pupienum, (vide Capit. *Max. & Balb. c. 11.*) & ab hoc Romam Imperato-
 „ rum capitibus, addit deinde: „ hanc cædem doluisse Pannonios & Thraces, Sane in *Num. Colon. Foy-Vaillant. l. l.* videmus Maximinorum partibus valde addictos
 fuisse Thraces, ut Popularibus: adde Patin. *Num. Impp. p. 358.* Teste Capitolino,
Maxim. P. c. 23. capita contis præfixa Aquilejensibus ostentata sunt, statuarum atque
 imagines eorum dejectæ sunt; *ib. c. 25.* ex SC. cadavera Cæsarum Aquilejæ in vici-
 num profluentem ibi, *Notifonem* scilicet, projectæ sunt, sepultura vetita, memoria
 abolita, nomina erasa; (quod mihi videtur factum in Inscr. ap. Grut. 12: 2. ubi Pa-
 tris nomen studio erasum:) *ib. in Maxim. F. c. 5. & 6.* Capita Romæ pilo circumla-
 ta, & tandem in Campo Martio, insultante Populo, exusta sunt. Inter opera Filii
 quoque Publica debent referri Viæ Pontesque vetustate collapsi per Lusitaniam, una
 cum Patre ab Eo restituti. sed paucissimæ exstant Eorum Inscr. nempe Sc. erasæ aut
 perfractæ. Confer vitam præced. Patris. Sub his Impp. ante Expeditionem Germani-
 cam, per factionem a desciscensibus offensisque Sagittariis Armeniis aut Osdroënis
 creatus Tyrannus semestris, aut minusculus ContrImperator, *Quartinus, Tytus*, aut
Tycus nomine, (forte *T. Quartinius*, aut *Titius Quartinus*;) quem invitum inter
 primos erga Remp. domi forisque laudabilem, purpura circumdederunt, regio appa-
 ratu ornarunt, & quasi sui milites obsepserunt. at hic domi suæ ab amico Macedo-
 nio, qui sibi illum præpositum dolebat, interfectus, ejusque caput a proditore ad
 Maximum delatum est. Herodian. *l. l.* Capit. *Maxim. P. c. 11. & ibi Salmas.*
 Trebellius Pollio in xxx. *Tyrann. num. 32.* qui ait, Uxorem illi fuisse *Calpurniam*,
 sanctam & venerabilem fæminam, ex familia Pisonum, quam Majores Trebellii uni-
 viram sacerdotem inter sacratissimas fæminas adorarint, cujus statua, sua Trebellii
 ætate, in templo Veneris visa fuerit Argolica, sed aurata. de Persecutione Christia-
 norum sub his Impp. adde Ruinarti præf. in *Acta Mart.* Firmiliani *Epist. ad Cy-*
prian. numero 75. inter Cyprianicar. Euseb. *H. E. vi. 28.* Rufin. *vi. 19.* Niceph.
v. 25. Pagium *ad an. 235--238.* Baron. *A. E. ad hos an.* Dodwell. *de paucit.*
Mart. Fontibus porro, obiter in hac vita indicatis, adde Johan. Antiochen. in
Exc. Peiresc. p. 830. Suid. Zosin. *l. 1. & Zonar. in Eo*, Eutrop. *l. ix. pr. Jornand.*
de R. S. in Eo, (qui ait a Pupieno Aquileja occisum:) Oros. *vii. 19.* Victor *Epit.*
ii. 41. Engelhus. *chron. p. 86.* qui Gothum natione fuisse ait, quem Pupio (lege Pu-
 piennus) interfecerit. additque hæc notanda: *CTRIACUS, Brito, Papa, sedit an.*
1. & mens. 3. non ponitur in Catalogo Paparum, quia Papatui resignans, ivit cum
11000. Virginum, Coloniae passus cum iisdem. quanquam passionem illarum fuisse hic
factam, multis non placet: quia nondum erant Hunni; nec Christiani in tanta co-
pia Romam visitare solebant; nec adhuc erat Anglia; quæ omnia tamen leguntur
in passione Illarum.

P. SEPTIMIUS ANTONINUS (a) GETA (b).



Supplementa HENR. CHR. HENNINI.

Impatiens focii, (Fratrum quoque gratia rata est :)
 Occidis Fratrem trux *CARACALLA* GETAM:
 Ipsa sui maduit pereuntis sanguine Nati
 Mater, & hinc Furiae Te, *CARACALLA*, premunt.

Tetraficham Historicum.

Imperii vanum nomen (c), *Fraterque cruentus* (d),
Dira GETAM immerita Fata dedere neci (e):
 Divum, non Vivum voluit quem *Frater amarus* (f);
Manibus at pœnas hinc CARACALLA dedit (g).

E N A R R A T I O.

Elius (a) natus minor ex Julia Uxore secunda Severo Imp. natus Mediolani vi. Kal. Jun. A. U. C. 943. CHR. 190. qui hoc *Antonini* cognomine Filium, in spem successionis in Imperio, postquam idem nomen majori natu jam ante eadem de causa dederat, cohonestavit. ita hoc nomen quasi purpuræ Augustæ consecratum fuit per hæc tempora a Severo. *Geta* (b) vel a Patru, vel, quod credibilius, ab Avi paterni cognomine dictus est. verum Augustum illud *Antonini* cognomen, & tot omina futuræ purpuræ Imperatoriæ (c) tantum non vana fuerunt, cum in ipso ætatis flore & annuo tantum potitus Imperio per impium Fratrem, illud lutum sanguine maceratum, parricidio tolleretur. Fuerat adolescens moribus

moribus asperis, sed non impiis, decorus, retractator, gulosus, cupidus ciborum & vini varie conditi. Insigne in puero fuit, quod cum Severus, diversarum partium Viros occisurus, jactaret inter suos: *Hostes Vobis eripio*; & Bassianus usque adeo consentiret, ut eorum etiam liberos, si sibi consuleret, diceret occidendos; GETA interrogavit, quantus esset occidendorum numerus; cum dixisset Pater, ille denuo: *Habent-ne*, ait, *illi Parentes, aut Propinquos?* cum responsum esset; habere: *Plures ergo*, ait, *in civitate erunt tristes, quam læti quod vicimus.* imo pervicisset lenior ejus sententia, nisi cum P.F. P.R. Plautianus ac Juvenalis spe proscriptionum ditandi, tum Bassiani Fratris nimia crudelitas fuissent; huic enim (d) contendenti, omnes cum liberis occidendos partium diversarum, GETA dixit vero præfatio: *Tu, qui nulli parcis, potes etiam Fratrem occidere.* Fuit GETA in literis assequendis & tenax veterum Scriptorum, & paternarum etiam sententiarum memor, Fratri semper invisus; Matri amabilior, quam Frater; subbalbe canorus, vestitus nitidi cupidissimus, ita ut Patri doleret; si quid acciperet a præsentibus, id ad suum contulit cultum, neque quicquam cuiquam dedit. Familiare illi fuit, Grammaticis proponere, quomodo singula animalia vocem ederent. Sereni Samonici libros familiarissimos habuit. convivias, & maxime prandia, per singulas Alphabeti literas scientibus servis jubebat, v. gr. Porcellum, Piscem, Pernam, et c. paucis comis fuit in adolescentia. Post Parthicum bellum Severus ingenti gloria florens, Bassiano Imperii particeps renunciato, GETAM quoque *Cæsaris & Antonini* nomine donavit; & testamento reliquit ambos ex æquo Imperii hæredes. Sed statim a fato Severi enatæ inimicitia & discordia, maxime quod ad GETAM major spectaret pars, in congressibus probum, moderatum, lenem, honestissima studia & palæstræ artes tractantem, placidum in omnes atque humanum, fama & gloria quadam omnes allicientem ad amicitiam benevolentiamque. Matre ergo frustra concordiam tentante, visum fuit Fratribus, Imperium dividere, ne Romæ alter alterius insidiis pateret. scilicet, ut Europa & Africa ad septemtriones Antonino Bassiano, Asia & Africa Orientalis GETAE adjudicaretur; divina providentia Propontidis incursum sic determinatis: ut Bassianus castra ad Byzantium haberet; GETA in Chalcedone Bithyniæ urbe; quæ opposita inter se utriusque imperium tuerentur, atque a transmittendo prohiberent: porro ut è Senatorio ordine, quicumque ex Europa forent, in Urbe ipsa remanerent; reliqui GETAM sequerentur, qui sedem Antiochiæ aut Alexandriæ habiturus erat. verum Mater lacrimis & invidiosa, de se dissecanda, oratione, divisioni intercessit. nihilo tamen minus gliscebant indies odium atque discordia, ultro collidentibus ambos caussis; hinc frustra tentata veneficia in GETAM. Tandem impatiens (e) Bassianus, atque totius imperii cupidine flagrans, cædem molitur audacissimam. Insidiis enim latentibus frustra factis, necessarias existimavit cum periculo & desperatione conjunctas. Sic Fratris cubiculum per insidias irrupit, GETAM nihil tale expectantem lethali vulnere afficit, qui sanguine ad Matris pectus effuso mortem cum vita commutavit. Hoc fratricidium pudenda oratione cum per ambages apud Exercitus, tum apud Senatum excusare conatus est, sæviens in omnes GETAE familiares, domesticos & Amicos. Parricidium incorrupta militum pars acerrime accepit; denique non nisi querelis de GETA editis, animis militum delinitis, enormibus stipendiis datis, Romam Bassianus redire potuit. inter Amicos GETAE periit & Papinianus J.C. P.F. P.R. de quo Spartianus in *Carac. c. 8.* hinc putat natas fabulas responsi: *Non tam facile parricidium excusari posse, quam fieri: & Aliud esse parricidium, accusare innocentem occisum.* Bassianus cum GETAM occidisset, ac vereretur tyrannicam ex parricidio notam, audiretque posse mitigari facinus, si *Divum* Fratrem appellaret, dixisse fertur (f): *Sit Divus, dum non sit vivus.* atque ita eum inter Divos retulit, qualitercunque cum fama ob parricidium in gratiam rediens. attamen furore (g) poenas dedit Dirarum insectatione, quæ non immerito ultrices vocantur. Periit GETA v Kal. Mart. A. U. C. 946. CHR. 211. ætatis A. XXII. M. III. D. II. imperii A. I. D. XX. Hæc hausimus ex Dione l. LXXVII. in rebus *Caracallæ*, Herod. iv. 3. & 4. Spartiano in *Geta & Carac.* Aurel. Victor. *Epit. c. 37.* & laudatis alias.

CAJVS JVL. VERVS MAXIMINVS (a).
VIII. IMPERATORES ROMANI,
SUB DYARCHIA.



LOTICHIUS.

Thrax patria, MAXIMINE, feroci pectore sed trux
(MAXIMUS inde patri par tibi gnatus) eras.
Christicolas diris petiistis cædibus ambo,
Digni igitur diris cædibus ambo mori.

HOFMANNUS.

*Thrax (b), ferus ingenio (c), parvoque haud robore (d) pollens,
In CHRISTUM est ausus septimus (e) esse Nero.
Nec satis hoc, pugnos quoque Patrum in sanguine (f) lavit,
Hinc hostis (g) dictus, cum catulo (h) periit (i).*

ENARRATIO.

IMPERATOR (a) veteribus Inscript. homine scil. superbissimo tot nomina assumente, barbaricæ origini dissimulandæ. (b) Vico, in ultima Thracia, Barbariæ vicino, patre Gotho, matre Alana genitus: prima pueritia pastor, nonnunquam procer, sub Severo Imp. primum innotuit: (c) obtruncato Alex. Sev. primus sine Senatus auctoritate Imperium invasit, ann. C.

235. homo adeo crudelis, ut alii *Cyclopem*, alii *Buſiridem*, alii *Phalarim* vocitarent, & S. P. Q. Rom. vota in templis conciperet, ne unquam Romam videret. Germaniam incendiis vastavit, ann. eod. inde in Sarmatas bellum paravit Sirmii, ann. 236. (d) Cujus specimen, quod XVI. lixas uno sudore devicit, ut & alia Capitolino memorata. (e) Vid. paulo post. (f) Conciliatis omni arte militibus, cum a Senatu contemni se videret, in optimates per præfectos suos sævit. (g) Itaque a Senatu hostis Reip. judicatus, & contra eum primo Gordianus, dein Balbinus & Pupienus, porro Gordianus Jun. excitati sunt, de quibus infra. (h) Tandem in Aquilejæ obsidione, quam cives fortissime sustinebant, a militibus suis occisus est, cum Maximino Jun. filio formosissimo juvene, quem Imperii consortem asciverat, *Ex pessimo cane ne catulum relinquendum esse*, clamantibus, ann. C. 238. Imp. 3. nondum exacto. Jul. Capitolinus *Maximinis* II. Herodianus l. 6. & 7. Zosimus, Orosius, alii. (i) Sub eo Ecclesia male habita, & odio contra familiam decessoris, Origenem præsertim, VII. Persecutio a Maximino mota est, adversus præsides Ecclesiarum, in qua, præ aliis, Pontianus Episc. Rom. ann. 235. successore Anthero, sublatus est. Eusebius *Histor. Eccles. lib. 6. cap. 27.*

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

PER VIII. Imperatores Romanos sub Dyarchia Hofmannus in fronte intelligit hos deinceps sequentes: 1. *Maximinum* cum *Maximo* F. 2. *Gordianum* I. cum *Gordiano* II. F. 3. *Balbinum* cum *Pupieno*: 4. *Gordianum* III. a militibus *Balbino* & *Pupieno* additum, (ut vere brevis fuerit Triarchia:) 5. *Philippos* P. & F. 6. *Trajanum Decium* cum *Decio* & *Hostiliano* FF. 7. *Gallum* cum *Volusiano* F. & his opposito ac a militibus electo *Aemiliano*. 8. *Valerianum* cum *Gallieno* F. Fuit *Maximinus* natus *Micca* Patre, Matre *Hababa*; primum opilio in montibus Thraciis, dein Severi stipator sub Macrino in patriam rediit, & ditatus prædia emit. Sub Elagabalo Romam rediit, at sub tali portento militare noluit. Sub Alexandro Tribunus factus, Vir & roboris & voracitatis stupendæ, ultra VIII. pedes procerus, rustici & ferini prorsus animi, literarum rudis, qui ad tyrannidem vertere omnia contendebat; acerrimus Christianorum hostis. pecuniosos profundæ avaritiæ mancipium per fas ac nefas trucidabat; pecunias publicas universas sibi adjudicavit; templorum donaria, statuas & quævis ornamenta in nummos conflavit. Sunt, qui putent necem Alexandri nulla Maximini fraude patratam. ex corpore militari suffragiis Legionum primus ad Imperium accessit, cum nulla Senatus intercessisset auctoritas, neque ipse Senator esset; quod tamen Patres, dum periculosum putant, inermes armato resistere, approbaverunt. Bellator cæterum fuit strenuus, Imperii terminos ad Mare Balthicum promoturus, unde

ingressus Germaniam Transrhenanam per CCC. vel CCCC. M. P. Germanici soli vicos, ut ipse ad Senatum jactat, incendit, greges abegit, prædas sustulit, Germanorum plurimos interemit, militem divitem reduxit, cepit innumeros, & nisi Germani per amnes & paludes & sylvas confugissent, omnem Germaniam in ditionem Romanam redegisset, si Capitolino fides. hinc illi jactata in Nummis VICTORIA GERMANICA, VICTORIA AVG. & FIDES MILITVM, (quam sibi muneribus oppignerabat prodigalitate aliunde rapacissima;) & cognomen *Germanici*, quamvis in Inscr. etiam audiat *Maximus Sarmaticus*, *Maximus Dacicus*. Uxor Ei fuit *Julia Paullina*. Inter opera publica reperio Vias & Pontes tempore vetustatis collapsos per Lusitaniam restitutos. Grut. 151: 5. 158: 6. 7. Colonias, ob perpetuam militiam ac bellum dein civile videtur deduxisse nullas. Laudari meretur vox Ejus: *Dii prohibeant, ut quisquam ingenuorum pedibus meis osculum figat.* Verumtamen tantum degeneris animi apud eum valuit conscientia, ut omnes sui generis conscios necaret, etiam amicissimos, parum memor, multos ei cavendos, qui singulos interficit. periit A. U. C. 991. æt. 65. Adde seq. Maximum F. Joh. Antioch. in *Exc. Peir.* p. 830. Victor. Suid. Rufum in *Brev. Eutrop.* l. 1x. pr. Nummos, & Joh. Aventin. *Annal. Bojor.* l. II. p. 119. 120. 121. ex rec. Cifneri, qui de Bello Germanico Maximini non protrita refert.

GORDIANI TRES.



LOTICHIUS.

Gorgona pene suo qui nomine GORDIUS æquat,
 Forsan id haud frustra nominis Afer habet;
 Arfacidas siquidem confregit ut agmine Persas,
 Sponte suam laqueo fregit & ipse gulam.

HOFMANNUS.

*Gordianus senior (a), Balbinus, mox Pupienusque (b),
 Oppositi Thraci, succubere brevi (c).
 Junior (d) excepit, praeclaris dotibus (e) istos,
 Justitia (f), bello (g), corpore, mente, valens (h).*

ENARRATIO.

Seu (a) primus hujus nominis, patre Metio Marullo, matre Ulpia Gordia, quorum ille ex Gracchorum genere, hæc ex familia Trajani Imp. genitus, in Africa, cujus Procos. erat, ab exercitu contra Maximinum Imperator salutatus est. Sed filio ejus Gordiano II. per Capellianum Maurorum Præsidem victo occisoque, ipse voluntario suspendio periit, ann. C. 236. (b) Itaque Senatus de corpore suo Maximinum

ximum Pupienum, fabri ferrarii aut lignarii filium, sed per militarem industriam ad summum fastigium enisum, & Balbinum nobilissimum, multarumque provinciarum rectorem, Imperatores creavit. Verum neuter militibus gratus. Assumptus ergo tertius Gordianus III. Gordiani I. seu senioris an ex filio, an ex filia, nepos: (c) cumque jam paratum esset, ut contra Parthos Maximus, Balbinus contra Germanos proficisceretur, Gordianus autem Romæ remaneret, milites occasionem nacti priores occiderunt, ann. 238. (d) Sic Gordianus solus rerum potitus est, ann. eod. æt. 11. aliis 13. vel 16. (e) omnibus corporis animique dotibus præditus, (f) imprimis justitiæ & castitatis amans. (g) Sabinianum in Africa adversarium celeriter oppressit, ann. 240. Sarmatis Persisque victis, Antiochiam, Caras & Nisibin recepit, ac Saporem in sedes suas repulit, ann. 242. felix futurus, si in exercitu Philippum non habuisset, qui socero ejus Misitheo, cujus prudentia temperabatur, ex insidiis necato, ipsum Imperatorem, per corruptos a se milites, e medio sustulit, ann. C. 244. ætat. 22. Imp. 6. *omnibus illis, qui Principem bonum gladiis appetiverant, manu propria occumbentibus*, Jul. Capitolinus in *Gordianis* III. Herodianus lib. 7. & 8. Aur. Victor, Eutropius, Orosius, Zosimus, Eusebius, alii. (h) Sub his, Antherus Episc. Rom. qui primus *Martyrum gesta literis consignari* jussit, & ipse martyrium subiit, ann. 236. quem Fabianus, columbæ capiti ejus insidentis omine ostensus, excepit, eod. Eusebius *Histor. Eccles. lib. 6. cap. 38.* At in Arabia Beryllus Episc. Bostrensis *Christi eternitatem* negavit: ibidem alii *animas hominum una cum corporibus extinguere & in resurrectione carnis revivificaturas* docuerunt, circa ann. 240. quibus utrisque Origenes fortiter se opposuit, & gemina Synodo coacta, non paucos eorum ad frugem reduxit, Eusebius ubi modo, *capp. 36. & 37.*

Additamenta HENR. CHR. HENNIN I.

GORDIANUS I. fuit Imp. eruditus, qui puerulus *Poëmata* scripsit, & in his *Antoninados libros xxx.* in quibus *Antoninorum, Pii & Marci* vitam, bella & publice privatimque gesta perscripsit. Adolescens *controversias* declamavit. Scripsit etiam soluta oratione *Laudes omnium Antoninorum*, qui ante Eum fuerant, hos enim valde dilexit. habitavit in Platone, Aristotele, Cicerone, Virgilio, & priscis Auctoribus. Quæsturam, Aedilitatem, Præturam, Consulatum bis, magnificentissime & nobilissime gessit, subinvidente illi Caracalla, & prætextas, latum clavum, Circenses ultra Imperatorium modum mirante. hinc Procos. Africae a Senatu factus, agente gratias summas Alexandro Imp. quod *misissent Virum nobilem, magnanimum, disertum, justum, continentem, bonum.* ab Afris amatus est, ut nemo ante Procos. Eique acclamatum est: *Novo Scipioni, Vero Scipioni.* Alii eum *Catonem*, multi *Mutium, Rutilium, Lælium* dicebant. Moribus ita moderatus, ut nihil cupide, nihil immodeste, nihil nimie fecerit. Vini parcus, cibi parcissimus, ve-

stitit nitidus, natura in somnum proclivior; Socreri reverentissimus cultor. Afri insolentibus per Maximini Rationalem injuriis vexati, hoc Procuratore occiso, illum primo invitum, dein quia familiæ suæ tutius putabat, volentem & Filium Ejus apud Tyndrum oppidum Augustos appellarunt. hinc Carthaginem profectus Senatui scripsit, Romæ illis ita acclamatum, & Sc. ambobus nummi percussi. Sed Capellianus, Mauritanix Procurator, cui Gordianus successorem dederat, quasi Maximino devotus, exercitum contra Carthaginenses comparavit, ac his prælio fufis & Gordiano F. occiso Carthaginem contendit, qua re audita Gordianus Pater laqueo vitam sibi eripuit Kal. Jun. A. U. C. 990. ætat. 81. Imperii mense 7. die 6. si Panvinii Fastis credimus, quos tamen alii non sequuntur. Uxor illi fuit *Fadia* (seu *Fabia*) *Orestilla*, Annii Severi F. Antonini proneptis. Adde hic Gisb. Cuperi, Viri doctissimi, elegantem & accuratissimam *Historiam III. Gordianorum*; & Joh. Tristan. *Hist. Imp. T. II. p. 465.*

M. ANTONIUS GORDIANUS II. (a).



Supplementa HENR. CHR. HENNINI.

Me & Patrem Augustos sumtis ANTONIUS armis
 At video, pereo: Fama decora manet.
 Heu quam præcipiti lapsu invida Regna rotantur!
 Cæsus & est subito, qui modo Cæsar erat!

Tetrastichum Historicum.

Gordius *agnomen* (b) *mihi*, Gens ANTONIA *nomen* (c),
 Africa (d) *cognomen* dat: (e) *Populus* Titulos (f).
 Augustum *Patri junctum* mox me invida bella
 Deturbant olio (g): fortiter ipse cado (h).

ENARRATIO HENR. CHR. HENNINI.



ORDIANUS II. ad differentiam (a) Aliis, ut Capitoli-
 no, dicitur *Junior*, Aliis *Filius*. In nummis a Patre di-
 stinguitur facie juvenili, mento minus barbato, & ad-
 dito subinde solo PONTIF. nam Pater in his subinde
 PONT. MAX. audit: (vide Cuperi *Hist. III. Gordian.*
p. 60.) mento est magis barbato eoque ad genas usque,
 facie senili & rugis exarata. A Gordiano III. in Nummis distinguitur facie
 hujus plerumque imberbi, fere sine laurea, dignitate tantum CÆSARIS,
 additove, cum imperaret, *Pii* epitheto, ac omissio *Africani* cognomine;
 item ex adjectis temporum notis, TR. POT. aut COS. (b) *Gordiani* agno-

H *

men

men Patri, hic Matri *Ulpiae Gordianae*, vel forte Avo Materno debet. At unde hoc agnomen? nondum enim *Gens Gordia* est reperta usquam in libris, nummis, Inscriptionibus. Suspicio a *Gente Cordia*, per emollicum C in G, ut fit in *Gajus* ex *Cajus*, (sic qui in editione Mediolanensi & mss. Palatinis est *Cordius*, *Auriga*, & post PF. *Vigilum* sub Elagabalo; in editis cæteris est *Gordius*, ap. Lampr. *Elagab. c. 6. & 12.*) tractum cognomen. Cicero Ver-
rin. IV. 20. meminit *L. Cordii, honesti hominis*: in Nummis occurrit *Ma-
nius Cordius Rufus*, *IIIvir*, apud Goltz. *T. R. A. p. 157.* In Smetii re Num-
maria occurrit quoque *Gens Cordia*, Smet. *Antiq. Neom. p. 177.* Plebejam
origine gentem fuisse colligo, quia inter *Plebem* in laterculo *Lenunculariorum
Tabulariorum Auxiliarium Opientium*, ap. Rein. x. 1. num. 41. & 206. occur-
rit *C. Cordius Fortunatus*, & ap. Grut. 1077. *C. Cordius Felix*: item *L. Cor-
dus Symphorus Medicus*, 60: 1. *Cordia Secundina*, 418: 4. ANTONII no-
men unde habeat, ipsi quærunť Veteres. Capitol. *in Gordianis c. 4. 9. 17.
in Macrino c. 3.* Lamprid. *in Elagab. c. 18. & 34.* ex quibus collatis ita sin-
gula concinamus. Natus est Romæ circa an. CHR. 201. & quia primoge-
nitus erat ex Matre *Fabia Orestilla*, Antonini (ut puto *Pii*:) *Pronepte*, Pa-
ter omnium *Antoninorum*, maxime *Pii & Marci*, quos per Uxorem affini-
tate contingebat, amantissimus & reverentissimus, (unde & Ipse sibi *An-
tonini* prænomen aut cognomen amavit:) Majorum memoriam renovatu-
rus recens nato *F. Antonini* prænomen dedit, quod & mox in Senatu edi-
dit, & idem deinde apud PF. *Ærarii* more Romano professurus Filium (sci-
licet sub nomine *Antonini Antonii Gordiani*:) publicis actis inseruit. Vulgo
tamen deinde *Gordiani* nomine magis innotuit; & videtur Pater illud æque
ac suum tacite voluisse aboleri, ne Antonini Caracalli sibi satis jam obliqui
(vide Capitol. *l. l. c. 4.*) invidiam porro hoc prænominē Imperatorio provo-
caret. Cum deinde in Africa Pater & Filius pariter *Impp.* appellarentur, ite-
rum boni ominis ergo *Antonini* a Juventute *Tysdritana & Militibus* sunt co-
gnominati; itaque noster fuisset: *Imp. Cæs. M. Antonius Gordianus Antoni-
nus Africanus Aug.* At quia sacrum hoc nomen profanarant Caracalla, Dia-
dumenianus, Elagabalus, sævitia, sordibus generis, & luxuria effeminatissi-
ma; & quia Senatus non videtur hoc nomen dignitati restituisse aut *Gordianis*
addidisse, hinc mox ex titulis est omissum. *Antoniam* vero Gentem tam Pa-
ter, quam Filius constanter præ se ferunt, a qua nobilitatem duxerunt. Pa-
ter originem Paternam ad *Cornelios Gracchos* referebat, Maternam ad *M. Ul-
pium Trajanum Imp.* ex cujus Sorore *Aelius Hadrianus Afer*, Pater *P. Aelii
Trajani Hadriani Imp.* natus erat. *Pompejam* gentem contigisse etiam videtur,
quia Romæ possedit (hereditario jure, ut colligimus ex Capitol. *l. l. c. 17.*)
domum *Pompejanam*: ut taceam modo dictam gentem *Aureliam Antonino-
rum*. Obiter hinc puto illum *Ælium Gordianum*, quem Lamprid. *in Alex.
Severo c. 68.* commemorat, fuisse Fratrem Gordiani II. dictum *Ælium*, ob
memoriam avitæ maternæ originis ex *Æliis*. itaque lego ibi: *Ælius Gordia-
nus Gordiani Imp. Frater*; non vero *Pater*. error scribarum natus ex compen-
dio *FR*, prima in *P.* degenerante. maluit *Fr. Gordiani II. Imp.* quam *F.
Imp. Gordiani I.* dicere, ne opus haberet, Eum ut sollicite distingueret ab
Imp. Gordiano II. Fr. & quia Gordiani I. & II. nulli fratres leguntur; tan-
dem quia Gordianus II. in Prætura Urbana sub Alexandro Severo juris dicun-
di gratia floruit, & consulentibus de jure respondit; Capitol. *Gord. c. 18. &
19.* ergo *Fr. J. Ctos.* commodè conjunxit, sub Eodem Principe florentes Lam-
pridius. Hinc capimus, cur Capit. *l. l. c. 4.* diserte dicat de *Gordiano I. Fi-
lios*

lios duos habuit: ac mox: & *Filiam*; ubi frustra se torquet Salmasius. Con-
venit & Avia: ex *Ælia* gente oriunda, *Ulpia Gordiana*; & Mater *Fabia Orestilla*,
Antonini Pii Proneptis, adeoque ex ipsa illa *Ælia Gente* etiam oriunda: &
quoniam Capit. *l. l. c. 17.* ait: *natum Patri Primum*, ex hac distinctione col-
ligimus illum post *Gordianum II.* esse natum, sed Fratri præmortuum, unde
silentium de Illo. AFRICANI cognomen (e) Patri ac Filio hæsit, vel quia ge-
nus suum quoque referebant ad *Cornelios Scipiones Africanos*, (confer Capit.
l. l. c. 5. & 17.) vel quia milites & Juvenes Rustici Thyldritani *Afri*, (ii pro-
prie sunt Libyes ad Austrum, ubi *Thysdrus* sita erat;) eum ita a se cognomi-
narunt, (vide Herodian. vii. 5. & 6.) cum honoris, tum boni ominis gratia,
ob *Africanorum Scipionum* felicem virtutem; vel quod in *Africa* imperare cœ-
perint; Capit. *l. l. c. 9.* Scto deinde hæc cognomina esse confirmata apparet
ex Nummis *Gordiani I. & II.* Mater illi fuit modo dicta *Fabia*, Annii Severi,
Consularis Viri F. Errat enim Reines. ad i. 26. qui *Flaviam Valeriam Tranquil-*
linam ap. Grut. 272:7. vult esse Senioris uxorem Gordiani; cum sit illa ipsa
alias *Furia Sabina Tranquillina*, Gordiani III. Pii Uxor. Hinc intelligimus,
cur notanter a Senatu vocentur: *Imperatores Nobiles*, Capit. *l. l. c. 11.* Pater
Nobilissimus Vir Procos. c. 8. Vir Nobilis, c. 5. & F. Nobilis Juvenis. Id. in
Maxim. P. c. 15. Ex Genitura Mathematici consulti prædixerunt Eum fore
Imperatoris F. & ipsum Imperatorem, & utrique diem, genus & loca
mortis. hinc Pater Imp. viso F. Imp. solebat hos Virgilii versus cantare: *O-*
stendent terris hunc tantum fata, & reliqua. Alias etiam Pater sæpissime so-
lebat dicere: *Filium quandoque in summa claritate cito esse moriturum.* Factus
est paullo post *Imperator*, & tam ab Afris a Populo Carthagini quam consen-
siente dein Senatu Romæ *Augustus* appellatus (f) est; Capit. *l. l. c. 8-11. 14.*
17. 19. Maxim. P. c. 14-16. 18. Mense Majo an. CHR. 236. adnitente &
quasi signifero Mauricio quodam, potente apud Afros Tyfdri decurione.
Verum ut Capelianus, perpetuus jam olim ex forensium litium simultatibus
Gordiani adversarius, Maurorum, Maximini jussu, Veteranus Rector,
ac Procurator Numidiæ; at jam successore dato a Gordiano I. provincia ab-
scedere jussus, collectis Mauris & coacto exercitu, specie quidem fidei Prin-
cipi servandæ, at revera per occasionem Imperio inhians, (vide Capit. in
Maxim. P. c. 19) Carthaginem contendit. copias habebat validas, ætate flo-
rentes, omni armorum genere instructas, ad prælia paratas; Numidas
item, jaculatores optimos, equitandi pertissimos, sic ut equos etiam infre-
nos virga tantum currentes moderarentur. (Hinc Municipium Coillutanum
Numidiæ, Maximianæ partis obsequium in Nummis testatur ap. Foy-Vail-
lant *Num. Col. p. 135.*) in re militari Capelianus & audacior & peritior erat.
Contra vero missus adversus hunc a Patre Gordianus Junior, a multitudine
etiam electus Dux, minus expertus rei bellicæ, ac Nobilitatis deliciis tarda-
tus, occurrit cum effusa multitudine Carthaginensi, quæ in numerosa tur-
ba victoriam collocabat, incomposita, belli inexperta, longa pace & deli-
ciis fracta, temere aut non armata, ut domi quisque offenderat pugionem,
securem, venabulum, præustam sudem, aut lignum acuminatum. ante præ-
lium typhonica tempestas exorta exercitum hunc tumultuarium dissipaverat;
prælium committitur; facilem abjectis armis fuga sua seque mutuos concul-
cando & trudendo victoriam Capeliano & corpora sua ante portam Urbis
confecti Numidis Jaculatoribus præbuerunt. Fortiter pugnans (h) hic ad
Carthaginem cecidit *Gordianus Junior*, circa Kal. Julias an. Chr. 237. æt. 46.
Imperii (si recte putamus, quod & Patris est:) circiter an. i. mense i. Cor-

pus ejus inveniri non potuit, quia forsitan despoliatum & deformatum discerni nequibat. Hic finis. A Senatu postea cum Patre inter *Divos* relatus est, decretis etiam templis. Fuit Princeps literis & moribus clarus, magna studiorum fama, maxime cum Illi, carissimo & acceptissimo suo discipulo, Sere-nus Samonicus, Q. F. (illius, qui Medicina, & scripto de ea claruit) Gordiano I. amicissimus, Gordiani Junioris Præceptor; (errat enim Keuchen ad *Samonic.* p. 68. cum Aliis, qui Samonicum Patrem Præceptorem faciunt, contra Capitol. c. 18. & ibi Casaub. nam hic Patrem a Filio distinguit, nec Filium ait Medicum) legasset Bibliothecam Patris copiosissimam & splendidi-ssimam 62000. librorum. potro erat forma conspicuus, qua Pompejum Mi referebat, memoriæ singularis, bonitatis insignis, ut ad verbera aliorum in Scholis puerorum ipse adhuc puer lacrumaretur. Quæstor fuit sub Elagabalo: Prætor Urbanus & mox cos. sub Alexandro: Legatus Patris Procos. Africa-ni missus a Senatu sub Maximino. Vini cupidior fuit, rosati, mastichini, absynthitis, & similibus. Cibi parcus, ut quasi puncto temporis cœnam finiret; rarius enim prandebat; Vestitu cultissimus, servis & omnibus suis carus; civibus & Reip. ad consultationem nunquam defuit. Oratione & ver-su erat ingeniosus, sed simul luxuriante ingenio. corpore erat vasto & obeso, unde recentium pomorum, olerum, mensarumque frigidarum erat præ aliis alimentis avidior. Vixit in deliciis, in hortis, in balneis, in amœnissimis nemoribus; nec tamen inter hæc Fortunæ bona a Virtute & Constantia de-generavit, semper illustrissimis Civibus annumeratus. Uxorem nunquam ducere voluit, mulierum tamen cupidissimus; fertur enim habuisse xxii. Concubinas, & ex his omnibus ternos quaternosve filios, unde appellatus est *Sui temporis Priamus*, ab aliis per jocum *Priapus*. Hæc digessimus ex Scri-ptoribus subinde laudatis, quibus addendi Zosimus 1. 16. in *Gordianis*; sed qui in his non satis accuratus errat, dum narrat, Gordianos ex Africa Ro-manam petentes naufragio periisse. fabula nata ex tempestate illa, quæ ante prælium decretorium copias Gordianorum dissipavit. Victor *Epit. num.* 41. sed dum ait, Gordianos P. & F. *arripuisse Principatum*, aut commode ex-plicandus est, aut erroris damnandus. Nummi ap. Patin. *Num. Imp. ex ære* p. 362. sed qui errat, dum hunc Nummum vultu juvenili, nudo capite: M. ANT. ΓΟΡΔΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ, dubitat adscribere *Gordiano III.* nam Gordianus II. nunquam fuit *Cæsar*, sed statim *Imp.* vide Cupér. *l. l.* p. 9. Nummi ap. Tri- stan. *T. 11.* sed qui p. 465. de suo liberalis est, dum contra omnem veterem Historiam fingit, cadavera Gordianorum Romam fuisse mari missa, ut conderentur Gentilitio monumento, illa vero tempestatis vi fuisse submersa. vide Cupér. *l. l.* p. 30. Nummos Colonicos *Gordiani Senioris* tantum qua-tuor, in Ægypto cufos, observavit Foy-Vaillant *l. l.* p. 137. (Vide *Numism. Græc.* Vaillant p. 147. nullos *Junioris*, spem tamen aliquam subesse Nummos in Africæ coloniis in Eorum honorem percussos aliquando recupe-randi. Nummi *Gordiani III.* ærei Scto percussi videantur ap. Vaillant. in *Numism. Græc.* p. 148. 149. argentei in *Numism. Arg.* p. 141. Aureos Gordiano-rum P. & F. ibidem ait non observari; sed sunt tamen in *Theaur. Brandeb.* ap. Beger. p. 720. 721. In his Nummis occurrunt: *Virtus, Providentia, Victoria, Securitas Augg.* item: *Paci Aug. & Romæ Eternæ.* Inscriptio-nes, quæ sine ullo dubio ad *Gordianum P.* aut *F.* referri possent; hæcenus vidi nullas.

M. JVLIVS PHILIPPVS ARABS.



L O T I C H I U S.

Primus Arabs Christum confessus mente PHILIPPUS,

Ut fama est, illo tempore Cæsar erat.

Sensit is infestos cum gnato militis enses,

Hic, ubi nunc patria est, docte Catulle, tua.

H O F M A N N U S.

Electus Marcus (c), mox Hostilianus (d), at illis

Submotis tenuit sceptrum Philippus (e) Arabs:

Verona (f) tandem misere cum prole (g) necatus,

Cui nimium semper vita severa (h) fuit (i).

E N A R R A T I O.



Rtus (a) patre nobilissimo latronum ductore, (b) patria Arabs Trachonites. (c) Post cædem Gordiani Jun. Senatus Marco Senatori hatud dubie, sapientiæ & Philosophiæ dedito, Imperium detulit, sed is morbo mox in Palatio absumtus est; (d) Sev. dein Hostilianum Imp. creavit, sed & hic infelici venæ sectione brevi interiit: utriusque memo-

riam Zonaræ & Cedreno debemus. (e) Tolerare ergo Philippum coactus est, Principis sui interfectorem, anno C. 244. Hic itaque pace cum Persis facta, & in Arabia Bozra urbe instaurata, ac a nomine suo appellata Romam venit, millesimumque Urbis conditæ annum summa solemnitate celebravit, ann. 248. (f) Decium dein, quem ad bellum Scythicum miserat, ab exercitu Augustum salutatum, debellaturus, Veronæ occisus est, a militibus suis, a Decio corruptis, ann. C. 250. Imp. 6. (g) filio duodecenni, Cajo Junio Saturnino Philippo, quem pater collegam assumpserat, anno 247. hunc Romæ Prætoriani, audita patris cæde, neci dederunt. (h) Adeo severi & tristis animi fuisse dicitur, ut tener adhuc nullo prorsus commento ad ridendum potuerit solvi, patremque ludis secularibus cachinnantem vultu notaverit averfato. Jul. Capitolinus in *Gordian. III. cap. 30. & seqq.* Zosimus *lib. 1.* Aur. Victor in *Gordiano & Philippo*, Eutropius, Orosius, Eusebius *Chron. num. 2259. & 2261.* Cassiodorus *Chron.* alii. (i) Origenes, eo imperante, scripta sua in lucem edidit, de quibus dictum. *In ea parte, qua probatur Origenes, neminem post Apostolos habere æqualem, in ea, qua reprehenditur, neminem deformius aberravisse*, Bucholc. *Chron.*

Additamenta HENR. CHR. HENNIN I.

PHILIPPUS, Pater, natus fuit *Bosfris*, vico ignobili Arabiæ, tractus *Trachonitici*, quem vicum imperio confirmato in Urbem *Philippopolin* commutavit, operibus publicis, dignitate, cultu, muris ornatissimam, (vide Auctor. *Expos. totius mundi c. 19.* & ibi Jac. Gothofredi *notas.*) in quam coloniam Veteranos dimisit, ut & Damascum Cælefyriæ, Neapolin Samariz. Carpos, Sarmatiæ Europææ populos, pridem loca Istro vicina populates repressit; hinc in Nummis VICTORIA CARPICA; & ut Daciam ad sui conservationem tanto magis adstringeret, liberam provinciam pronuntiavit, & Colonos in ipsius urbibus collocavit, Veteranos, *V. Macedonica*, & *XIII. Gemina*, Legionum, ibi hiberna agentes. Hic Poëtas noluit esse immunes, *l. 3. C. de Prof. & Med.* Publica puorum cinædorum meritoria clausit, exoletorumque classes sustulit. Uxor illi fuit *Marcia Otacilia Severa*, quam gratis ajunt Christianam fuisse, ex fictis ad illam Origenis epistolis, quas vel nummi Ejus idolis pleni refutant. Philippum hunc porro fuisse Christianum, atque ab eodem quoque Filium in societatem cœtus nostri traductum complures tradunt, cum Veteres præeunte Eusebio *H. E. VI. 34.* Hieronymus in *Scr. Eccl. in Origene*, Oros. *VII. 20. & 28.* Jornandes de *Regn. succ. p. m. 491.* Metellus Tegeensis in *Od. Quirinalib. ap. Henr. Canis. A. L. t. I.* & Alii plures mediæ ævi. quid? audent & illum Monachi jungere Martyribus. Vide Barth. *Advers. XLVIII. 6.* Eum Recentiores, quos inter excellunt Baron. *Ann. Eccl. an. 246. & 249.* Octav. Falconer. in *Diff. de Nummo Apamens.* Huet. *Origenian. lib. I. p. 19.* Natal. Alexander *H. E. Sec. III. P. I. c. ult.* Ant. Pagi *Crit. Hist. Chron. ad an. CHR. 248.* Ant. Cocc. Sabell. *Ennead. VII. lib. VII. p. 362.* Petr. Tassin. de

Ann. & Lud. Sec. I. 8. II. 12. & ex professo Auctor *des Entretiens Historiques sur le Christianisme de l'Empereur Philippe, Ultraj. 1692. 12.* Mihi cum sexcentis Aliis non minoris judicii & doctrinæ Viris placeat grave magni Scaligeri judicium ad Euseb. *n. 2260.* *Ne magnam injuriam sacrosancti Christi cultui faciunt, qui primi hunc latronem Arabæ, Domini sui, Imp. innocentissimi, & Reip. maxime necessarij interfectorem, idolorum cultorem, & ex cujus vita nihil tale colligi potest, Christianum ausi sunt dicere.* quid enim? 1. mentitur ergo Lactantius *Div. Inst. I. 1.* ante Eusebium, rerum proximarum suæ ætati & superiorum notitia insignis; & Sulpit. Sev. *H. E. II. 48.* qui Constantinum primum Christianum Imp. agnoscunt. 2. Nummi Philipporum Diis Deabusque pleni aliud clamant. PIETAS in illis sensu Gentili occurrit, ut in tot aliis. 3. Christianus Ludos Sæculares celebraret, daret ad gladium & occideret mille paria fiscalium Gladiatorum? Capitol. in *Gord. III. c. 33.* 4. imo præsens & præses in hac cruenta carnificina petulanter cachinnaretur, averfante Filio? Aur. Victor *Epit. c. 43.* 5. pateretur Pontificum lege hostias mactari, & per haruspices inspicere, hisque crederet? Viç. in *Cass. c. 28.* 6. Juliani Christianis iniquissimi Satyram Cæsaream evaderet? 7. Scilicet Gentiles a fato Christianos Imp. solenni ritu Divos consecrabant! Eutrop. *IX. 4.* 8. *Acta Pontii* Surius hujus fabulæ accessione auxit, quæ deest in edit. Baluzii *Miscell. II. p. 130. 131.* 9. S. Quirinus gratis Philippi F. fingitur. tacet Prudent. *Œt. 54. Hymn. VII.* Sed vide etiam Fr. Spanhem. *Hist. Chr. Sec. III. c. 2. § 3. p. 701-704.* & Ejusd. *Disquis. de Mamea & Philipporum Christianismo.* quid igitur? judicio Zonaræ *T. II. ο φιλικος εὐδοκῆς ἦν τοῖς Χελαianoῖς, Philippus bene adfectus fuit erga Christianos.*

XXX.

MESSIVS QVINTVS TRAJANVS DECIVS (a).



LOTICHIUS.

Panno gente fuit DECIUS, sed mente Tyrannus,
 Par DECIUS DECIO nomine reque patri.
 Qui dum Christicolas funestis cladibus angunt,
 Funus in obscuro sustinuere lacu.

HOFMANNUS.

*Christiadum octavus (b) sequitur Nero, cujus ab ore
 Prodiit edictum sanguinis atque necis.
 Sanguinis at sitiens simul & quoque natus Hetruscus (c),
 Pugna in Gotthigenas (d) interiere simul (e).*

ENARRATIO.



Pannonia (a) Syrmienfium vico ortus, in Illyrico militum suffragiis nactus Imperium, Philippum mox ad Veronam devicit, ann. C. 250. (b) Vid. quæ post dicemus. (c) Q. Herennius Etruscus Messius Decius, a patre, volente Senatu, in societatem Imperii adscitus, *Optimi Principis* nomen, & Trajano æquiparari meruit, virtutum omni genere instructus ar-
 H 3 misque

misque promptissimus. (c) Postquam L. Valentem Lucianum Imperio inhiantem Decius oppressisset, adversus Gothos Danubium transgressos profectus, eos primo tantum non ad incitas redegit: postea a Treboniano Gallo limitis Mœsiæ Præsidente, consiliis Imperatoris proditis, ita circumventus est, ut, amissa primo magna exercitus parte, cum filio, ipse dein, dum manus hostiles evadere cupit, paludibusmersus occubuerit, cadavere nunquam reperto, ann. C. 251. Imp. altero, Zosimus *lib. 1.* Aur. Victor, Eutropius *lib. 9.* Orosius *lib. 7. cap. 21.* Jornandes *de Rebus Get. cap. 18.* alii. (d) Sub eo, Ecclesia passa est Persecutionem Oecumenicam VIII. prioribus omnibus sæviorem, tantopereque atrocem, ut, propter multitudinem deficientium, Novatus in errorem prolapsus, *abnegatores ne penitentes quidem in Ecclesiam recipiendos*, asserere inceperit. In eadem Origenes multa & acerba passus, tandem tamen tormentis fidem submisit, Idolisque sacrificavit: lapsu hoc suo postmodum coram tota Ecclesia acerbè deplorato. Eadem durante Paulus Thebæus adolescens 15. annor. literis egregie eruditus, Eremita, Fabianus Episc. Rom. postque eum Cornelius, & Babylas Antioch. senex nonagenarius, inter alios innumeros, martyres facti sunt, ann. 251. Ansam persecutionis in visione Deus indigitavit, ut Cyprianus scribit, *quod dormitemus*, inquit, *in precibus, nec vigilanter oremus*, *Epist. 8.* certe Ecclesia Dei, & quoad fidem, & quoad mores, jam tum multum inclinare cœperat, Idem *lib. 1. Epist. 2. & Serm. 6. de Orat. Dom.* Atque his temporibus Monachatus originem suam debet, *Libellatorumque ac Thurificatorum* nomina primum audita sunt. Vid. Eusebium *Histor. Eccles. lib. 6. & num. 2267.* Epiphanium *Her. 64.* Hieronymum *Vita Pauli*, alios.

Additamenta HENR, CHR. HENNINI.

DECIO, Patri, Imp. prænomen fuit *Cæso*; gens clarissima, *Deciorum*; patria *Budalia*, M.P. VIII. Sirmio distans oppidum. (Vide *Itin. Anton. p. 61.* & ibi Surit. *p. 431.*) invito strictis telis obtrusum imperium, quæ de re Philippo Imp. se per literas excusavit, abdicaturus purpuram, si licuisset. Ad Gesta adde compressum in Gallia Civile Bellum, Jus quintæ relationis, Tribunitiæ Potestatis, Proconsulare imperium & Censuram arbitrio S.P.Q.R. redditam, si Pomp. Læto, in *Comp. H. R. in Decio*, credimus. hinc in Nummis Ejus TR. P. omissa. occurrit tamen apud Grut. 273: 6. ut P.F. AVG. P.M. TR. P. III. COS. II. P.P. PR. COS. & 1021: 6. ut AVG. P.P. TR. P. II. COS. II. PR. (sic enim pro PI. legendum:) COS. apud Vailant. *N.C. 2. II. p. 204.* ut INVICTVS. P.F. AVG. P.M. TR. P. COS. II. P.P. PROCOS. itaque S.P.Q.R. volens & lubens ultro has illi dignitates concesserit, quas per modestiam in Nummis jactari noluit; Sed *Ἀνμαρτυρὴν Ἐξουσίαν* tantum Pop. Rom. redditam innuit Nummus ita inscriptus cum aquila lauream ore tenente, apud Beg. *T. B. II. p. 733.* Opera publica Ejus sunt: Thermæ Decianæ (Vide Fam. Nardin. *Rom. Vet. VII. 8.*) Mœnia Urbis, quæ instituit & dedicavit; ac, ut conjicio ex columnæ, forte milliariæ, mutila Inscr. Grut. 1021: 6. ad Lacum Benacum, vi-

detur & Viam aut muniisse, aut refecisse. De persecutione Deciana Christianorum videndus Cyprianus ipse testis passim in *Epistolis*; Lactant. *de M. P. c. 4.* & ibi Bauldrius, Cuperus, Columbus, Toinardus: adde Dodwell. *Diff. Cypr. de paucitat. Mart.* & huic adversum Ruinart. *præf. in Act. Mart.* Origenis lapsus valde dubius. Vide Pagium *ad an. 251.* Spanhemii *H. CHR. S. III. c. 9. §. 4.* Gothi ante Fœderati Romanis sub Decio primum Romanis bellum intulisse dicuntur. sed vide Joh. Loccenii *Antiq. Sueo-Goth. I. 1.* Fuit cætera Decius Imp. *Sanctissimus*, teste *Inscr. ap. Reines. III. 40.* laudatissimus Pomp. Læto, qui omnino ob multa alibi non reperiunda legendus, & jungendus Aventino *A. B. II. p. 125.* periit A. U. C. 1004. circa finem Nov. aut initium Decembr. (ut colligimus ex Trebell. Poll. *Valerian. c. 2.*) equi ferventis prolapsu in paludem prostratus Amm. Marcellin. *I. XXXI. circa f. æt. 50.* apud urbem Mœsiæ Abrittum, eo loco, quo post fuit *Ara Deciorum*, nam in Divos relati sunt. Uxor illi fuit (*I. Sallustia Barbia Orbiana*, quam Alii rectius ex averfa Nummorum ejus parte Alexandri Severi conjugem; Alii hujus Filiam, cognominem matri, Decii primam uxorem faciunt: II.) *Herennia Etruscilla*, docente Seguino in *Epist. ad Falconer.*

XXXI.

C. VIBIUS TREBONIANVS GALLVS (a).



LOTICHIUS.

Celta pater VIBIUS cum Celta VOLUSIANO,
 Qui pronatus ab hoc Cæsare Cæsar erat.
 Christe , tuum misere quia pressit uterque popellum,
 Hinc populus misere miles utrumque necat.

HOFMANNUS.

*Post Vibius Gallus conscendit culmen (b) honoris,
 Cumque ipso rector Volusianus (c) erat.
 Sed mox (d), Æmiliane (e), ambos, dux clare, necasti (f),
 Sceptraque gessisti mensibus ista tribus (g).*

ENARRATIO.



Post (a) casum, cum filio Decium, Gallus non prædam solum & captivos permisit Gothis, sed etiam, annuam pensionem pollicitus 200. drachmarum, recepit in fœdus, (b) ab unica legione Augustus salutatus, ann. C. 251. (c) Vibium Volusianum filium collegam sumpsit. (d) Dum Scythæ, & Persæ passim in provincias Rom. irrumpunt, (e) unicus C.

C. Jul. Æmilianus, Maurus, Sarmatici limitis præfes, Gothos aggredi ausus, cum victor extitisset, a suis Imperator creatus, in Mœsia (f) Gallum cum filio, per corruptos a se milites, necavit, anno C. 253. Imper. 2. Zosimus *lib. 1.* Zonaras *tom. 2.* Gallo & Voluf. Eusebius *Chron. num. 2268.* & *seqq.* alii. (g) Æmilianus, postquam promississet Senatui, se Barbaros Thracia, Persasque Syria, Mesopotamia, & Asia expulsum, in Imperio confirmatus: post trimestre tamen, exercitu ad Valerianum inclinante, ab iisdem, a quibus acceperat potestatem militibus interemptus est, ann. C. 254. Aur. Victor *Æmiliano*, Eutropius *lib. 9.* Orosius *lib. 7. cap. 21.* Zonaras *tom. cit. Æmiliano*, Gallo, & Volufiano, alii. Sub his, Ecclesiæ status non felicior. Vibius enim persecutionem a Decio motam continuavit: qua porro durante VII. Dormientes in antrum confugisse dicuntur, ann. 252. Eodem Origenis lapsum, de quo supra, referunt alii. Neque solum persecutio, sed & pestis acerrima, tum sæviit, fidelium animis adeo concidentibus, ut Cyprianus *lib. de Mortalitate* conscripto illos solari haberet necesse. Romæ, Lucium, qui Cornelio successerat, excepit Stephanus I. qui Africanas & Orientales Ecclesias, propter quæstionem *de Hæreticis baptizatis rebaptizandis*, excommunicavit, circa ead. tempora. Cyprianus *Tom. 5. Epist. ad Pompej.* præter quod schisma, & hæresis orta est in Lybiæ Pentapoli, auctore Sabellio Afro, docente *nam esse divinæ essentia personam, tribus solum nominibus distinctam* Eusebius *Histor. Eccles. lib. 7. cap. 5.* quem tamen ad Claudii II. tempora alii referunt.

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

Hic Trebonianus Gallus ex Trebonia Gente, ut videtur innuere agnomen, in Vibiam adoptatus est. *creatus* dicitur Imp. in insula maris Africi *Meninge*, *qua nunc Girba dicitur*, Viç. *Epit. c. 45.* (vide de hac Insula purpuræ optimæ matre Ortel. *Synon. Geogr.* voce: *Lotophagites*; & Plin. *H. N. v. 7. ix. 36.*) sed forsan in Victore legendum: *cremati*, scilicet cum adversus Æmilianum properarent Pater Gallus & Volufianus F. eosque *Interamna*, (*Foro Flaminii* ait Jornand. *de R. S. in Gallo*;) spe præmii amplioris corrupti interfecissent milites, fieri potuit, ut eorum cadavera hostium ludibriis subtrahita, *Meningem* translata, ibique cremata & funerata sint a fidis servis sive Amicis. Gallus vero primus omnium promisso datoque Barbaris tributo majestatem Rom. Imperii prostituit. sæviante illa dira peste anxie studioseque tenuissimi cujusque exsequias, ad favorem quaerendum, curavit. *Tribunitiam Potestatem* denuo Imperatoribus vindicavit. hinc in Nummis ejus Latinis ap. Ocon. *An. I. C. 256.* legitur TR. P. II. CoS. II. P. P. & in Græcis: ΔΗΜ. ΕΞΟΤC. Δ. quæ res mirifice fatigavit, præter plures Alios, Panninium *ad. Fast. 11. 180.* & Baron. *an. 257. n. 35. 36.* qui posterior in 14. annos Imperium a Gallis pos-

sessum hinc affirmat: res planissima hæc est. annus TR. P. I. quocunque mense ac die initus, finiebatur eo die Decembris, quo Tribuni plebis ordinarii inibant Tribunatum, quibuscum TR. P. singulis annis denuo auspicabantur Impp. teste Dione Cassio *LIII. p. 508.* (sed Græce loquente,) dies hic erat *A. D. IV. Id. Dec.* ut constat ex Dionys. Halic. *A. R. VI. p. 410.* Liv. *xxxix. 52.* (Vide etiam Ulr. Obrecht. *de TR. Cass. Rom. P.*) at vero ostensum est antea, *Deciis* successisse Gallum A. U. C. 1004. exitu Novembris, aut initio Decembris: itaque TR. P. annus I. finitus A. D. IV. Id. Decembr. A. U. C. 1004. cum cœpit TR. P. II. usque ad IV. Id. Dec. *an. U. C. 1005.* quo cœpit TR. P. III. usque ad IV. Id. Dec. *an. U. C. 1006.* quo cœpit TR. P. II. quæ finita morte Galli, mense Aprili, *an. U. C. 1007.* Goltzius *Thef. Antiq. 69.* omnes quatuor annos TR. P. in Græcis & Latinis Nummis Galli refert, ut appareat eruditissimo Vaillantio *in N. Col. T. II. p. 211.* minus commoda suspicione opus non fuisse. Uxor illi fuit *Hostilia Severa*, Hostiliani Severi F. Hostiliani Imp. & Tryphænæ, Decii, filii, Uxor, Soror. Vide Trifan. *in Eor. Nummis.* Gallus periit *an. æt. circiter 47.*

XXXII.

M. ANTONIUS GORDIANUS III. (a).



Supplementa HENR. CHR. HENNINI.

Ecce PIUM ANTONI, sublatus cæde, *Nepotem*,
 Hocce *Philippus Arabs* proh! scelus ausus erat.
 Quid non designat regnandi dira cupido?
 Nescit amicitiam, Jura, Fidem, Meritum!

Tetrastichum Historicum.

Tertius ANTONI, (b) *claro de sanguine Cæsar* (c)
 Augustusque (d): *vocor Deliciæ populi* (e).
Sed me florentem gestis (f) *ars dira Philippi* (g)
Sustulit immeritum (h), *mors nec inulta fuit* (i).

ENARRATIO HENR. CHR. HENNINI.



ORDIANUS III. ab Aliis (a) ad distinctionem a Patre & Avunculo cognominatur *Pius*, quoniam in Nummis & Inscr. fere semper hoc epitheto gaudet, postquam Imperium suscepit. Apud Amm. Marcellia. xxiii. 15. Julianus in Oratione ad Exercitum vocat *Juniorem Gordianum*, quia scilicet P. & F. erant Dyarchæ, hic vero Monarcha. Alias sæpe *Nepos* appellatur: plerunque etiam *Gordiani* solo cognomine agnoscitur in Nummis & Inscr. sine illo *Africani* cognomine, quod non habuit. ANTONIUS (b) porro dictus est, non *Antoninus*, quod nomen nescio qua Reinesii audacia Inscriptionibus intrusum est, loco *Antonii*: Vide Reines. Inscr. III. 37. 38. 39. 86. Apud Grut. 29: 14. habetur quidem in Inscr. Lactoratensi, de Tauropolio: *Imp. Antonini Gordiani P. F. Aug.* nomen; sed legendum esse *AntonI*, docet seq. Inscr. Lactoratensis 30: 1. super eodem Tauropolio, ubi: *Pro salute Imp. M. AntonI Gordiani Pii, Fel. Aug. & Sabina Tranquillina Aug.* sic 57: 5. ubi *Antonini* est, melior & emendatior

men Patri, hic Matri *Ulpiae Gordianae*, vel forte Avo Materno debet. At unde hoc agnomen? nondum enim *Gens Gordia* est reperta usquam in libris, nummis, Inscriptionibus. Suspicio a *Gente Cordia*, per emollium C in G, ut fit in *Gaius* ex *Cajus*, (sic qui in editione Mediolanensi & mss. Palatinis est *Cordius*, *Auriga*, & post PF. *Vigilum* sub Elagabalo; in editis cæteris est *Gordius*, ap. Lampr. *Elagab. c. 6. & 12.*) tractum cognomen. Cicero Verin. IV. 20. meminit *L. Cordii, honesti hominis*: in Nummis occurrit *Manius Cordius Rufus*, *IIIvir*, apud Goltz. *T. R. A. p. 157.* In Smetii re Nummaria occurrit quoque *Gens Cordia*, Smet. *Antiq. Neom. p. 177.* Plebejam origine gentem fuisse colligo, quia inter *Plebem* in laterculo *Lenunculariorum Tabulariorum Auxiliarium Opientium*, ap. Rein. x. 1. num. 41. & 206. occurrit *C. Cordius Fortunatus*, & ap. Grut. 1077. *C. Cordius Felix*: item *L. Cordius Symphorus Medicus*, 60: 1. *Cordia Secundina*, 418: 4. ANTONII nomen unde habeat, ipsi quaerunt Veteres. Capitol. *in Gordianis c. 4. 9. 17. in Macrino c. 3.* Lamprid. *in Elagab. c. 18. & 34.* ex quibus collatis ita singula concinnamus. Natus est Romæ circa an. CHR. 201. & quia primogenitus erat ex Matre *Fabia Orestilla*, Antonini (ut puto *Pii*:) Pronepote, Pater omnium *Antoninorum*, maxime *Pii & Marci*, quos per Uxorem affinitate contingebat, amantissimus & reverentissimus, (unde & Ipse sibi *Antonini* prænomen aut cognomen amavit:) Majorum memoriam renovaturus recens nato *F. Antonini* prænomen dedit, quod & mox in Senatu edidit, & idem deinde apud PF. *Ærarii* more Romano professurus Filium (scilicet sub nomine *Antonini Antonii Gordiani*:) publicis actis inseruit. Vulgo tamen deinde *Gordiani* nomine magis innotuit; & videtur Pater illud æque ac suum tacite voluisse aboleri, ne Antonini Caracalli sibi satis jam obliqui (vide Capitol. *l. l. c. 4.*) invidiam porro hoc prænominis Imperatorio provocaret. Cum deinde in Africa Pater & Filius pariter Impp. appellarentur, iterum boni ominis ergo *Antonini* a Juventute Tyndritana & Militibus sunt cognominati; itaque noster fuisset: *Imp. Cæs. M. Antonius Gordianus Antoninus Africanus Aug.* At quia sacrum hoc nomen profanarant Caracalla, Diadumenianus, Elagabalus, sævitia, sordibus generis, & luxuria effeminatissima; & quia Senatus non videtur hoc nomen dignitati restituisse aut *Gordianis* addidisse, hinc mox ex titulis est omissum. *Antoniam* vero Gentem tam Pater, quam Filius constanter præ se ferunt, a qua nobilitatem duxerunt. Pater originem Paternam ad *Cornelios Gracchos* referebat, Maternam ad *M. Ulpium Trajanum Imp.* ex cujus Sorore *Aelius Hadrianus Afer*, Pater *P. Aelii Trajani Hadriani Imp.* natus erat. *Pompejam* gentem contigisse etiam videtur, quia Romæ possedit (hereditario jure, ut colligimus ex Capitol. *l. l. c. 17.*) domum *Pompejanam*: ut taceam modo dictam gentem *Aureliam Antoninorum*. Obiter hinc puto illum *Ælium Gordianum*, quem Lamprid. *in Alex. Severo c. 68.* commemorat, fuisse Fratrem Gordiani II. dictum *Ælium*, ob memoriam avitæ maternæ originis ex *Æliis*. itaque lego ibi: *Ælius Gordianus Gordiani Imp. Frater*; non vero *Pater*. error scribarum natus ex compendio *FR*, prima in *P.* degenerante. maluit *Fr. Gordiani II. Imp.* quam *F. Imp. Gordiani I.* dicere, ne opus haberet, Eum ut sollicite distingueret ab *Imp. Gordiano II. Fr.* & quia Gordiani I. & III. nulli fratres leguntur; tandem quia Gordianus II. in Prætura Urbana sub Alexandro Severo juris dicendi gratia floruit, & consulentibus de jure respondit; Capitol. *Gord. c. 18. & 19.* ergo *Fr. Jctos* commodè conjunxit, sub Eodem Principe florentes Lampridius. Hinc capimus, cur Capit. *l. l. c. 4.* diserte dicat de *Gordiano f. Filios*

lios duos habuit: ac mox: & *Filiam*; ubi frustra se torquet Salmasius. Convenit & *Avia* ex *Ælia* gente oriunda, *Ulpia Gordiana*; & *Mater Fabia Orestilla*, Antonini Pii Proneptis, adeoque ex ipsa illa *Ælia Gente* etiam oriunda: & quoniam Capit. l. l. c. 17. ait: *natum Patri Primum*, ex hac distinctione colligimus illum post *Gordianum* II. esse natum, sed Fratri præmortuum, unde silentium de Illo. AFRICANI cognomen (e) Patri ac Filio hæsit, vel quia genus suum quoque referebant ad *Cornelios Scipiones Africanos*, (confer Capit. l. l. c. 5. & 17.) vel quia milites & Juvenes Rustici Thyſdritani *Afri*, (ii proprie sunt Libyes ad Austrum, ubi *Thysdrus* sita erat;) eum ita a se cognominarunt, (vide Herodian. vii. 5. & 6.) cum honoris, tum boni ominis gratia, ob *Africanorum Scipionum* felicem virtutem; vel quod in *Africa* imperare cœperint; Capit. l. l. c. 9. Scito deinde hæc cognomina esse confirmata apparet ex Nummis *Gordiani* I. & II. Mater illi fuit modo dicta *Fabia*, Annii Severi, Consularis Viri F. Errat enim Reinf. ad i. 26. qui *Flaviam Valeriam Tranquillinam* ap. Grut. 272:7. vult esse Senioris uxorem Gordiani, cum sit illa ipsa alias *Furia Sabinia Tranquillina*, Gordiani III. Pii Uxor. Hinc intelligimus, cur notanter a Senatu vocentur: *Imperatores Nobiles*, Capit. l. l. c. 11. Pater *Nobilissimus Vir Procos. c. 8. Vir Nobilis, c. 5. & F. Nobilis Juvenis*. Id. in *Maxim. P. c. 15*. Ex Genitura Mathematici consulti prædixerunt Eum fore Imperatoris F. & ipsum Imperatorem, & utrique diem, genus & loca mortis. hinc Pater Imp. viso F. Imp. solebat hos Virgilii versus cantare: *Obstendent terris hunc tantum fata*, & reliqua. Alias etiam Pater sæpissime solebat dicere: *Filium quandoque in summa claritate cito esse moriturum*. Factus est paullo post *Imperator*, & tam ab Afris a Populo Carthagini quam consensiente dein Senatu Romæ *Augustus* appellatus (f) est, Capit. l. l. c. 8-11. 14. 17. 19. *Maxim. P. c. 14-16. 18*. Mense Majo an. CHR. 236. adnitente & quasi signifero Mauricio quodam, potente apud Afros Tyſdri decurione. Verum ut Capelianus, perpetuus jam olim ex forensium litium simultatibus *Gordiani* adversarius, Maurorum, Maximini jussu, Veteranus Rector, ac Procurator Numidiæ; at jam successore dato a Gordiano I. provincia abscedere jussus, collectis Mauris & coacto exercitu, specie quidem fidei Principi servandæ, at revera per occasionem Imperio inhians, (vide Capit. in *Maxim. P. c. 19*) Carthaginem contendit. copias habebat validas, ætate florentes, omni armorum genere instructas, ad prælia paratas; Numidas item, jaculatores optimos, equitandi pertissimos, sic ut equos etiam infrenos virga tantum currentes moderarentur. (Hinc Municipium Coillutanum Numidiæ, Maximianæ partis obsequium in Nummis testatur ap. Foy-Vaillant *Num. Col. p. 135*.) in re militari Capelianus & audacior & peritior erat. Contra vero missus adversus hunc a Patre Gordianus Junior, a multitudine etiam electus Dux, minus expertus rei bellicæ, ac Nobilitatis deliciis tardatus, occurrit cum effusa multitudine Carthaginensi, quæ in numerosa turba victoriam collocabat, incomposita, belli inexperta, longa pace & deliciis fracta, temere aut non armata, ut domi quisque offenderat pugionem, securem, venabulum, præustam sudem, aut lignum acuminatum. ante prælium typhonica tempestas exorta exercitum hunc tumultuarium dissipaverat; prælium committitur; facilem abjectis armis fuga sua seque mutuos conculcando & trudendo victoriam Capeliano & corpora sua ante portam Urbis confecti Numidis Jaculatoribus præbuerunt. Fortiter pugnans (h) hic ad Carthaginem cecidit *Gordianus Junior*, circa Kal. Julias an. Chr. 237. æt. 46. Imperii (si recte putamus, quod & Patris est:) circiter an. i. mense i. Cor-

pus ejus inveniri non potuit, quia forsitan despoliatum & deformatum discerni nequibat. Hic finis. A Senatu postea cum Patre inter *Divos* relatus est, decretis etiam templis. Fuit Princeps literis & moribus clarus, magna studiorum fama, maxime cum illi, carissimo & acceptissimo suo discipulo, Sere-nus Samonicus, Q. F. (illius, qui Medicina, & scripto de ea claruit) Gordiano I. amicissimus, Gordiani Junioris Præceptor; (errat enim Keuchen ad Samonic. p. 68. cum Aliis, qui Samonicum Patrem Præceptorem faciunt, contra Capitol. c. 18. & ibi Casaub. nam hic Patrem a Filio distinguit, nec Filium ait Medicum) legasset Bibliothecam Patris copiosissimam & splendidi-ssimam 62000. librorum. potro erat forma conspicuus, qua Pompejum Mi referbat, memoriæ singularis, bonitatis insignis, ut ad verbera aliorum in Scholis puerorum ipse adhuc puer lacrumaretur. Quæstor fuit sub Elagabalo: Prætor Urbanus & mox cos. sub Alexandro: Legatus Patris Procos. Africa-ni missus a Senatu sub Maximino. Vini cupidior fuit, rosati, mastichini, absynthitis, & similium. Cibi parcus, ut quasi puncto temporis cœnam finiret; rarius enim prandebat; Vestitu cultissimus, servis & omnibus suis carus; civibus & Reip. ad consultationem nunquam defuit. Oratione & ver-su erat ingeniosus, sed simul luxuriante ingenio. corpore erat vasto & obeso, unde recentium pomorum, olerum, menfarumque frigidarum erat præ aliis alimentis avidior. Vixit in deliciis, in hortis, in balneis, in amœnissimis nemoribus; nec tamen inter hæc Fortunæ bona a Virtute & Constantia de-generavit, semper illustrissimis Civibus annumeratus. Uxorem nunquam ducere voluit, mulierum tamen cupidissimus; fertur enim habuisse xxii. Concubinas, & ex his omnibus ternos quaternosve filios, unde appellatus est *Sui temporis Priamus*, ab aliis per jocum *Priapus*. Hæc digessimus ex Scri-ptoribus subinde laudatis, quibus addendi Zosimus 1. 16. in *Gordianis*; sed qui in his non satis accuratus errat, dum narrat, Gordianos ex Africa Ro-mam petentes naufragio periisse. fabula nata ex tempestate illa, quæ ante prælium decretorium copias Gordianorum dissipavit. Victor *Epit. num.* 41. sed dum ait, Gordianos P. & F. *arripuisse Principatum*, aut commode ex-plicandus est, aut erroris damnandus. Nummi ap. Patin. *Num. Imp. ex ære* p. 362. sed qui errat, dum hunc Nummum vultu juvenili, nudo capite: M. ANT. GORDIANVS KAICAP, dubitat adscribere *Gordiano III.* nam Gordianus II. nunquam fuit *Cæsar*, sed statim *Imp.* vide Cuper. *l. l.* p. 9. Nummi ap. Tri- stan. *T. 11.* sed qui p. 465. de suo liberalis est, dum contra omnem veterem Historiam fingit, cadavera Gordianorum Romam fuisse mari missa, ut conderentur Gentilitio monumento, illa vero tempestatis vi fuisse submersa. vide Cuper. *l. l.* p. 30. Nummos Colonicos *Gordiani Senioris* tantum qua-tuor, in Ægypto cufos, observavit Foy-Vaillant *l. l.* p. 137. (Vide *Numism. Græc.* Vaillant p. 147. nullos *Junioris*, spem tamen aliquam subesse Nummos in Africæ coloniis in Eorum honorem percussos aliquando recupe-randi. Nummi *Gordiani III.* ærei Scto percussi videantur ap. Vaillant. in *Numism. Ær.* p. 148. 149. argentei in *Numism. Arg.* p. 141. Aureos Gordiano-rum P. & F. ibidem ait non observari; sed sunt tamen in *Theaur. Brandeb.* ap. Beger. p. 720. 721. In his Nummis occurrunt: *Virtus*, *Providentia*, *Victoria*, *Securitas Augg.* item: *Paci Aug.* & *Romæ Æternæ.* Inscriptio-nes, quæ sine ullo dubio ad *Gordianum P.* aut *F.* referri possent; hæctenus vidi nullas.

M. JVLIVS PHILIPPVS ARABS.



L O T I C H I U S.

Primus Arabs Christum confessus mente PHILIPPUS,

Ut fama est, illo tempore Cæsar erat.

Sensit is infestos cum gnato militis enses,

Hic, ubi nunc patria est, docte Catulle, tua.

H O F M A N N U S.

Electus Marcus (c), mox Hostilianus (d), at illis

Submotis tenuit sceptrâ Philippus (e) Arabs:

Veronæ (f) tandem misere cum prole (g) necatus,

Cui nimium semper vita severa (h) fuit (i).

E N A R R A T I O.



Rtus (a) patre nobilissimo latronum ductore, (b) patria Arabs Trachonites. (c) Post cædem Gordiani Jun. Senatus Marco Senatori hatud dubie, sapientiæ & Philosophiæ dedito, Imperium detulit, sed is morbo mox in Palatio absumtus est; (d) Sev. dein Hostilianum Imp. creavit, sed & hic infelici venæ sectione brevi interiit: utriusque memoriam

riam Zonarae & Cedreno debemus. (e) Tolerare ergo Philippum coactus est, Principis sui interfectorem, anno C. 244. Hic itaque pace cum Persis facta, & in Arabia Bozra urbe instaurata, ac a nomine suo appellata Romam venit, millesimumque Urbis conditæ annum summa solemnitate celebravit, ann. 248. (f) Decium dein, quem ad bellum Scythicum miserat, ab exercitu Augustum salutatum, debellaturus, Veronæ occisus est, a militibus suis, a Decio corruptis, ann. C. 250. Imp. 6. (g) filio duodecenni, Cajo Junio Saturnino Philippo, quem pater collegam assumpserat, anno 247. hunc Romæ Prætoriani, audita patris cæde, neci dederunt. (h) Adeo severi & tristis animi fuisse dicitur, ut tener adhuc nullo prorsus commento ad ridendum potuerit solvi, patremque ludis secularibus cachinnantem vultu notaverit averfato. Jul. Capitolinus in *Gordian. III. cap. 30. & seqq.* Zosimus *lib. 1.* Aur. Victor in *Gordiano & Philippo*, Eutropius, Orosius, Eusebius *Chron. num. 2259. & 2261.* Cassiodorus *Chron. alii.* (i) Origenes, eo imperante, scripta sua in lucem edidit, de quibus dictum. *In ea parte, qua probatur Origenes, neminem post Apostolos habere æqualem, in ea, qua reprehenditur, neminem deformius aberravisse,* Bucholc. *Chron.*

Additamenta HENR. CHR. HENNINL.

PHILIPPUS, Pater, natus fuit *Bosiris*, vico ignobili Arabiæ, tractus *Trachonitici*, quem vicum imperio confirmato in Urbem *Philippopolin* commutavit, operibus publicis, dignitate, cultu, muris ornatissimam, (vide Auctor. *Expos. totius mundi c. 19.* & ibi Jac. Gothofredi *notas.*) in quam coloniam Veteranos dimisit, ut & Damascum Cœlesyriæ, Neapolin Samaritæ. Carpos, Sarmatæ Europææ populos, pridem loca Istro vicina populates repressit; hinc in Nummis VICTORIA CARPICA; & ut Daciam ad sui conservationem tanto magis adstringeret, liberam provinciam pronuntiavit, & Colonos in ipsius urbibus collocavit, Veteranos, *V. Macedonica, & XIII. Gemina*, Legionum, ibi hiberna agentes. Hic Poëtas noluit esse immunes, *l. 3. C. de Prof. & Med.* Publica puorum cinædorum meritoria clausit, exoletorumque classes sustulit. Uxor illi fuit *Marcia Otacilia Severa*, quam gratis ajunt Christianam fuisse, ex fictis ad illam Origenis epistolis, quas vel nummi Ejus idolis pleni refutant. Philippum hunc porro fuisse Christianum, atque ab eodem quoque Filium in societatem cœtus nostri traductum complures tradunt, cum Veteres præeunte Eusebio *H. E. VI. 34.* Hieronymus in *Scr. Eccl. in Origene*, Oros. *VII. 20. & 28.* Jornandes de *Regn. succ. p. m. 491.* Metellus Tegenensis in *Od. Quirinalib.* ap. Henr. Canis. *A. L. t. I.* & Alii plures medii ævi. quid? audent & illum Monachi jungere Martyribus. Vide Barth. *Advers. XLVIII.* 6. Eum Recentiores, quos inter excellunt Baron. *Ann. Eccl. an. 246. & 249.* Octav. Falconer. in *Diff. de Nummo Apamens.* Huet. *Origenian. lib. I. p. 19.* Natal. Alexander *H. E. Sec. III. P. I. c. ult.* Ant. Pagi *Crit. Hist. Chron. ad an. CHR. 248.* Ant. Cocc. Sabell. *Ennead. VII. lib. VII. p. 362.* Petr. Tassin. de

Ann. & Lud. Sac. I. 8. II. 12. & ex professo Auctor *des Entretiens Historiques sur le Christianisme de l'Empereur Philippe*, Ultraj. 1692. 12. Mihi cum sexcentis Aliis non minoris judicii & doctrinæ Viris placet grave magni Scaligeri judicium ad Euseb. *n. 2260.* *Ne magnam injuriam sacrosancti Christi cultui faciunt, qui primi hunc latronem Arabæ, Domini sui, Imp. innocentissimi, & Reip. maxime necessarij interfectorem, idolorum cultorem, & ex cujus vita nihil tale colligi potest, Christianum ausi sunt dicere.* quid enim? 1°. mentitur ergo Lactantius *Div. Inst. I. 1.* ante Eusebium, rerum proximarum suæ ætati & superiorum notitia insignis; & Sulpit. Sev. *H. E. II. 48.* qui Constantinum primum Christianum Imp. agnoscunt. 2°. Nummi Philipporum Diis Deabusque pleni aliud clamant. PIETAS in illis sensu Gentili occurrit, ut in tot aliis. 3°. Christianus Ludos Sæculares celebraret, daret ad gladium & occideret mille paria fiscalium Gladiatorum? Capitol. in *Gord. III. c. 33.* 4°. imo præsens & præses in hac cruenta carnificina petulanter cachinnaretur, averfante Filio? Aur. Victor *Epit. c. 43.* 5°. pateretur Pontificum lege hostias mactari, & per haruspices inspicere, hisque crederet? Vict. in *Cass. c. 28.* 6°. Juliani Christianis iniquissimi Satyram Cæsaream evaderet? 7°. Scilicet Gentiles a fato Christianos Imp. solenni ritu Divos consecrabant! Eutrop. *IX. 4.* 8°. *Acta Pontii* Surii hujus fabulæ accessione auxit, quæ deest in edit. Baluzii *Miscell. II. p. 130. 131.* 9°. S. Quirinus gratis Philippi F. fingitur, tacet Prudent. *Ælii 51. Qu. Hymn. VII.* Sed vide etiam Fr. Spanhem. *Hist. Chr. Sec. III. c. 2. § 3. p. 701-704.* & Ejusd. *Disquis. de Mamea & Philipporum Christianismo.* quid igitur? judicio Zonarae *T. II. 6.* Φιλίππος εὐφρόνως ἦν τοῖς Χριστιανοῖς, *Philippus bene adfectus fuit erga Christianos.*

XXX.

MESSIVS QVINTVS TRAJANVS DECIVS (a).



LOTICHIUS.

Panno gente fuit DECIUS, sed mente Tyrannus,
 Par DECIUS DECIO nomine reque patri.
 Qui dum Christicolas funestis cladibus angunt,
 Funus in obscuro sustinuere lacu.

HOFMANNUS.

*Christiadum octavus (b) sequitur Nero, cujus ab ore
 Prodiit edictum sanguinis atque necis.
 Sanguinis at sitiens simul & quoque natus Hetruscus (c),
 Pugna in Gotthigenas (d) interiere simul (e).*

ENARRATIO.



Pannonia (a) Syrmiensium vico ortus, in Illyrico militum suffragiis nactus Imperium, Philippum mox ad Veronam devicit, ann. C. 250. (b) Vid. quæ post dicemus. (c) Q. Herennius Etruscus Messius Decius, a patre, volente Senatu, in societatem Imperii adscitus, *Optimi Principis* nomen, & Trajano æquiparari meruit, virtutum omni genere instructus ar-

misque promptissimus. (c) Postquam L. Valentem Lucianum Imperio in-
hiantem Decius oppressisset, adversus Gothos Danubium transgressos pro-
fectus, eos primo tantum non ad incitas redegit: postea a Treboniano
Gallo limitis Mœsiæ Præsidente, consiliis Imperatoris proditis, ita circumven-
tus est, ut, amissa primo magna exercitus parte, cum filio, ipse dein,
dum manus hostiles evadere cupit, paludibus merfus occubuerit, cadavere
nunquam reperto, ann. C. 251. Imp. altero, Zosimus *lib. 1.* Aur. Vi-
ctor, Eutropius *lib. 9.* Orosius *lib. 7. cap. 21.* Jornandes *de Rebus Ger. cap.*
18. alii. (d) Sub eo, Ecclesia passa est Persecutionem Oecumenicam VIII.
prioribus omnibus sæviorem, tantopereque atrocem, ut, propter multi-
tudinem deficientium, Novatus in errorem prolapsus, *abnegatores ne pœ-*
nitentes quidem in Ecclesiam recipiendos, asserere inceperit. In eadem Orige-
nes multa & acerba passus, tandem tamen tormentis fidem submisit, Ido-
lisque sacrificavit: lapsu hoc suo postmodum coram tota Ecclesia acerbè de-
plorato. Eadem durante Paulus Thebæus adolescens 15. annor. literis egre-
gie eruditus, Eremita, Fabianus Episc. Rom. postque eum Cornelius, &
Babylas Antioch. senex nonagenarius, inter alios innumeros, martyres fa-
cti sunt, ann. 251. Ansam persecutionis in visione Deus indigitavit, ut
Cyprianus scribit, *quod dormitemus*, inquit, *in precibus, nec vigilanter*
oremus, *Epist. 8.* certe Ecclesia Dei, & quoad fidem, & quoad mores, jam
tum multum inclinare cœperat, Idem *lib. 1. Epist. 2. & Serm. 6. de Orat.*
Dom. Atque his temporibus Monachatus originem suam debet, *Libellati-*
corumque ac Thurificatorum nomina primum audita sunt. Vid. Eusebium *Hi-*
stor. Eccles. lib. 6. & num. 2267. Epiphanium *Her. 64.* Hieronymum *Vita*
Pauli, alios.

Additamenta HENR, CHR. HENNINI.

DECIO, Patri, Imp. prænomen fuit *Cæo*; gens
clarissima, *Deciorum*; patria *Budalia*, M. P. VIII.
Sirmio distans oppidum. (Vide *Itin. Anton. p. 61.* &
ibi *Surit. p. 431.*) invito strictis telis obtrusum impe-
rium, qua de re Philippo Imp. se per literas excusavit,
abdicaturus purpuram, si licuisset. Ad Gesta adde com-
pressum in Gallia Civile Bellum, Jus quintæ relatio-
nis, Tribunitiæ Potestatis, Proconsulare imperium &
Censuram arbitrio S. P. Q. R. redditam, si Pomp. Læto,
in Comp. H. R. in Decio, credimus. hinc in Nummis
Ejus TR. P. omissa. occurrit tamen apud Grut. 273:
6. ut P. F. AVG. P. M. TR. P. III. COS. II. P. P.
PR. COS. & 1021: 6. ut AVG. P. P. TR. P. II. COS.
II. PR. (sic enim pro PI. legendum:) COS. apud Vail-
lant. *N. C. 2. II. p. 204.* ut INVICTVS. P. F. AVG.
P. M. TR. P. COS. II. P. P. PROCOS. itaque S. P.
Q. R. volens & lubens ultro has illi dignitates conge-
serit, quas per modestiam in Nummis jactari noluit;
Sed *Διμαρχικὴν Ἐξουσίαν* tantum Pop. Rom. reddi-
tam innuit Nummus ita inscriptus cum aquila lauream
ore tenente, apud Beg. *T. B. II. p. 733.* Opera publi-
ca Ejus sunt: Thermæ Decianæ (Vide Fam. Nardin.
Rom. Vet. VII. 8.) Mœnia Urbis, quæ instituit & de-
dicavit; ac, ut conjicio ex columnæ, forte milliariæ,
mutila Inscr. Grut. 1021: 6. ad Lacum Benacum, vi-

detur & Viam aut muniisse, aut refecisse. De perse-
cutione Deciana Christianorum videndus Cyprianus
ipse testis passim in *Epistolis*; Lactant. *de M. P. c. 4.*
& ibi Bauldrius, Cuperus, Columbus, Toinardus:
adde Dodwell. *Diff. Cypr. de paucitat. Mart.* & huic
adversum Ruinart. *præf. in Act. Mart.* Origenis lap-
sus valde dubius. Vide Pagium *ad an. 251.* Spanhemii
H. CHR. S. III. c. 9. §. 4. Gothi ante Fœderati Ro-
manis sub Decio primum Romanis bellum intulisse di-
cuntur. sed vide Joh. Loccenii *Antiq. Sueo-Goth. I. 1.*
Fuit cætera Decius Imp. *Sanctissimus*, teste *Inscr. ap.*
Reines. III. 40. laudatissimus Pomp. Læto, qui omnino
ob multa alibi non reperiunda legendus, & jungendus
Aventino *A. B. II. p. 125.* periit A. U. C. 1004. circa
finem *Nov.* aut initium *Decembr.* (ut colligimus ex
Trebell. Poll. *Valerian. c. 2.*) equi ferventis prolapsu
in paludem prostratus Amm. Marcellin. *I. XXXI. circa f.*
æt. 50. apud urbem Mœsiæ Abrittum, eo loco, quo
post fuit *Ara Deciorum*, nam in Divos relati sunt. Uxor
Illi fuit (I. *Sallustia Barbina Orbiana*, quam Alii rectius
ex averfa Nummorum ejus parte Alexandri Severi con-
jugem; Alii hujus Filiam, cognominem matri, Decii-
primam uxorem faciunt: II.) *Herennia Etruscilla*, do-
cente Seguino in *Epist. ad Falconer.*

XXXI.

C. VIBIUS TREBONIANVS GALLUS (a).



L O T I C H I U S.

Celta pater VIBIUS cum Celta VOLUSIANO,
 Qui pronatus ab hoc Cæsare Cæsar erat.
 Christe, tuum misere quia pressit uterque popellum,
 Hinc populus misere miles utrumque necat.

H O F M A N N U S

*Post Vibius Gallus conscendit culmen (b) honoris,
 Cumque ipso rector Volusianus (c) erat.
 Sed mox (d), Æmiliane (e), ambos, dux clare, necasti (f),
 Sceptraque gessisti mensibus ista tribus (g).*

E N A R R A T I O.



Post (a) cæsum, cum filio Decium, Gallus non prædam solum & captivos permisit Gothis, sed etiam, annuam pensionem pollicitus 200. drachmarum, recepit in fœdus, (b) ab unica legione Augustus salutatus, ann. C. 251. (c) Vibium Volusianum filium collegam sumpsit. (d) Dum Scythæ, & Persæ passim in provincias Rom. irrumpunt, (e) unicus C.

C. Jul. Æmilianus, Maurus, Sarmatici limitis præses, Gothos aggredi ausus, cum victor extitisset, a suis Imperator creatus, in Mœsia (f) Gallum cum filio, per corruptos a se milites, necavit, anno C. 253. Imper. 2. Zosimus lib. 1. Zonaras tom. 2. Gallo & Voluf. Eusebius Chron. num. 2268. & seqq. alii. (g) Æmilianus, postquam promississet Senatui, se Barbaros Thracia, Persasque Syria, Mesopotamia, & Asia expulsurum, in Imperio confirmatus: post trimestre tamen, exercitu ad Valerianum inclinante, ab iisdem, a quibus acceperat potestatem militibus interemptus est, ann. C. 254. Aur. Victor Æmiliano, Eutropius lib. 9. Orosius lib. 7. cap. 21. Zonaras tom. cit. Æmiliano, Gallo, & Volufiano, alii. Sub his, Ecclesiæ status non felicior. Vibius enim persecutionem a Decio motam continuavit: qua porro durante VII. Dormientes in antrum confugisse dicuntur, ann. 252. Eodem Origenis lapsum, de quo supra, referunt alii. Neque solum persecutio, sed & pestis acerrima, tum sæviit, fidelium animis adeo concidentibus, ut Cyprianus libr. de Mortalitate conscripto illos solari haberet necesse. Romæ, Lucium, qui Cornelio successerat, excepit Stephanus I. qui Africanas & Orientales Ecclesias, propter quæstionem de Hæreticis baptizatis rebaptizandis, excommunicavit, circa ead. tempora. Cyprianus Tom. 5. Epist. ad Pompej. præter quod schisma, & hæresis orta est in Lybiæ Pentapoli, auctore Sabellio Afro, docente unam esse divinæ essentiae personam, tribus solum nominibus distinctam Eusebius Histor. Eccles. lib. 7. cap. 5. quem tamen ad Claudii II. tempora alii referunt.

Additamenta HENR. CHR. HENNIN I.

Hic Trebonianus Gallus ex Trebonia Gente, ut videtur innuere agnomen, in Vibiam adoptatus est. creatus dicitur Imp. in insula maris Africi Meninge, qua nunc Girba dicitur, Viç. Epit. c. 45. (vide de hac Insula purpuræ optimæ matre Ortel. Synon. Geogr. voce: Lotophagites; & Plin. H. N. v. 7. ix. 36.) sed forsan in Victore legendum: cremati, scilicet cum adversus Æmilianum properarent Pater Gallus & Volufianus F. eosque Interamna, (Fora Flaminii ait Jornand. de R. S. in Gallo:) spe præmii amplioris corrupti interfecissent milites, fieri potuit, ut eorum cadavera hostium ludibriis subtracta, Meningem translata, ibique cremata & funerata sint a fidis servis sive Amicis. Gallus vero primus omnium promisso datoque Barbaris tributo majestatem Rom. Imperii prostituit. sæviante illa dira peste anxie studioseque tenuissimi cujusque exsequias, ad favorem quærendum, curavit. Tribunitiam Potestatem denuo Imperatoribus vindicavit. hinc in Nummis ejus Latinis ap. Oecon. An. I. C. 256. legitur TR. P. II. CoS. II. P. P. & in Græcis: ΔΗΜ. ΕΞΟΤΕ. Δ. quæ res mirifice fatigavit, præter plures Alios, Panvinium ad. Fast. II. 180. & Baron. an. 257. n. 35. 36. qui posterior in IV. annos Imperium a Gallo pos-

sessum hinc affirmat: res planissima hæc est. annus TR. P. I. quocunque mense ac die initus, fiebat eo die Decembris, quo Tribuni plebis ordinarii inibant Tribunatum, quibuscum TR. P. singulis annis denuo auspicabantur Imp. teste Dione Cassio LIII. p. 508. (sed Græce loquente.) dies hic erat A. D. IV. Id. Dec. ut constat ex Dionys. Halic. A. R. VI. p. 410. Liv. XXXIX. 52. (Vide etiam Ulr. Obrecht. de TR. Cass. Rom. P.) at vero ostensum est antea, Decii successisse Gallum A. U. C. 1004. exitu Novembris, aut initio Decembris: itaque TR. P. annus I. finitus A. D. IV. Id. Decembr. A. U. C. 1004. cum cœpit TR. P. II. usque ad IV. Id. Dec. an. U. C. 1005. quo cœpit TR. P. III. usque ad IV. Id. Dec. an. U. C. 1006. quo cœpit TR. P. II. quæ finita morte Galli, mense Aprili, an. U. C. 1007. Goltzius Thes. Antiq. 69. omnes quatuor annos TR. P. in Græcis & Latinis Nummis Galli refert, ut appareat eruditissimo Vaillantio in N. Col. T. II. p. 211. minus commoda suspicione opus non fuisse. Uxor illi fuit Hostilia Severa, Hostiliani Severi F. Hostiliani Imp. & Tryphænæ, Decii, filii, Uxor, Soror. Vide Tristan. in Eor. Nummis. Gallus periit an. æt. circiter 47.

XXXII.

M. ANTONIUS GORDIANUS III. (a).



Supplementa HENR. CHR. HENNINI.

Ecce PIUM ANTONI, sublatum cæde, *Nepotem*,
 Hocce *Philippus Arabs* proh! scelus ausus erat.
 Quid non designat regnandi dira cupido?
 Nescit amicitiam, Jura, Fidem, Meritum!

Tetraftichum Historicum.

Tertius ANTONI, (b) *claro de sanguine Cæsar* (c)
 Augustusque (d): *vocor Deliciæ populi* (e).
Sed me florentem gestis (f) *ars dira Philippi* (g)
Sustulit immeritum (h), *mors nec inulta fuit* (i).

ENARRATIO HENR. CHR. HENNINI.



ORDIANUS III. ab Aliis (a) ad distinctionem a Patre & Avunculo cognominatur *Pius*, quoniam in Nummis & Inscr. fere semper hoc epitheto gaudet, postquam Imperium suscepit. Apud Amm. Marcellia. xxiii. 15. Julianus in Oratione ad Exercitum vocat *Juniorem Gordianum*, quia scilicet P. & F. erant Dyarchæ, hic vero Monarcha. Alias sæpe *Nepos* appellatur: plerunque etiam *Gordiani* solo cognomine agnoscitur in Nummis & Inscr. sine illo *Africani* cognomine, quod non habuit. ANTONIUS (b) porro dictus est, non *Antoninus*, quod nomen nescio qua Reinesii audacia Inscriptionibus intrusum est, loco *Antonii*: Vide Reines. Inscr. III. 37. 38. 39. 86. Apud Grut. 29: 14. habetur quidem in Inscr. Lactoratensi, de Tauropolio: *Imp. Antonini Gordiani P. F. Aug.* nomen; sed legendum esse *Antonius*, docet seq. Inscr. Lactoratensis 30: 1. super eodem Tauropolio, ubi: *Pro salute Imp. M. Antonius Gordiani Pii, Fel. Aug. & Sabina Tranquillina Aug.* sic 57: 5. ubi *Antonini* est, melior & emendatior

H 3 *

dator illa ipsa, ut apparet, Inscr. habetur 89: 11. ubi est *Antonl.* ita & 262: 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 1006: 8. 1085: 10. 11. unde vero Aventinus *Ann. Boj. l. 11. num. 27. & 29.* exculperit hic *Ælios Antonios Gordianos*, quæro. Cæterum natus est Romæ, sub fidere Capricorni, 9. Jan. an. II. C. 978. Coss. L. Turpilio Dextro & M. Metio Ruffo. Chr. 215. Vide Foy-Vaillant *Num. Col. T. 11. p. 145.* Pater illi fuit *Junius Balbus*, Vir Consularis, Capitolin. *Gordian. c. 22.* Pater *suffectos Coss.* fuerit, oportet, cum in serie *Ordinariorum* non reperiatur.) neque enim tam illustri capitis Pater ignoratur, ut putaverat ad Victor. in *h. Imp.* elegantissimi ingenii & rarissimæ doctrinæ Matrona Affina Daceria, Tanaquilli Fabri F. Pater mortuus fuisse videtur ante dignitatem Soceri, Affinis, & Filii. nam altum de Eo silentium, & si vixisset, Reip. per Impp. admotus fuisset, denique notanter Capitol. *Gord. c. 22.* de hoc Gordiano III. ait: *Apud Matrem educatus est.* Mater fuit *Metia Faustina*, Gordiani Senioris F. Gordiani II. Soror Germana. Valde hic fluctuant Veteres, (vide *l. l.*) circa Parentes Gordiani III. imo Capitolinus passim de illis dubitanter loquitur: alii Gordiani H. alii *Metia Faustina F.* nominant. Facile omnia hæc componi possunt, si dicamus Gordianum III. a Gordiano II. Avunculo fuisse adoptatum. Colligimus illud ex ipso nomine, ex acclamationibus, ex collatione Auctorum, & quia ipse se recognovit Imperatorem & Imperatorum prolem, *l. l. c. 30.* ibidemque *Philippus Imp.* reputabat Eum *Nepotem ac Filium Imperatorum.* *Cesar (c)* factus est v. Non. Julii (ita lege apud Capitolin. *Max. & Balb. c. 1.* pro vii *Cal. Jun.* quod corruptum esse ex v. *Non. Julii* clarissime apparet ex sequenti: *Ludis Apollinaribus*: qui 11. Julii sive 7. *Kal. Jul.* habebantur, ut notum ex *Kalendaris Veterum*: anno U. C. 990. Chr. 237. ætatis 12. completo, 13. currente. Cum enim Senatus in æde Concordia *Maximum & Balbinum Impp.* fecisset, jamque de more in Capitolio cum & pro novis Impp. rem divinam faceret, factum est, ut Populus & Milites Gordianum hunc *Cesarem* peterent. Itaque Impp. Populum ad Rostra convocat, Se a Senatu electos Impp. docent; at acclamavit P. R. cum Militibus: *Gordianum Cesarem omnes rogamus!* ac permissoresque se negabant, ut ad Palatium armis stipati irent, nisi Nepote Gordiani *Cesaris* nomine nuncupato; quare Gordianus hic, metu gliscentium turbarum, statim raptus est ad Senatum, & novo genere Scti, cum eadem die Sctum factum esset, inductus in Curiam *Cesar* est appellatus, ac inde indumento Imperatorio lectus concioni ostentatus. Cum *Cesar* esset, contigit eodem anno, ut inter Populum & Prætorianos Romæ atrox seditio commoveretur, quam Balbinus, ut Senior, Pupieno contra Maximum ad bellum profecto, cum sedare non posset, Gordianum hunc *Cesarem* purpuratum, longissimi hominis collo superpositum, ad Populum produxit: quo viso Populus & Milites usque adeo placati sunt, ut amore illius in concordiam redirent. vide Capitolin. *Max. & Balb. c. 9. & 15.* Pupieno & Balbino militari seditione cæsis circa 22. Jun. an. Chr. 238. Gordianus eatenus *Cesar*, an. æt. 13. completo, 14. currente, a Militibus & Populo & Senatu, & omnibus Gentibus ingenti amore, ingenti studio & gratia *Augustus (d)* est appellatus, statim Et Consulatus proximi anni destinatus, atque ita Pax inter Populum, Milites & Veteranos tandem coa-luit. Sed jam olim Senatus 26. Jun. an. Chr. 236. lectis in Senatu Gordiani Senioris Imp. literis acclamaverat: *Nepoti Gordiani Præturam decernimus, Nepoti Gordiani Consulatum spondemus, Nepos Gordianus Cesar appelletur: Tertius Gordianus Præturam accipiat!* Capit. *Maximian. P. c. 16.* Verum tum temporis intra solum favore vota ea fuerunt, sine re secuta. Cum vero Capitolinus *Maximin. P. c. 25.* narrat Acclamationem Senatus post nuncium cædis Maximianorum: *Maxime Auguste Tibi gratias! Balbine Auguste Tibi gratias! Tibi gratias Gordiane Auguste!* ibi vox ultima vel omittenda, vel *Cesar* reponendum: aut, si lectio vera est, fuerunt exundantis gaudii honorifica verba sine re ipsa. His tamen verborum honoribus deceptus videtur Eutropius ix. 2. ut scriberet: *Tres simul Augusti fuerunt, Pupienus, Balbinus, Gordianus.* Ita vero in oculis & amoribus erat Gordianus Nepos, ut Senatus omnis eum *Filium Senatus*; Milites per blanditias *Filium*, Populus omnis *Delicias suas (e)* dixerit. Mox anno æt. 16. Chr. 241. Uxorem duxit *Furiam Sabinam Tranquillinam*, Mysithei, doctissimi & eloquentissimi, simulque regnandi artium peritissimi, Viri, & post a Genere facti PF. PR. (cujus laudes passim vide apud Capitolin. *Gordian. c. 23. & seqq.*) Filiam moribus ac forma præstantissimam, de qua legi meretur erudita & elegans *Dissertatio* Othonis Sperlingii ad *Nummum Furia Sab. Tranq.* in quo ob artem Musicam & citharædicam Afirticis Populus probatam, cum Maritum in itinere comitaretur, per Germanes, aliosque etiam Græculos adulandi prudentissimos artifices, Deæ specie consecratur, vide Foy-Vaillant *Numm. Col. T. 11. p. 138. 154-156.* & Beger. *Thef. Brandeb. p. 729.* ubi Fortunæ Vialis, Amazonis Omphales Herculeis spoliis ornatæ specie occurrit in aversis faciebus. *Concordia Augusti* parisi etiam æreis SC. & aureis nummis est consecrata, Vaillant. *Num. er. p. 157.* & *Num. Arg. & Ar. p. 148.* Est vero eadem *Flavia Valeria Tranquillina*, quæ apud Gruter. 272: 7. Granatæ in Hispania Bætica exstat, ubi dicitur *Conjux Imp. Caf. Gordian. Pii Fel. Aug.* nam Epitheta maxime *Pii*, & omisum *Africani* cognomen arguunt Gordianum III. adeoque minus recte Reinesium sequitur Sperling. *l. l. p. 33-39.* & Senioris Uxorem putat. *ta Imp. Caf. Gordianus Pius Aug.* totidem verbis occurrunt in Nummis Gordiani III. ap. Goltz. *T. R. A. p. 66.* At unde *Flavia Valeria Tranquillina*? ut *Furia Sabinia Tranquillina* a Matre dici, ita ab Avo aut Avia dici potuit istis primum nominibus: deinde, quid si Milites Illiberitani non acceperant verum nomen Augustæ? aut quid si lapidarius Scalptor confudit per errorem nomen, aliunde huc transferens *Flaviam Valeriam*? quid si descriptor Inscriptionis literas FV-

RIAE SABINIAE extritiores non potuit assequi, & verbi causa ex FV... IAE... AI... IAE

IAE fecit notissimum sub Constantino FLAVIAE VALERIAE nomen? Porro *Tranquilla* & *Tranquilliana* cognomina sive ex Inscriptione, sive ex Nummo, aut ignorantia, aut cælatori aberranti debentur. *Sabinia* an *Sabina* dici debeat, inquirunt Sperling. *l. l. p.* 30-33. Spanhem. *de P. & U. N. Diff. II. p.* 92. & VII. *p.* 634. 635. qui *Sabiniam* probat. argumentum Hevini ap. Sperling. *l. l. p.* 31. quod inter 6000. nummos *Gordiani III.* duos tantum repererit *Sabinia*, cæteros omnes *Sabina*, non adeo firmum est; nam alterum extremum crus *rv* N paullo productius hoc modo *N . . .* valet *NI*, & facile apex ille deteri potest in Nummis: sed rem in medio relinquimus. Ex hac * autem Uxore nulli liberi illi fuisse leguntur. quod vero *Claudiam Gothicum Imp.* ex nescio qua Veneris uxoriæ magistra, *Gordiani III.* F. plerique putarunt, teste Victore in *Epit. c.* 48. in eo decepti sunt. hic enim *Claudius* non dissimulasset istam originem paternam adeo nobilem. vide Trebell. *Claud. c.* 11. & 13. Sororem habuit Germanam (vide Capitol. *Gordian. c.* 6.) nuptam *Metio Gordiano*, quem ideo puto *Affinem* dici *l. l. c.* 30. *Gesti* cum honores, tum actus (f) hi sunt: Parvulum nonnulli dicunt *PF. PR.* fuisse, Capitol. *Max. & Balb. c.* 15. sed male, puerulus enim rebus gerendis impar erat. Error natus ex confusione *Gordiani II. & III.* Ille enim *Legatus Patris Procos.* sed jam Imperatoris, *Carthagini, gladii potestate succinctus est, exemplo Scipionum*, (scilicet quo Scipio Africanus Scipioni, post Asiatico, fuit in Asia Legatus, & belli Dux:) quæ verba tam ad belli summam creditam, quam Præfecturam Prætorii, cuius symbolum erat, *gladio accingi*, trahi possunt. hinc Victor in *Cass. n.* 27. videtur errasse: „Gordianum in Persas profectum fuisse Gordiani Senioris F. Eumque contubernio Patris prætextatum, ac deinceps *PF. PR.* interfuisse, & a Militibus per Africam Augustum esse creatum,, at quot verba, tot errata, quæ manifesta sunt. Anno Imperii 2. ætat. 15. Chr. 240. factio Africana duce Sabiniano contra Gordianum III. exorta est, sed illum Præses Mauretaniæ mox obsessum ita oppressit, ut conjurati ad Sabinianum tradendum Carthaginem omnes venirent, crimina confitentes & veniam sceleribus postulantes. Anno sequente exarsit per Saporem bellum Persicum; interim Terræ motu hiatuque aliquot urbes cum populis sunt absorptæ, quod malum ex libris Sibyllinis, celebratisque per Urbem Orbemque ingentibus sacrificiis procuratum est. Anno Imperii 4. Chr. 24. æt. 17. comitibus Socero & Uxore, aperto prius, more Veterum, *Jano Gemino*, Exercitum ingentem, auro optime instructus, in Persas duxit. Fecit iter in Mœsiam, atque in ipso procinctu hostes in Thraciis delevit, fugavit, expulit, summovit. Inde per Syriam Antiochia recepta Saporem submovit, Carras Nisibinque cepit. unde tantopere territus Sapor ut Romanis Urbibus sua præsidia sponte deduceret, eas integras, fortunisque illæsis, civibus redderet, ac in Regnum rediret. hinc a Senatu Gordiano quadrigæ Elephantorum decretæ, queis triumpho Persico triumpharet: *Myſitheo quadriga equorum, currus triumphalis & titulus: Myſitheo. Eminenti. Viro. Parenti. Principum. Prætorii. Præfecto. & Totius. Orbis. Tutori. Reip. S. P. Q. R. Vicem. Reddidit.* At nulla felicitas nimia diuturna. *Myſitheus* Sorer profluvio alvi, supposito per Philippi Arabis artes nefarias (g) veneni magis solventis poculo, loco medicamenti a Medicis dati, moritur hærede Rom. Rep. ut quicquid Ejus fuerat, vectigalibus Urbis accederet. Hujus morte comperta Argunthis Dacorum Rex vicinas Romanorum regiones vastabat. vide Aventin. *l. l.* Soceri loco *Philippus Arabs* factus *PF. PR.* anno Imp. 5. Chr. 243. statim insidias per milites tetendit *Gordiano III.* audi artes: avertit primo naves frumentarias; militem deduxit in loca amonæ egena. hinc fames militem *Gordiano III.* infestum reddidit, decepto per Philippum; „qui mox per milites sparſit rumorem: „Adolescentem esse Gordianum; Imperium non „posse regere; melius esse, Illum imperare, qui Militem gubernare, qui Remp. sciret,, tandem a corruptis militibus principibus palam *Philippus* ad Imperium poscitur, frustra renitentibus Gordiani Amicis. itaque fit Imperator ab Exercitu circa Ctesiphontem... (vide Victor. *Epit. n.* 42.) & uti quasi Tutor Gordiani cum Eodem pariter imperaret. hinc Philippus intumescere & contentum Gordianum habere. hic vero insolentiæ superbæ impatiens apud Milites ingratum Philippi animum conquestus id egit, ut illi Imperium abrogaretur. sed factio Philippi major fuit. quare, cum minor haberetur, petiit saltem *æquale Imperium*, nec impetravit; dehinc, ut loco *Cæsaris* haberetur, nec obtinuit; porro, ut *Præfecti* loco esset Philippo, sed & hoc negatum; tandem, ut Philippus Eum pro *Duce* haberet & pateretur vivere. sed ne impatiens consortis quandoque Gordianum III. ob merita, nobilitatem & amorem, exoleſcente ira, videret forte plane, se deturbato olim reſtitutum, clamantem Gordianum e conspectu suo abduci jussit, spoliari & (h) occidi. facta hæc cædes mense Martio A. U. C. 997. Chr. 244. æt. 19. Imperii 6. in Persidis Romanique Imperii finibus, in reditu, xx. M. P. a Circeſſo, Romanorum caſtro, quod Euphrati imminet, Abora fluvio in morem circi circumfluente, haud procul *Refaina*, (Ammian. *l. l.* at Aventin. *l. l.* videtur *Zaitam*, quod ſignificet *oleam*, locum juxta Eufratem, vocare:) eo loco, qui poſtea dictus *Sepulcrum Gordiani*, quia Milites Illi honorarium ibi Sepulcrum fecerunt, hoc, literis Græcis, Latinis, Persicis, Judaicis, Ægyptiacis, ut ab omnibus legeretur, titulo: *Divo. Gordiano. Victori. Persarum. Victori. Gothorum. Victori. Sarmatarum. Depulſori. Romanarum. Seditionum. Victori. Germanorum. ſed. non. Victori. Philipporum.* Poſtrema verba aculeum habent in *Philippos P. & F.* sed Milites volebant quaſi reſpici ad pulſum tumultuario prælio ab Alanis *Gordianum III.* e *campis Philippicis*; nec *Philippus* ſophiſmate politico aliud latere, nondum confirmata potentia, credebat, imo *Gordianum III.* ſemper *Divum* appellans apud Milites, ſervatis imaginibus, ſtatuis, titulis Ejus, veteratoria calliditate venerabatur, ſi Diis placebat. sed tamen Licinius, qui a Philippis originem jaſtabat, ſalvo monumento, titulum poſtea

postea erat. Scripsit Philippus Romam, „Gordianum morbo periisse, seque a cunctis „Militibus electum,; Senatus id falso credens, *Gordianum III.* inter *Deos* refert, Philippum *Augustum* nuncupat. Nec tamen diu Manes Gordiani III. erravere inulti (i), quod velut clarente iustitia, omnes, qui in eum conspiravere, cruciabiliter interiere suppliciis: (Julianus ap. Amm. Marc. l. l.) & quicumque Eum gladiis appetiverunt, qui novem fuisse dicuntur, postea, interemtis Philippis, sua manu suisque gladiis, & iisdem, quibus illum percusserant, interiisse dicuntur. Capit. *Gordian.* c. 33. Hæc Imperii brevis Gordiano Nepoti creditur ostentis significata; hostia repente partum edente, dum Avus Imp. Carthagini prodigia vellet avertere; vide Victor. *Cass.* n. 26. & terribili illa Solis eclipsi, ut interdiu nox esset, & sine luminibus accensis nihil agi posset, mox postquam Gordianus III. *Augustus* factus est: vide Capit. l. l. c. 23. Censorini. *de D. N.* c. 21. Scalig. *de Em. Temp.* l. v. p. 362. & seqq. Princeps autem hic antea primo Imperii anno per Spadones ac Ministros Aulicos Matris, vel ignorantis vel conniventis, vendebatur, velut inclusus; quod uxore ducta emendavit, scripta nobili illa ad Socerum sententia: *Miserum esse Imperatorem, apud quem vera reticeantur.* lege Epistolas Principibus omnibus versandas apud Capit. c. 24. & 25. Fuit porro Juvenis lætus, facie Scipionis Asiatici, (Cap. l. l. c. 21.) pulcher, amabilis, gratus omnibus (unde tam prodigiosa Nummorum in honorem Ejus copia, quæ videatur apud Rei Nummariae Scr. tot Inscr., in honorem & pro Salute Ejus & Uxoris & totius domus Divinæ ap. Grut. & Reines. l. l.) in vita jucundus, in literis nobilis, ut nihil præter ætatem deesset Imperio. Magnificus fuit domi & in villis, in spectaculis. Cap. l. l. c. 32. & 33. Religionibus additior fuisse videtur, fuit enim *Frater Arvalis*; vide Inscr. Grut. 1085: 10. collatam Fragmentis Frr. Arvalium 122: 2. Opera Ejus sunt: *Nymphaa* quædam Romæ facta; item *Balnea*, sed in usum Privatorum exornatæ; Porticus in Campo Martio cum viridariis, lithostroto, interpositis sigillis, & in capite Basilicam; cum Myſitheo; & *Thermas Aſtivas Gordianas* post memoratam Basilicam, & *Hyemales Miſitheis*, ut puto, vocandas, in principio Porticus ponendas, facere voluit, sed mors hæc cogitata perdidit. Legionum IIII. Claudiana & VII. Scythica Veteranos Viminacium in coloniam Mœsiæ superioris deduxit, vide Foy-Vaillant. *Num. Col. T.* II. p. 152. 153. In re militari etiam aliquid constituit: Reperio enim *Legionem II. Adjutricem Piam Fidelem Gordianam*, Reines. III. 39. *Legionem XII. Geminam Gordianam*, Grut. 433: 1. *Cohortem XII. Urbanam Gordianam*, ib. 80: 5. *Alam Augustam Gordianam ob virtutem appellatam*, ibid. 1006: 8. *Tribunitia Potestas VII.* quæ negotium facessit Tillemontio *Hist. Imp. in Eo*, & Cupero *Hist. III. Gord.* p. 67. 68. nullo negotio patebit ex iis, quæ post ad Trebonianum Gallum Imp. pag. 62. dicemus. Fontibus passim indicatis adde Euseb. *in Chron. ad h. an.* Zosin. l. 1. in *Eo* Oros. VII. 19. (qui ait *Servorum fraude interfectum haud longe a Circesio super Euphratem*;) Agathiam l. 1. in *Eo*; Herodian. l. VII. & VIII. sparsim, Ruf. *Fest. Breviar.* in *Eo*: (qui *tumulum* ait *adificatum* per Milites Gordiano III. qui *trunulus & nunc* scilicet *Rufi ævo*, *exstet*; *Exsequias* (lege: *Reliquias*) *Romam maxima cum reverentia deductas*) Nummis adde Vaill. *Num. Gr.* p. 148--160. Wheler. *Voyag. in nummis* n. 44. 60. 62. 72. 104. 99.



C. JULIVS ÆMILIANVS (a).



LOTICHIVS.

Miles ad imperii summas ascivit habenas
Te propter nummos, ÆMILIANE, tuos.
Tu tamen imperio paucis vix mensibus usus
Excidis, arma tibi miles ut ipse movet.

HOFMANNUS.

*Ora Mæsiaca præses, dum fortiter hostes
Submovet, Imperium milite dante capit.
Sed mox, qui gyros rerum est revolutibilis, illi
Imperium miles, qui dedit ante, rapit.*

ENARRATIO.



Ælis (a) (ut infra videbimus) Gallo & Volufiano Imperatoribus, Æmilianus, stirpe quidem vilis, sed armis potens Imperium adeptus est, is pro Dacio recenter imperatore creato Sarmatum Præfectus: Schitas quotidianis grassationibus in finitimos irruentes aggressus est, tantamque eorum stragem fecit, ut victi fines suos tueri vix valerent. Schitis tandem

dem ad extrema redactis, in Midiam reversus est, prædam hostium exuvias militibus distribuendam elargitus. Hi Imperatore Æmiliano electo Ducis munificentiam remunerantur: quo facto, & Patri, & nato, Gallo & Volusiano bellum infert, quibus in prælio necatis, fuso eorum exercitu victor solus Imperator extitit. Sed heu! vanæ hominum spes, vix credibili præsumptione elatus, tantum sibi arrogavit, ut brevissimo tempore liberaturum se, Thraciam, Mesopotamiam, & Armeniam ex hostium tyrannide Senatui mandare non erubuerit; quod non verosimile fuit, rem enim necdum aggressus erat, quando, milites in Rhœtia alium Imperatorem ejus excidio sibi legisse certo scivit. Interea Militiæ Duces nobilitatem simul & magnificentiam novi Imperatoris considerantes vilemque Æmiliani ortum recordantes, in ejus mortem consenserunt, quæ pristinam tranquillitatem restauravit. vixit ann. 40. reg. 3. men.

Additamenta HENR. CHR. HENNIN I.

ÆMILIANUS adoptione, aut ambitione, in *Juliam* Gentem, aut *Emiliam* transiisse videri potest. prænomen *Marci* exstat in *Num. Col.* apud Vaillant. *T. II. p. 227. 228.* at vero *Caji* prænomen legit Goltzius in Nummis Ejus Græcis & Latinis, *T. A. p. 70.* Hic reperit *C. Julium Æmilianum*; ille *M. Æmilium Æmilianum* in Nummis *Daciae provinciae*, *Damasci Col. & Viminacii Col. in Mœsia superiore*; item in *Numism. Imp. Graecanicis p. m. 174. 175.* in Nummis *Ægeensium*: ΑΥΤ. ΑΙΜΙΛΙΟΣ ΑΙΜΙΛΙΑΝΟΣ ΣΕΒ. consentit Aurel. Victor *de Cass. c. 31.* at in Nummis Sc. percussis æreis & argenteis reperitur, *Imp. Caf.* (aut τῷ *Caf.* omisso:) *Æmilianus P. F. Aug.* In *Inscr. ap. Grut. 273. 7. D. N. C. Æmiliano.* Causa hujus varietatis est, quod, Eutropio ix. 6. teste, *obscurissime natus* sit, & ipse hinc more solito, ut ante Eum fecerant *Maximianus*, & hujus *F. Maximus*, & *Philippus P. & F.* intruserit se in *Juliam* Gentem, auctorem Imperii. Alii vero adulatione, seu adoptatum credentes, *Emilia* Genti illum *Emilianum* adscripserunt. Romani vero incerti de Gente Ejus, solum *Emiliani* nomen, aut etiam cum prænominе *Cæsaris* signarunt, qua conciliatione admissa facile respondebimus doctissimo Vaillantio, *M. Æmilii*, *Ruperto ad Befold. c. 14. p. 363. 364. C. Julii*, nomina, in *Æmiliano*, tuentibus, alterumque repudiantibus. Fuit genere Maurus, pugnax, nec tamen præceps, militiæ a puero deditus, Dux limitis Sarmatici in Mœsia a *Decio* præpositus, a Gallo continuatus; qui Scythas, sive *Gothos*, cæterosque Barbaros, pensione non contentos, sed latroci-

nantes, eadem Legionibus Pannonicis, quibus præerat, promissa, feliciter cecidit, prædisque actis ac suo militi, cum in Mœsiam reversus esset, divisis Barbaros exhaustis. Hinc a grato milite *Imperator* appellatus, Rem Romanam instaurare voluit. Victor *in Cass.* ait, ab illo arreptum imperium, corruptis militibus; *Vibios* nullo labore seu detrimento devictos; tres menses usum modesto Imperio, morbo absumtum; cum Proceres primo hostem, dein, extinctis Vibiiis, pro fortuna, uti solet, *Augustum* appellavissent. Hinc *L. Virius Paulinus*, *V. C. Comes Domesticorum Præf. Urb. D. N. M. Q. E.* ut *Fortissimo Principi*, *Herculi Fortissimo* in *Inscr. allata*, Ei adulatur. At Victor *in Epit. c. 45.* ait, dominatum menses quatuor; periisse apud Spoletum, sive *pontem*, quem ab ejus cæde *Sanguinarium* accepisse nomen ferant, inter *Ocriculum*, *Narniam*, *Spoletum* & *Romam*. (occisum a suis etiam *Zosimus in Eo*, tradit.) vixisse annos 45. at ego malo 40. cum Aliis, ob *Vota Decennalia* in Nummis, quæ post quartam ætatis decadem vero similis sunt concepta. Fuit Princeps sua virtutis laude dignus, si Nummis credimus. Imo forsan triumphali Scipionum Africanorum agnomine *Emiliani*, ipse Afer Maurus hinc ob fortitudinem a milite olim donatus. Parentes, Uxor, Liberi, Consanguinei Ejus nondum reperiuntur, partim ob obscuritatem Ejus, partim quod forte maritus non fuerit. Perit A. V. C. 1007. circa finem *Junii* aut initium *Julii*, addè laudatis Auctoribus *Pomponium Lætum*, *Zonaram*, *Jornand. in R. S. & Get.*



LICINIUS VALERIANVS (a).



LOTICHIVS.

Christicolis primis cur VALERIANE sub annis
 Cæsar mitis , at hinc nempe Tyrannus eras?
 Rettulit hoc grandi vivo tibi fœnore Persa
 Rex , jubet ut pelles excoriare tuas.

HOFMANNVS.

*Nonus (b) Christiadam , Licini , insectator haberis ,
 Sed mox irati est ultio visa Dei
 Bella (c) , lues , (d) , carcer (e) , subjectaque terga Saponi (f) ,
 Pœna est savitia , Valeriane , tua (g).*

ENARRATIO.

Nobili (a) genere , patre Valerio natus , Cenfor antea ,
 quod ejus vitam censuram dicerent , per omnes dignitatum
 gradus ad Imperatorium culmen ascendit , meritorum ju-
 re & quasi ex totius Orbis sententia , ann. C. 254. Impe-
 rator factus , Cornel. Valerianum filium collegam sibi ad-
 scivit , quo ad Mediolanum mortuo , Senatus Gallienum , alterum ejus fi-
 lium , Cæsarem creavit , ann. 259. (b) Principio omnibus gratissimus ,

ea Christianos benignitate complectebatur, quanta ante eum Cæsarum nemo: verum depravatus a Mago quodam Ægyptio & ærarii præfecto Macriano, cœpit impuras obire ceremonias, & Christianos variis exagitare suppliciis, ut infra dicemus. (c) Status sub ipso Imperii certe calamitosissimus fuit, Persis, Germanis, & Scythis irrumpentibus. (d) Simul lues ingruerat ingens; aliaque mala, ut iratum Deum profanissimæ etiam Gentes intelligerent. (e) Ipse Valerianus Saporem I. Persarum Regem, a Cyriade, ut in solum Rom. irrueret, incitatum, pecunia placare frustra conatus, Macrianique præfati perfidia proditus in hostis potestatem venit, ann. C. 259. (f) Victori enim equum conscensuro pro scabello fuit, ultimo tandem excoriatus & sale conspersus miserrime vitam finiit. Zosimus *lib. 1.* Aurel. Victor, Eutropius *lib. 9.* Orosius *lib. 7. cap. 22.* Eusebius *num. 2263.* Agathias *de Bello Goth. lib. 4.* Treb. Pollio *Valeriano patre & filio*, Zonaras, Freculfus, Georg. Syncellus, alii. (g) Sub eo Borani, Scythis juncti, Trapezuntem, Nicomediam, aliasque urbes expugnarunt. Zosimus *dict. lib.* At Ecclesia IX. Persecutionem passa est, tam cruentam, ut per omnem Romani Regni latitudinem funderetur sanctorum sanguis, P. Orosius *lib. 7. cap. 15.* In ea occisi, inter alios, Cyprianus ann. 259. & Laurentius ann. 260. Romæ Stephanus quoque I. qui *Transmarinas appellationes* admisit primus, ann. 256. capite plexus est, successore Sixto I. Eusebius *Histor. Eccles. lib. 7. cap. 3.* qui tamen & ipse triduo post cruci est affixus, ann. eod. successore Dionysio, Baleus *Sixto.*

Additamenta HENR. CHR. HENNINL

VALERIANUS paternum *Valerii* Patris genus refert ad *Valerios Cornelianos*, ut puto, qui occurrunt in Inscr. Gruteri non semel, & ex *Corneliis* oriundi sunt, docente agnomine: maternum ad *Licinios*, sic ut hinc in *Liciniam* gentem adoptatus videatur: Victor *Epit. c. 46.* *Colabii* insuper cognomentum illi tribuit. In Nummis vocatur pleno titulo: *Imp. C. (i. Cæsar:) P. Licinius Valerianus P. F. (i. Pius Felix,) Augustus. P. M. TR. P. (II. III. IIII. V. VI. VII.) CoS. (II. III. IIII.) P. P.* Inscr. Gruteri 274: 4. *Imp. Cæs. P. Licinio Valeriano P. F. Aug. Pont. Max. P. P. TR. POT. III. COS.* (addendum ex Nummis: III. qui cum isto anno III. TR. P. concurrat.) ut mirer Panvinio in A. C. V. 1007. adferri Nummum hoc epigrammate: *Imp. Cæs. P. Aurel. Licinius Valer. Valerianus*: qualem nemo vidit aliorum. Puto deceptum falsa ex detritis literis Nummi ærei lectione: ΑΤΤ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟΚ. ΓΑΛΛΙΕΝΟΚ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟΚ. Κ. cum *Valeriani*, *Gallienique* oppositis laureatisque vultibus, & subiecto *Valeriani Cæsaris*. Vide eum apud Choul. *de la Rel. des anc. Romains, ed. Vesal. p. m. 105.* A Panvinio, ut videtur, deceptus Merula *Cosmogr. P. II, lib. IV. c. 19.* errorem novo errore cumulat, describens: *Pub. Aurelium, Pub. F.* (scilicet τὰ *P. F.* in Nummis supra sic male, uti & Goltzius fecit, intelligit:) *Licinium Valerium Valerianum*. Macriani perfidia, qua proditus sit, est fabulosa. Ba-

ron. *an. 262.* hanc prodit, deceptus vitioso Polliionis in *Val. c. 3.* glossæmate intruso. Uxores habuit Valerianus I. *Gallienam*, *Gallieni* Filii Matrem, ut colligimus ex materno avo *Gallieni*, *Gallieno* dicto, apud Poll. in *Salon. Gallien. c. I. II. Marinianam*, *Valeriani Junioris* matrem, forte *Marini*, qui sub Philippis imperium degustavit, Filiam, ut conicit Patinus. Thessalonicam, civibus ex obsidione Scytharum exhaustam, constituit Coloniam. captus est A. V. C. 1013. circa an. æt. 77. nam septuagenarius Imp. factus est. Pollio in *Valerian. c. I.* Mortuo circa an. æt. 87. derepta cutis, & rubro colore infecta in templo Barbarorum Deorum ad memoriam clarissimi triumpho posita est. Vide omnino Lactant. *de Mort. Persecut. c. 5.* & ibi consule Bauldrium, Baluzium, Cuperum, Toinardum; Pagium ad A. CHR. 253. n. 8. 9. 259. n. 3. 4. qui putat eum ab an. Chr. 259. ad an. Chr. 260. in servitute vixisse, teste Auctore *Chron. Alex. Dodwell. Diff. Cyprianic. XI. n. 59. 60.* Salmaf. & Casaub. ad Poll. *Valer. & Gallienos*; Barth. ad Stat. *Thebaid. II. 713.* qui ludibrium a Sapore habitum impugnat, & in Imperio illum consensuisse vult, refutatus Cuperio l. I. Henr. Valesium ad Constant. M. *Orat. ad cætum SS. c. 24.* apud Euseb. Alios subinde laudatos: adde Nummos, & horum Interpp. Trifanum, Vaillantium, Erizzum, Begerum.

XXXIV.

P. LICINIVS GALLIENVS (a).



L O T I C H I U S.

Ut primum summos accepit Cæsar honores,
 Tam bonus & præstans tam GALIENUS erat.
 VALERIANE, sed ut simul ac tu, POSTHUME, regnas,
 Tam malus & præceps tam GALIENUS erat.

H O F M A N N U S.

*A patre Imperii consors (a) adscitus, in ostro,
 Crudelis (b), deses (c), luxuriosus (d) erat.
 Triginta (e) hinc passim caput exseruere tyranni,
 Romanum & misere diripere (f) decus (g).*

E N A R R A T I O.



VId. (a) supra. (b) In milites suos, qui Byzantium vastaverant, quos omnes inermes, contra fidem datam, interemit &c. (c) Ex Persica servitute patrem liberare tanti non habens, imo velut amoto Censore lætatus, satis duxit Odenato, Palmyrenorum Principi, Orientis relinquere ducatum, (d) ipse ganeis & ludis vitam deputavit. Decennia, post interfectos Byzantii milites, quasi magnum aliquid gessisset, novo genere ludorum, nova specie pomparum exquisito genere volupta-

tum celebravit. Neque inter varias bellicas clades, aliaque mala ab irato Deo orbi immissa, aliter rexit Remp. quam cum pueri fingunt per ludibria potestates. (e) Hinc XXX. Tyranni in Imperio passim exorti, quolibet Præsides, per annos, quibus Gallienus & Valerianus Remp. tenuerunt, Imperium ad se trahente. Nomina eorum, *Cyriades, Posthumus Sen. Posthumus Jun. Loltianus, Victorini duo, Marius, Ingenius, Regillianus, Aureolus, Macrianus Sen. Macrianus Jun. Quietus, Odenatus, Herodes, Maonius Balista, Valentes duo, Piso, Æmilianus, Saturninus, Tetrici pater & filius, Trebellianus, Herennianus, Timolaus, Celsus, Zenobia & Victoria*, quorum omnium vitam eodem ordine habes apud Treb. Pollionem. (f) Gallieno interea defectiones provinciarum risu excipiente: *quid? sine lino Ægypti esse non possumus? quid? sine deliciis Asiæ esse non possumus? num sine trabeatis sagis Gallicis Resp. tuta esse non potest?* (g) Interim per hos Tyrannos, in tanta Principis (*quem non viri solum, sed & mulieres contemnebant*) ignavia, servatum Imperium, & in Occidente quidem per Posthumium Galliæ Præsidem, in Oriente per Odenatum Regulum Palmyrenorum, ann. 260. 263. & ejus fortissimam uxorem Zenobiam, ann. 266. Persarum victores. Ipse vero, dum Aureolum bello persequitur, ejus insidiis interfectus est ad Mediolanum, cum Valeriano fratre dissimili, an cum filio P. Licinio Salonino Valeriano, postquam novem annos solus, cum patre sexennium, imperasset, adeoque ann. C. 267. Ingenio non caruisse, docent tum alia, tum quod *oratione, poemate, atque omnibus artibus clarum* Trebellius vocat. Vid. hunc *Gallienis duobus*, item *Salonino Gallieno*, Aur. Victorem porro *cap. 33.* Eutropium, Zosimum, Orosium, Eusebium *num. 2276. & seqq.* alios. Sub eo, Italia a Germanis afflicta est, anno 265. Iisd. Francorum nomen innotescere cœpit, ann. 260. qui Chroco duce Galliam invadere, ann. 63 in Hispaniam & Africam quoque penetrantes, ann. 265. Aur. Victor *dist. loco.* Ecclesia pacem habuit atque ad suos greges Episcopi exules redire, circa ann. 260. Romæ, Dionysio martyrii coronam adepto, surrogatus est Felix I. At Chiliastræ prodierunt auctore Nepote Episc. Ægyptio, & Pauli Samosatani Episc. Antiocheni, *Christi divinitatem* negantis, hæresis viguit, circa ann. 260. & 270. a Dionysio Alexandr. & Gregorio Thaumaturgo refutata, Eusebius *Histor. Eccl. lib. 7. cap. 14. &c.*

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

GALLIENI res Genealogica valde est intricata. conabimur eam ex Nummis, Historiis, & Inscr. explicare, duce Reinseio *Inscr. 111. 41.* sed a nobis hinc inde emendando. *Valerius ex Licinia* genuit P. Licinium Valerianum Aug. cognomento *Colobium*: hic ex 1. Uxore *Galliena*, 2. *Julia Gallieni*, Viri summi in Rep. Filia, sustulit P. Licinium Gallienum Aug. cognomento *Ignatium*, vel *Egnatium*. ex 11. Uxore *Mariniana*, forte P. *Carvili Marini* Aug. Filia, habuit P. Licinium Valerianum, Junio-rem dictum, primo *Nob. Caf. Principem Juvenutis*, deinde & Aug. cui uxor fuit *Gn. Cornelia Supera* Aug. (Plures fuisse Fratres videtur Pollio in *Gallien. duob. c. 11.* innuere, ubi ait de Gallieno, quod *Fratrumsuorum filios conjugavit.*) *Gallienus* Aug. habuit uxorem *Corneliam Saloninam* Aug. ortu Græcam, & ante *Chryfogonem* dictam (quod nomen *Σαλωνίης Χρυσογονῆς Σαβ.* in Nummis Græcis & Colonicis quandoque servat:) forte *Attali*, potentis in Ionia Viri, qui & post Valeriani captivitatem, Gentis ejus tractus Gallieno servavit, Filiam. ex hac Uxore suscepti liberi: 1. *Imp. 2. Julius Saloninus Gallienus*, in Nummis etiam *Nob. Caf. Princeps Juvenutis*. 2. *Julia*, Filia, in *Inscr. Grut. 275: 7.* dicta: *Nobilissima puella*. 3. *P. Licinius Saloninus Valerianus, Nobil. Cafar, Princeps Juvenutis*. (hic videtur P. Diacono *H. M. x. 31.* dici: *Cornelius*: nam in Nummo apud Goltz. *Th. A. p. 72.* & in *Gracis* ap. Vaillant. *p. 187.* legitur: *P. Lic. Cor. Sal. Valerianus, N. C. Princeps Juvenutis.*) 4. *Saloninus Gallienus*,

Minor seu *Junior* dictus, in *Inscr. statuz* ap. Pollion. in *Sal. Gall. c. 1.* (quam cur ex Panvinio laudet *Grut. 275: 6.* non video:) *Minor* in Nummo, ap. Goltz. *l. l.* it em *Puer* ap. Pollion. in *Posthumio c. 3.* in Nummis: *N. Caf. Princeps Juvenutis*. occisus a Gallis in gratiam Postumii. Poll. *l. l.* Sed, præter *Chryfogonem*, *Gallienus* habuit uxorem *Pipam*, sive *Pibaram*, quam *Aventinus p. m. 227.* *Biberam*, Germano nomine, muliebri decus (*Βιβη-χρῆ*) significare ait, & Marcomanorum, sive Germanorum Suevorum, qui tum Bohemiam ad Danubium usque coluerint, Regis, quem *Attalum* (*Ἄτταλ*, vel *Ἄτταλ*) quod nomen in Zollerana Principum gente adhuc hodie frequentatur:) vocat *Victor Cass. c. 33.* Filiam, quæ male confunditur cum *Salonina* a Victore, & eum sequentibus, forsitan ob Earum Patres, casu cognomines. Hanc a Patre, per pactiorem, concessa parte Pannoniæ, matrimonii specie accepit, ut ait *Victor Epis. c. 47.* at quia non credebantur nuptiæ, quas civis Rom. cum peregrina contraxisset, hinc Pollioni *Mulier Barbara*, & *Victori l. l.* *Concubina* dicitur. adde *M. Velfer. Rer. Boic. 11. p. 126.* Ad Gesta Gallieni refer: *Germanos, Ravennam usque progressos, prospere repressos; Zonar. T. 11.* Ad opera publica: *Urbem adificiis instauratam, ad bonum Italia, Gallia, Hispania publicum, itinera, varie per Provincias interrupta, refecta.* *Grut. 158: 9.* de Francis hujus ævi vide *Carion. Chron. Aventin. l. l.* & *Boxh. H. V. in hoc Imp.* Perit exosus Senatui & populo *A. V. C. 1021. ztat. 50.*

XXXV.

FLAVIUS CLAUDIUS (a).
IV. IMPERATORES ROMANI,
ANTE DYARCHIAM CUM POLYARCHIA MIXTAM.



LOTICHIUS.

CLAUDIUS extinctos post bis ter quinque Tyrannos
Dalmata non longo tempore Cæsar erat.
Aurea scuta suis pugnans acquirit ut armis ,
Mox naturali morte solutus obit.

HOFMANNUS.

Post mala tot mire Tarpejam restituit rem (b)
Dalmata (c) , mente acer justitiaque valens.
Prostravit Gotthos , Alemannos (d) contudit , intra at
Vix binos annos (e) occidit hocce decus (f).

ENARRATIO.

Claudio Allieni (a) morientis sententia Imperator designatus , eum
in Divorum numerum retulit , ann. 267. Princeps alias
tantarum virtutum , ut si diutius vixisset , Camillos &
Scipiones superaturus crederetur. (b) *Ejus vita , probitas ,*
& omnia , quæ in Republica gessit , tantam posteris famam de-
dere , ut S. P. Q. R. novis eum honoribus post mortem affecerit , Expressa tho-
race

vultus ejus imago, & statua aurea decem pedum in Capitolio collocata, Treb. Pollio. (c) Gente Dalmata (Gordiano satus, ut nonnullis visum, teste Victore) e cujus fratris Quintilii filia natus Constantius Chlorus, ab Imp. hoc *Flavii* cognomen assumpsit. (d) Gotthos, aliosque populos barbaros, repressit, & 320. mill. Alemannorum cecidit, ann. 269. Aureolo dein ad Mediolanum victo caesoque, in Oriente Zenobiam, quæ Ægyptum subjugaverat anno 266. itidem superavit eod. anno 269. (e) Sed peste mox correptus Sirmii in Pannonia obiit, devoto, ut putabatur, pro Rep. capite, ann. Imperii 2. Treb. Pollio, & Aur. Victor *Claudio*, Zosimus lib. 1. Eutropius, Orosius, Eusebius num. 2286. Suidas voce Σαύθαι, alii. (f) Sub eo, Synodo Antiochiæ convocata, Paulus Samosatensis, supra memoratus, qui Artemonis hæresin resuscitaverat, damnatus est, Eusebius *Histor. Eccles. lib. 7. capp. 22: & 23*.

Additamenta HENR. CHR. HENNIN I.

CLAUDII Gothici genus est obscurum. Fuit gentis Illyricianæ, Poll. *D. Claud. c. 14*. Dalmata, aut Dardanus; Patre, Avis, Majoribus ignotis, *l. l. c. 13*. licet adulatrix prudentia, in Constantini M. & FF. gratiam, Eum vel ab augusta Flavio-*rum* gente, vel ex Gordiani III. sanguine, vel ex *Claudii Imp.* prioris Fratris, vel ab ipso denique *Dardano, Ilové, Trojanis Regibus*, arcessat. cœpit imperare circa *ix. Kal. April. an. V. C. 1021*. obiit mense, ut puto, Jan. an. V. C. 1023. sic habemus TR. P. III. quæ occurrit ap. Grut. 276: 2. inchoandam aut finiendam, ut diximus, 10. Decembris cujusvis anni; unde licebit de illa interpretari Sortem Virgilianam Claudio datam, *l. l. c. 10. Tertia dum Latio regnantem viderit æstas. & Porphyr. in vit. Plotini*, qui ait; *Claudium secundum annum* (sc. TR. P.) *peregisse, tertium cœpisse*. Nummus Claudii Ægyptius cum L. F. I. E. AN. III. ap. Beger. *Th. Br. p. 755*. si huc non respicit, percussus est, cum annus III. inchoaretur, aut mox inchoandus esset, nondum perlata obitus fama. Uterque Victor ait *Claudium*, exemplo Deciorum, pro salute Reip. se devovisse. Multi fabulam putant, quia non legitur occisus. quasi vero devoti necessario debuerint occidi aut in bello perire; quod falsum Historia Romana novit. Ergo mors Imp. *Claudii* ex dira illa pestilentia lue, per Gentiles devotioni imputata. Hoc ipsum vult Victor uterque; lege modo ambos, & mecum senties. In Nummis pleno nomine est: *M. Aurelius Claudius*; sæpe adduntur: *P. F. Invi-ctus, Aug. P. M. TR. P. P. P. COS. PROCOS. Germanicus, Gothicus, optimus Princeps*. In Inscr. eadem occurrunt: sed ap. Grut. 275: 9. dicitur: *Imp. Caf. Flavius Claudius*; sic etiam ap. Poll. *D. Claud.*

c. 7. ubi Salmasium vide: & ap. Vopisc. Aurel. c. 17. unde *Flavium* prænomen postea in Constantii Chlorigentem ejusque Successores manavit. apud Reinesf. III. 42. vocatur: *Divus Claudius Gothicus Maximus P. F. Victor ac Triumphator semper Augustus*, Eique Ordo *Interamnatum*, tanquam *Municipii Servatori Amplificatorique*, ob illustria Ejus gesta & amorem erga Cives, *Arcum triumphis insignem* dedicat. In illo *Traiani virtus, Antonini pietas, Augusti moderatio, & magnorum Principum bona* eluxerunt. Pollio *l. l. c. 2*. Ad nobilia dicta Ejus refer: *Reip. potius hostes, quam Principis, esse persequendos*. Ejus quoque tempore jactatum est a mimo Ejus quodam: *In uno annulo bonos Principes posse perscribi atque depingi*. Vopisc. *Aur. c. 42*. Inter acta *Claudii* porro nota; quod consecrarit Gallienum; quod *leges optimas dederit*. Hinc mirum non est, bonæ spei ergo statim acclamatum illi fuisse a Senatu: *Auguste Claudii: Dii Te nobis præsent! Principem Te, aut qualis Tu es, semper optavimus! Te Resp. requirebat! Tu frater, Tu pater, Tu amicus! Tu bonus senator! Tu vere Princeps!* hinc & Julian. in *Sat. Cass.* de eo ait; *omnes Deos vultum oculosque defixisse in Claudium, magnopere admirantes Illius magnanimitatem, tum etiam annuisse Ipsius Posteris, rerum potiri: justum esse existimantes, Viri patria tam amantis posteritatem quam diutissime principem in Rep. locum obtinere*. Obiit circa an. æt. 46. siquidem sub Decio adolescentiam exegerat, consecratus est summo S. P. Q. R. amore & consensu. de Ejus Uxore aut Liberis nihil adhuc constat. Adde Rufi Brev. Jornand. de R. S. Zonar. T. II. in *Claudio*; & e Recentioribus Aventinum p. 128. Rupert. ad Befold. p. 379. & seqq.

M. CELIUS BALBINUS.



QUID VOTA SOLVIS MUNERA, UT REUS VOTI,
BALBINE, DIVIS? NITERIS PEDE INCERTO.
QUÆ MAXIMUM DEXTRA SUSTULIT TALE
NIHIL TIMENTEM, RUMPET ET TIBI VITAM.

E N A R R A T I O.

BALBINUS ergo, qui una cum Maximo Imperator electus est, natus est Romæ anno ab v. c. 930. & post natum Christum 178. Pater erat B. Cornelius Theophanes nobili genere natus. Mater ignoratur. Nec de uxore satis constar, cum nullus Historicorum de ea mentionem faciat. Ratio, qua Balbinus & Maximus ad principatum pervenere, sic sese habet. Post tristia Gordianorum fata, quæ prioribus Enarrationibus sunt descripta, Romani, ut paulo ante dicere incepimus, convenere non quidem in curiam, quo antea consueverant, sed in templum Capitolini Jovis, quod in arce summa præcipuæ venerationis Romani habebant. Ibi clausis foribus soli quasi teste & confessore, atque adeo rerum omnium inspectore Deo, selectis, qui ætate ac dignitate cæteros anteirent, ne quibus suffragia ferrentur, ex omni numero Maximus atque Balbinus plurimis suffragantibus Imperatores creati. Horum Maximus cum sæpe exercitibus præfuerat, tum præfectura urbis egregie gesta maximam ingenii providentiæque, præterea vitæ continentis opinionem vulgo de se præbuerat. Balbinus autem patricii generis homo, consulatu iterum gesto, multisque

K *

pro-

provinciis sine ulla querela administratis, morum simplicior habebatur. Ita creati principes, Augustique appellati, ac Senatusconsulto omnibus Imperatoriis honoribus affecti sunt. Dum hæc aguntur in Capitolio, interea Pop. Rom. incertum subjicientibus Gordiani amicis ac necessariis, an tantum rumoribus exciti, facto ad portas concursu, viam, qua itur in Capitolium, totam conferta multitudine occupaverant, lapidesque & fustes ingerentes, rebus in Capitolio actis adversabantur, Maximum inprimis recusantes, severiorem quam ut eum lenis multitudo facile pateretur. Quapropter eo maxime offendebantur, clamantes identidem ac minitantes, utrumque se confestim occisuros. Nam ipsi ex Gordiani genere principem sibi deposcebant, ut in familia, nomineque eo nomen Imperatorium remaneret. Balbinus autem ac Maximus equestris ordinis juventute, atque urbanis militibus cum gladiis undique stipati, egredi Capitolio conabantur, sed lapidibus ac fustibus coerciti, donec subjiciente nonnemine ad hunc modum populo imposuerunt. Erat puer quidam infans adhuc ex Gordiani filia natus, qui nomen avi sui referebat. Hunc igitur submissis quibusdam adferri ad se jusserunt. Qui cum domi eum ludibundum offendissent, impositum in humeros per mediam ferebant multitudinem, plebi ostentantes, ac nepotulum Gordiani dictitantes, vocantesque eum nominatim, quoad in Capitolium pertulerunt, populo subinde acclamante, & conspergente puerum frondibus. Cum itaque Senatus Cæsarem illum declarasset, quando adhuc per ætatem Remp. gerere non poterat, & iræ multitudinis resederant, passi videlicet sunt in aulam Palatinam Senes Imperatores commigrare. Sed incidit per eos dies civitati Rom. funesta calamitas. Nam cum Senatus haberetur, duo ex militibus Maximini ad fores curiæ accesserunt, exploratum quæ gererentur, inermes & tantum subarmalibus & sagis induti. Constiterant autem pariter cum reliqua multitudine, sed cæteris ante fores præstolantibus, duo tresve ad summam curiosiores audiendi curiam ingressi, sic ut ultra aram quoque Victoriæ penetrarent. Hoc non ferens senator quidam nomine Gallicanus, alterque item prætorius Mecænas, nihil tale expectantes milites repente adactis in corda pugionibus interficiunt. Hi ita cæsi jacebant prostrati ad altaria. Hinc turba multa exorta. Gallicanus enim, quando semel tantum facinus ausus erat, bellum protinus civile suscitavit. Adeoque Romani ad castra militum cæterorum contenderunt, qui re strenue gesta, postquam in Romanos eruptionem fecissent, tuti sese intra munimenta sua receperunt. Maximus adversus hos magnam armatorum partem eduxit: reliqui ad urbis custodiam tutelamque relictæ. At Balbinus domi se continens populo per edictum supplicabat, ut in gratiam cum militibus rediret, quibus etiam omnium quæ patraverant oblivionem atque impunitatem pollicebatur. Sed dum hæc Romæ geruntur, & Maximinus quoque rebus ad Aquileiam infelicitè gestis obruncatur, ii ipsi tandem, qui sub Maximo & Balbino militabant, quid in sinu gestarent patefecerunt. Indignissime enim jam a principio tulerant hos datos sibi a Senatu principes. Conjuratone igitur facta prorumpunt in aulam, & turbatis januarum custodibus, Senem corripiunt utrumque, laceratisque vestibus, quas gerebant, nudos ipsos abstrahunt, ac per omnem ignominiam contumeliamque cædentes irridentesque Senatorios Imperatores, barbamque & supercilia vellentes, neque ulli parcentes totius corporis ludibrio, ad castra deducebant. Quo ubi perventum est, illos nullo non ludibrio prius affectos contrucidant, relictis in media via cadaveribus.

XXXVII.

VALERIUS AURELIANUS (a)



LOTICHIUS.

Primus Cæsaream geris, AURELIANE, coronam,
 Laudatus quamvis non ita Cæsar eras.
 Te genuere Daci, sed patria Syrmia fovit,
 Causa tuus miseræ fit tibi scribe necis.

HOFMANNUS.

*Aurelianus cum sequitur (b) virtutibus illo
 Haud minor & minus haud prosperitate valens.
 Testes (c) sunt, Tetricus (d), Zenobia (e), Firmus (f), adacti
 Oenotrio tandem subdere colla iugo (g).*

ENARRATIO.

Sirmii (a) aut in Dacia Ripensi modicis ortus parentibus, (b) extincto Claudio, & Quintilio ejus fratre post 17. dierum Imperium, omnium legionum consensu Imperator salutatus est, ann. C. 269. (c) præter Gothos, quos in Danubio vicit, ann. 270. Sarmatas item, Suevos, & Marcomannos, quos, Mediolanum & Placentiam usque progressos, aliquot præliis fregit, ann. 271. Bojosque, quos in Vindelicia cecidit, ann. 274. (d) qui Galliam & Hispaniam tenebat, in deditio-

K

nem

nem acceptus, ann. 273. (e) quæ Orientem occupaverat, ad Innam victa, & triumphata cum Tetrico, ann. sequente (f) qui Ægyptum sibi vindicaverat, ann. 273. (g) Idem urbem ampliavit, ann. 272. Aureliam & Genevam instauravit, ann. 273. disciplinam militarem rigidissime exercuit; in Monetarios rebelles nimium severus, in filium aut filiam sororis, aliosque non paucos etiam crudelis. Dum in Persiam cogitat, dolo ac perfidia Mnesthei scribæ, qui, manum Imperatoris imitatus, multorum magnorum virorum nomina in catalogum, quasi ad exitium conjecerat, ab hisce trucidatus est, inter Heracleam & Byzantium, ann. C. 275. Imp. 6. Flav. Vopiscus, Aur. Victor, & Zonaras *Aureliano*, Paulus Diac. *Histor. Miscell. lib. 6. cap. 36.* Freculphus, Eutropius, Zosimus, Orosius, alii. Sub eo Ecclesia sat bene habuit, ut qui Paulum Samosatensem jam altera Synodo Antiochena, sub Imperii sui initia, depositum, suffecto ei Domno Demetriani Episc. filio, cedere nolentem, vi depulit publica. Eusebius. *Histor. Eccles. lib. 7. cap. 29.* Postea vero dicto edicto contra Christianos subscripturus videbatur Imperator, ni mors prævenisset. Orosius *lib. 7. cap. 16.* Romæ, Felici martyrio sublato Eutychianus successit, circa ann. 275. At Ecclesiam ut porro perturbaret Satan, Manichæorum hæresin excitavit, quæ, per Africam, Arabiam, & Ægyptum sparsa, 200. annos & ultra grassata est. Auctor primus Scythianus Saracenus, qui Empedoclis & Pythagoræ opiniones cum Christianismo miscuit; dein Buddas discipulus ejus; tandem Cubricus, qui, *Manetis* assumpto nomine, Buddæ libros sub suo nomine vulgavit, seque *Paracletum & Apostolum vocavit, Lege & Prophetis abrogatis*, circa idem fere tempus. Socrates *Histor. Eccles. lib. 1. cap. 17.* Porphyrius e Christiano acerrimus itidem fidei hostis evadit &c.

Additamenta HENR.

AURELIANI Imp. nomina & tituli hi in Nummis & Inscr. occurrunt: *Imp. Cæs. L. Domitius Aurelianus P. F. Aug. Inviſtus, P. M. T. R. P.* (usque ad VII.) COS. (usque ad III.) *Procos. Imp.* (usque ad III.) *P. P. Gothicus Maximus, Palmyrenus Maximus, Germanicus Maximus, Arabicus Maximus;* (Pollio *Aurel. c. 30.* addit dictum quoque *Sarmaticum, Armeniacum, Parthicum, Adiabenicum;* ac a Senatu, post devictos Carpos, *Carpicum*, quod cognomen repudiarit, ut deforme.) *Magnus Augustus; Princeps Maximus, Pr. Optimus, Inviſtissimus & Victoriosissimus Pr. Imp. fortissimus, Conservator Orbis, Restitutor Orbis.* Goltz. *Th. Ant. p. 74.* Grut. 176: 4. 5. 6. 7. & in nummo ap. Spanhem. *P. N. Diff. VIII. p. 729.* *Deus & Dominus natus* (hunc forte explicabit Vop. *Aur. c. 41.*) ap. Beg. *Th. Br. T. II. p. 759. 760.* *Restitutor Orientis.* Pater obscurus est, ferturque a quibusdam, Aurelii, clarissimi Senatoris, inter Daciam & Macedoniam, colonus fuisse. Vict. *Epit. c. 49.* Mater fuit Sacerdos Solis in vico Ejus natali, (Vop. *Aur. c. 4.*) qui dubius est. Habuit Sororem Alii nuptam, cujus filiam filiumve interemit *l. l. c. 39.* Uxor illi fuit *Ulpia Severina*, ex qua Filiam unicam sustulit *l. l. c. 42.* cujus nomen ignoratur. cœpit imperare circa x. Kal. Mart. A. V. C. 1023. occisus Martio mense A. V. C. 1029. videtur æt. annos 50. superasse, quippe cui Valerianus jam exercitum crediderit. *l. l. c. 8.* Nummus ap. Beger. *l. l.* cum TR. P. VII. COS. II. recte habet, nec Viros Eruditos torquere debet. quippe an. V. 1028. die 10. Decembr. cum adhuc esset COS. II. iniit TR. P. VII. numera annos & terminos TR. P. & ratio constabit.

CHR. HENNIN I.

Inscriptio *l. n. 4.* conjungit TR. P. V. cum COS. DES. III. male. lege aut TR. P. VI. aut COS. DES. II. Inscr. n. 5. TR. P. V. COS. III. emendanda: TR. P. VII. τὰ II. in margine extremo lineæ fuerunt extrita. Inter Acta Ejus nota, quod ad oppidum sibi occlusum Tyanam, *Canem*, dixerit, *se in eo, si expugnasset, non relicturum*: illo autem prodicione capto, proditorem per milites curarit occidi, militibusque direptionem flagitantibus responderit satis miti animo: *Canem negavi me in hac Urbe relicturum, canes omnes occidite.* Vop. *l. l. c. 23.* Disciplinæ militaris severus fuit exactor, ut ad pudorem degeneris Christianismi ostendit nobilis hæc Ejus epistola militaris ad Vicarium suum: *Si vis Tribunus esse, imo si vis vivere, manus militum contine. Nemo pullum alienum trapiat; ovem nemo contingat: Uvam nullus auferat: Segetem nemo detrat: oleum, sal, lignum nemo exigat: annonæ suæ contentus sit: de præda hostis, non de lacrimis provincialium habeat. arma tersa sint; ferramenta samia;* (i. e. polita cote Samia:) *calceamenta fortia. vestis nova vestem veterem excludat:* (i. e. nondum detrita plane priore sibi mature de nova prospiciat.) *Stipendium in balteo, non in popina habeat: ... alter alteri quasi servus obsequatur: ... Aruspices nihil dent: in hospitio caste se agant: qui litem fecerit, vapulet.* Hæc ille. Soliscultor fuit superstiosissimus, cujus magnificentissimum in Urbe templum condidit. Vide, præter laudatos, Salmat. & Casaub. ad Vop. *Aur. Lactant. de M. P. c. 6.* ibique Bauldrium, Baluz. item Pag. *Cass. p. 380* Julian. *Cass. p. m. 36.* Scalig. ad Euseb. n. 2288. Exc. *Peir. p. 855.* Donat. de *V. R. l. 14.* III. 15. Nardin. *Rom. Vet. l. 8. iv. 9. Ol. Borrich. de ant. V. R. facie, c. 1. §. 5. c. 9. §. 2.* Aliosque.

XXXVII.

M. CLODIUS PAPIENUS MAXIMUS.



INFIDA SORS TE FECIT IMPERATOREM
PLUS NOBILEM VIRTUTE, QUAM TUA STIRPE.
DISCANT POTENTES, IMPERI SITIS DIRA
QUOS USQUE TORQUET, LUBRICAS VICES RERUM.

E N A R R A T I O.



PAPIENUS, quem diximus a Senatu Romano, vivo etiamnum Maximino, una cum Balbino Imperatorem fuisse electum, anno ab V. C. 916. & a Christi nativitate 164. Romæ natus est. Patrem habuit Maximum, fabrum ferrarium, vel, ut alii volunt, Carpentarium. Mater erat Prima, ex humili stirpe prognata. Post parentum fata adoptavit eum Pescennina Marcellina nobilis femina. Ejus historiam paucis dabimus, quando nihil fere habet singulare, ob societatem imperii, quod cum Balbino habebat commune, par quoque illi in lamentabili exitu vitæ. Postquam ergo Maximinus una cum filio crudeliter erat interfectus, urbs Romana omnis lætitiæ indulgebat. Ipseque Balbinus hecatombas immolabat, nullique non magistratus, nulli non e Senatorio ordine lætabundi supra quam dici posset, agitabant, quasi securim cervicibus imminentem excussissent. Igitur nuntii legatique per omnes provincias laureati dimittentur. Dum ad hunc modum tanta Romanum populum lætitia tenebat, interea Maximus Ravenna profectus, Aquileiam pervenit, transmissis paludibus, in quas fluvius Eridanus, ac vicina exundant stagna, sic ut per ora

septem in mare præcipitentur. Aquileienses statim Maximum referatis portis excepere, nullæque non Italiæ civitates legatos mittebant principes viros candidatos ac laureatos, & deorum patriorum simulacra aureasque coronas, si quæ in donariis fuerant, comportantes: qui fausta omnia Maximo acclamarent, & frondibus eum conspergerent. Quin exercitus etiam, qui Aquileiam circumfederat, pacato habitu prodibat laureatus, non tam vero concordique affectu univerforum, quam ficta benevolentia, & honore temporario ad præsentem fortunam principis accommodato; plerisque tamen indignantibus, ac dolentibus clanculum, quem ipsi elegerant cecidisse, rerum potiri, quem Senatus creaverat. Enimvero Maximus uno alteroque die sacrificiis absumto, tertio deum exercitum omnem in planiciem convocavit, atque ex tribunali ad hunc modum verba fecit: *Quam fuerit ex usu vobis pœnitentia, & reconciliata cum Romanis gratia, re ipsa didicistis, pacem videlicet pro bello agitantes, servato etiam militari jurejurando, quod est unum Romani principatus mysterium sanctissimum. Quare debetis etiam deinceps hujusmodi commodis frui, fidem populo servantes, Senatuque Romano & nobis Imperatoribus, quos a nobilitate & rebus gestis, longaue serie generis, quasi per gradus quosdam proventus, pari judicio S. P. Q. R. elegerunt. Neque enim unius tantum hominis peculiaris possessio principatus est, sed communis antiquitus totius Rom. populi. Siquidem in illa urbe sita est Imperii fortuna, nobis autem dispensatio tantum atque administratio principatus una vobiscum demandata est. Qui si ordinem, quem decet, ac modestiam retinebitis, si debitum principibus honorem, ac reverentiam exhibebitis, cum ipsi beatam vitam bonisque omnibus affluentem adipiscemini, tum nationes ac civitates universæ pacem colentes in officio permanebunt. Vivetis autem cuncti ex animi vestri sententia domi suæ quisque, neque in externis regionibus conflictabimini. Ut autem Barbaræ gentes pacem quietemque tueantur, nobiscum erit hic labor. Nam cum duo sint Imperatores, facilius urbanae res administrabuntur atque externæ, præsto scilicet futuro alterutro, quocunque usus vocaverit. Neque vero suspicemini rerum superiorum memoriam ullam superfore, aut in nobis (quippe nihil non jussi fecistis) aut in Rom. pop. nationibusque aliis, quæcunque ob acceptas injurias desciverunt; sit omnium oblivio, sit fœdus constantis amicitiae, fidesque benevolentiae ac moderationis sempiterna.* Hæc locutus Maximus, ac pecunias magna copia pollicitus, paucos Aquileiæ commoratus dies, Romam reverti constituit. Igitur dimisso exercitu reliquo in provincias, castraque propria, Romam revertitur ipse, cum stipatoribus iis, quibus Imperatorum custodia incumbabat, quique delecti a Balbino fuerant, neque non auxiliariis Germanis, quorum potissimum fidei confidebat, utpote quibus olim nondum adeptus Imperium cum potestate præfuerat. Ingredientem urbem Balbinus occurrit, Gordianum Cæsarem secum adducens. Senatus autem populusque universus lætis acclamationibus veluti triumphantes acceperunt. Sed ulcerosi militum animi, ut diximus, has populi faventis voces ægre ferentes impetum in eum ejusque Collegam fecerunt, neque quieverunt, donec ambos e medio sustulerunt. Huic tanti mali quoque existimamus causam fuisse, quod parum curans Balbini clarissimi Viri illustrem nobilitatem solus ad se summam Imperii trahere volebat. Qualis regnandi aviditas multos ad ingentem dignitatem evectos miserando involvit exitio.

CLAVDIUS TACITVS (a).



L O T I C H I U S.

Hunnus erat patria TACITUS, frugalis at, auctus
 Et multis vitæ non fine laude bonis.
 Ædibus, ac doctis locat is dum tempora chartis,
 Febre sibi tandem vim faciente cadit.

H O F M A N N U S.

Sceptra capit (b) Tacitus, mentis moderamine (c) clarus,
 Et magni Tacitum (d) pendit is historicum.
 Sed sexto post mense, Scythas (e) cum vicit & hostes
 Arcuit, a proprio milite (f) casus obit.

E N A R R A T I O.



Consularis (a). Post (b) cædem Aureliani, pudore ac modestia, si non metu, certabatur inter milites & Senatum de novo Imperatore legendo, donec sexto circiter mense, Senatus Tacitum, inter acclamationes, *Quis melius quam literatus imperet?* orbi caput imposuit, (c) virum sane mitem ac frugalem. (d) Corn. Tacitum Historicum, quod pa-

rentem suum eundem dioeret, decies quotannis describi & in publicis Archivis collocari voluit. (e) Supplicio de percussoribus Aureliani sumto, in Asiam iter suscepit, & Scythas, per Mæotidem paludem, in Pontica Ciliciam illapsos, repulit, ann. C. 276. dein contra Monetarios legem tulit. (f) A militibus, qui, cognato ejus occiso, vindictam metuebant, interemptus est, eod. Fl. Vopiscus, Aur. Victor, Zonaras tom. 2. Eutropius lib. 9. Zosimus lib. 1.

Additamenta HENR.

IMP. TACITUS dum *Tacitum* Historicum vocare solebat *Parentem* suum, voluit eopse ostendere, illum sui generis auctorem, quod & Lipsius in *Corn. Taciti vita* verum putat. in Nummis dicitur *Imp. Cæs. M. Claudius Tacitus*, & splendet *Restitutor Orbis*: in Inscr. Grut. 277: 1. 2. titulos habet: *P. F. Inuictus, Aug. P. M. T. R. P. II. COS. PROCOS. P. P.* quæ TR. P. II. non debet turbare Rupert. ad *Besold. Synops. c. 14. p. 385.* ut hinc exsculperet imperium Ejus *ultra annum* cœpit imperare A. V. C. 1029. VII. Kal. Octobr. & simul tunc inchoavit TR. P. deinde IV. Id. Decembr. eodem anno inchoavit de more TR. P. II. Parentes Ejus ignorantur. *Interamnæ* fuit ex Inscr. Reines. III. 42. collata cum Vopisc. *Florian. c. 2.* Si Cornelius Tacitus fuit inter Majores Ejus, tum sane adoptio *Claudiam* ei gentem dederit. electus est Imp. post interregnum sex septemve mensium, Milite ad Senatum, Senatu ad Militem electionem Imperatoris deferente; tandem consensu Militum, ne ipsi forsan conscium cædis Aureliani eligerent, Patres victi *Tacitum* dixerent *Aug.* ex quo jure dandi Imperii, appellandi Principis, nuncupandi Augusti, ad Senatum longo post tempore reverso, tantum fuit gaudium, ut Senatus publice super ea re literas dederit ad Curiam Carthaginiensem, & Trevirorum, Antiochenes, Aquilejenses, Mediolanenses, Alexandrinos, Thessalonicenses, Corinthios, Athenienses; imo & privatim literæ gaudii testes mitterentur. Supplicationes decretæ, hecatombæ a singulis Senatoribus promissæ. Senatores omnes domi suæ albas hostias cædebant, imagines Majorum frequenter in atriis aperiabant, quasi antiquum splendorem sibi redditum credentes, albat sedebant, & convivia sumtuosiora solito maturius celebrabant. interregni tempus sine turbis, sine Tyrannis fuit, quod cum interregno post Romulum eleganter comparat Vopisc. *Tac. c. 1. & 2.* scilicet terrebant vestigia Senatores & Duces, ne a Senatu lecti Militi displicerent, aut ab hoc lecti, Senatu; futuri victimæ hujus aut illius. hinc, cum rumor emerisset, *Tacitum* Imp. esse creandum, discessit, & in Bajano duobus mensibus fuit; sed inde deductus Sc. interfuit, quasi vere privatus, & qui vere recusaret imperium. unde plerique Eum absentem & in Campania latentem Principem nuncupatum vere produnt. Vop. *Tac. c. 7.* caussatus senium & debilitatem primo recusavit Imperium, Probo, ut fertur, illud deferens; Vop. *Prob. c. 7.* sed dein accepit expugnatus consensu Senatus & rationibus Senatoris Consularis Mæcii Falconii Nicomachi. adeo amplissimi ordinis judicium distabat a militari tumultu, in curia testantis: „Neminem, aut justius, quam gravem „Virum; aut prudentius, quam doctum imperare „posse,, adjuratus est Falconii oratione gravissima, ne parvulos suos liberos Romani heredes imperii faceret, sed optimum aliquem Principem. Vopisc. l. I. c. 6. & *Florian. c. 1. 2. 3.* Ergo Liberos plures & Uxorem ha-

CHR. HENNIN I.

buit, quorum nomina ignoramus. nec Uxor Ejus *Augusta* videtur dicta fuisse, aut cuspis nummis honorata, quippe Vir frugalis & minime ambitiosus senex Uxorem nec gemmis, nec auro nec clavatis vestibus voluit uti. Vitam Ejus graphice depingit Vop. in *Tac. Flor.* & obiter in *Probo*; ex qua hæc excerpo: Capitale esse, cum bonorum proscriptione, sanxit, si quis argento publice (in Monetis) privatimve (in instrumento & vasis) æs miscuisset, auro argentum, æri plumbum. Holosericam vestem Viris omnibus interdixit. Meritoria (puto innui lupanaria;) intra Urbem stare vetuit. vetuit servos in Dominorum capita interrogari, ne in causa majestatis quidem. Thermas omnes ante lucernam claudi jussit, ne quid seditionis oriretur. Mensẽ Septembrem, quo & natus erat, & Imp. factus, *Tacitum* appellari jussit. Inter opera publica: Divorum (puto Consecratorum Imp.) fieri templum jussit, in quo essent statuæ Principum bonorum, ita ut iisdem, natalibus suis, & Parilibus, & Kal. Jan. & Votis libamina ponerentur. Thermas publicas suo sumtu ex domo sua fecit. Columnas C. Numidicas pedum XXXII. Ostiensibus donavit. In vita privata fuit frugalissimus & liberalissimus publico. Patrimonium suum publicavit, quod habuit in redditibus HS. bis milles octingentis. (i. e. 8750000. Imperiales unciales, sive 7. milliones Ducatonorum:) Pecuniam domi collectam in stipendium militum vertit. Possessiones suas Mauretanicas fartis testis Capitolii deputavit. Argentum mensale privatum epulis Templorum sacris dedicavit. Fabricarum peritissimus fuit, marmorum cupidus; nitoris Senatorii, venationum studiosus. Legit senex minutulas literas ad stuporem, nec ullam noctem intermisit, qua non aliquid vel scriberet vel legeret. negatum, quem petierat ipse Fratri, Consulatum lætatus dixit: *Scit Senatus, quem Principem fecerit.* Aureliani cædem ultus Ejus memoriam sanctissime coluit. obiit Tyanæ, in Cappadocia, Vict. *Cass. c. 36.* vel apud Tarsum in Cilicia, Vict. *Epit. c. 51.* in Ponto. Cassiod. & Prosp. in *Chron.* at Jorn. de R. S. male: *apud Pontem.* Occisus a militibus, Zosim. in *Tac.* mortuus ex febris Victor *Epit. l. I.* interemtus insidiis militibus, vel ex morbo, Vop *Tac. c. 13.* (intelligo suspicionem veneni & hinc morbum & mortem.) A. V. C. 1030. mense Aprili medio circiter, anno ætat. 75. post Gothos sive Scythas ex Cilicia ejectos, hinc in Ejus nummo: VICTORIA GOTH. & in mutila Inscr. ap. Grut. 192: 5. dicitur *Gothicus maximus.* imperavit menses VI. (Eutrop. Vop. Euseb. Prosp. Aq. in *Chron.*) Jornandes male annos VI. numerat. Victor uterque ponit 200. dies, quæ sententia receptior. Cenotaphium Interamnæ in solo proprio ipsi constitutum, cum statua marmorea pedum xxx. sed fulmine dejecta, contrita, dissipata. Vop. *Flor. c. 2.* Adde Scalig. ad Euseb. n. 2291.

XXXVIII.

M. ANNIVS FLORIANVS.



L O T I C H I U S.

Grandibus imperium cepit temerarius ausis,
 Qui FLORENS nomen, sed minus omen habet.
 Dextra diu raptos sed non temeraria fasces
 Gessit, at hæc domino contulit ipsa necem.

H O F M A N N U S.

*Annius huic frater suffectus (a) in orbe regendo
 Perpaucos gessit regia sceptrum dies:
 Mox Tarfi occisus (b) meruit vix Caesar haberi,
 Ostensus saltem, raptus ab orbe simul.*

E N A R R A T I O.



Post (a) obitum Taciti, Florianus frater ejus, Imperium quasi hæreditarium, nullo Senatus aut militum consulto, invasit, anno C. 276. (b) Sed vix uno alterove mense retenta dominatione, stupido Imperatori ademptum est. Tarfi enim milites alium sibi Imperatorem decreverunt, quare ad arma prope ventum est; interim seditio Ducum solertia

sedata, & Probus unanimiter Imperator constitutus fuit; quod grave ferens Florianus, dolore orbatu Imperii, occubuisse fertur; plurimi tamen eum suo ~~desperantis iussu~~, ~~venis in pede secatis~~, mortem ~~subisse~~, alii probabilius victum a Probo apud Tarsum, a militibus suis interfectum asserunt, fratri sane dissimilis fuit, ut qui temerariis ausis, summum Imperii sceptrum, illo recusante, arriperet; sed infelicis istius audaciæ poenas luit. Bonus alias, sed deformis Princeps, more ingenii humani altiora nimis appetens, ad malum potius quam ad bonum proclivis interit. Vid. Auctores supra laudatos, Vopiscum præsertim *Floriano Imp.*

Additamenta HENR. CHR. HENNINL.

F L O R I A N U S fuit *Taciti* Fr. sed ex diverso Patre. *Vop. Flor. c. 4.* qui tamen *c. 1.* ait *Germanum* fuisse, scilicet ex eadem matre, ut *Eryx Æneæ* ap. *Virg. Æn. V. 412.* ubi *Servius: Germanus est, secundum Varronem in libris de Gradibus, de eadem Genitrice manans.* ut non sit opus cum *Casaubono* intrudere *Vopisco l. 1. τὸ ὄνομα*. fuit, ut in *Tacito* proxime ostendimus, *Interamnæ* Patrē gentis *Anniæ* natus. hinc dicitur in *Nummis: Imp. Caf. M. Annius Florianus P. F. Aug.* Uxorem & multos liberos habuit, sed qui ignorantur. Voluit videri *Militari consulto* Imperium sumisse, hinc in *Illius Nummis: CONCORDIA MILIT. & FIDES MILIT.* *Zosimus in Flor.* ait a *Romæ* constitutis *Militibus* *Florianum* electum. erat ante designatus *P. F. PR.* cui *Frater Tacitus* *Scythas* debellandos tradiderat. *Civilis illius* vero tumultus hæc series: *Floriano* parebant *Regiones* a *Cilicia* ad *Italiam* usque, item *Transalpinæ* nationes, *Galli*, *Hispani*, *Britanni*, omnis *Africa* cum *Mauretanis* gentibus. at in *Oriente* *Probum Imp.* agnoscebant *Syri*, *Phœnices*, *Palæstina*, & *Ægyptus* universa. Ambobus ad bellum instructis *Tarsum* *Florianus* venit, ibique castra statuit, relicta victoria contra *Scythas* in *Bosporo* non perfecta. *Jaçatur* *Ejus Nummis VIRTUS AVG. & PROVIDENTIA AVG. & FELICITAS AVG.* sed ita factum est, ut jam circumfessis *Scythis* ad sua impune redeundi copiam fecerit. traherat *Probus* studio bellum copiis inferior. erat tum ætas & ingens ejus æstus, cujus insueti *Floriani* plerique ex *Europa* milites passim dira lue correpti peribant. hinc post mutuas ante *Urbem* velitationes, tentante tempeste hostem *Probo*, quidam *Probiani* *Milites* accedentes ad *Floriani* exercitum huic persuaserunt, ut imperio *Florianum* abdicarent. quo facto ad tempus aliquod custoditus fuit, sed cum *Ejus* fautores dicerent, non hoc de *Probi* factum sententia, purpuram *Florianus* resumit, donec reversi, qui significarent, quid reapse *Probus* de ipso statueret. interim ipse, cum *Matris* velut viventis umbra per diem se illi obtulisset, desperans venas sibi incidit, & *Probo* connivente, hortantibus *Probianis*, in *Ejus* gratiam a *Suis* in sui homicidio adjutus, & additis iñtibus interemtus est *Tarsi*, (sic enim concilio utriusque *Victoris*, *Vopisci* & *Zosimi* diversa narrata:) *A. V. C. 1030.* sub finem *Junii* aut initium *Julii*: Im-

perii die 60. *Vict. Epit. c. 51.* vix uno aut altero mense retentata dominatione, *Vict. Cass. c. 37.* vix duobus mensibus, *Vop. Flor. c. 1.* tertio demum mense, *Oros. VII. 24.* duobus mensibus & diebus xx. *Eutrop. IX. in Flor.* diebus 84. *Cassiodor. in Chr.* diebus 88. *Prosp. Aq. in Chron.* quæ tot diversa commode ad duos plus minus menses reducimus. Fuit teste *Senatu* in acclamatione ad *Tacitum Vir bonus.* *Vop. Tac. 5.* quæ forsan illi audaciam ultro sumendæ purpuræ dedit, quasi jam designato *Fratris* successor. fuit imitator morum *Fratris*, sed profusior, imperandi cupidior, jaçantior, hinc in *Nummis* *Ejus: SECURITAS SÆCULI, CLEMENTIA TEMP. FELICITAS TEMPOR.* videtur fuisse provectioris ætatis forte ultra 60. annos. *Interamnæ* illi constitutum *Cenotaphium*, cum statua marmorea pedum xxx. æque ac *Fratri Tacito*: sed dejectæ fulmine ita contritæ sunt, ut membratim jaceant dissipatæ, quo tempore ab *Haruspibus* responsum: *Quandoque ex Eorum familia Imperatorem Romanum futurum, seu per Fæminam seu per Virum, qui det Judices Parthis ac Persis, qui Francos & Alemanos sub Romanis legibus habeat, qui per omnem Africam Barbarum non relinquat, qui Taprobanis Præsidem imponat, qui ad magnam Insulam (Britanniam) Proconsulem mittat; qui Sarmatis omnibus Judicem imponat; qui Terram omnem, quam Oceanus ambit, captis omnibus gentibus, suam faciat: postea tamen Senatui reddat Imperium, & antiquis Legibus vivat, ipse victurus annis cxx. & sine herede moriturus. Futurum hoc a die fulminis præcipitati statuisque confractis post annos mille.* *Vopiscus Flor. c. 2.* hanc *Haruspicum* urbanitatem venuste ridet, qui post mille annos talem Principem promittant, cum forsan memoria prædictionis non amplius sit existitura, nec ipsi tam facile in mendacio deprehendi possint, quam uno sæculo interjecto. eos itaque, rejiciendo ultra x. sæcula eventum prædictionis, pulcre sibi cavisse. addit ironice: forsan *Posteris Taciti* aut *Floriani* millesimum illum annum expectare; item multa epigrammata in istos *Haruspices* scripta, quæ illos ridendos propinent. At ego in his agnosco *Chiliastarum* e *Christianis* errorem, non ita multis ante annis recoctum, & male *Genitilismo* ac æternitati *Romani Imp.* applicatum.

AVRELIVS PROBVS (a).



LOTICHIVS.

Hunnus item patria, sumptis sed prosper in armis
 Cæsar erat quondam nomine teste PROBVS.
 Qui bene dum mores castigat militis, ipse
 En! PROBVS a reprobo milite fusus obit.

HOFMANNVS.

*Nomine digne tuo fasces regnumque capeffis (b),
 Atque hoc ingenti dexteritate (c) regis,
 Bonosum (d) vincis, toleras pietatis amantes (e).
 Christiadas, rigidus (f) militis ense (g) peris (h).*

ENARRATIO.



Pannonia (a) oriundus, civitate Sirmienſi; nobiliore matre quam patre (cui *Maximi* nomen) patrimonio moderato, affinitate non magna, tam privatus, quam Imperator, nobiliſſimis virtutibus claruit. (b) Delatum ab exercitu Imperium invitus accepit, ſæpe dicens, *Non vobis expedit milites, non mecum bene agitis, ego enim vobis blandiri non poſſum,*

sum, ann. C. 276. (c) Germanorum 400. mill. cæcidit, exercitu ejus pluvia frumentaria reſecto, 70. urbes recepit, & 9. Reges ad pedes ſuos proſtratos vidit, ann. 278. In Gallia vineta reſtituit, Gothoſque & Sarmatas proſtigavit, Francos item captos in Britanniam deportavit, *eod.* in Syria Saturninum, ann. 280. in Gallia Proculum, in Rhætia (d) Bonofum tyrannos oppreſſit, pace toto orbe reducta, ann. 282. (e) Vid. paulo poſt. (f) Quum bellum contra Perſas pararet, a militibus, rigidiorẽ diſciplinam non ferentibus, verbo inſuper ejus *Milites brevi fruſtra fore*, irritatis, (g) occiſus eſt, apud Sirmium, ann. C. 283. Imp. paulo ciſ 6. ab ipſiſmet hoc ſepulchri titulo honoratus: *Hic Probus Imperator vere probus fitus eſt, Viſtor omnium gentium barbararum, Viſtor etiam Tyrannorum.* Vopifcuſ, cæterique Auctores ſæpius memorati, in eo, Saturnino it. Proculo & Bonofu. (h) Ejus principatu, Eccleſia magnopere crevit, dum præfecturas & honores militares conſequebantur Chriſtiani, laxioraque conventibus ſuis ædificia exſtruendi facultatem nanciſcebantur. At Manetis, de quo ſupra, ortum in ſecundum ejus annum reſert Cluverus. Gregorius vero Thaumaturgus adhuc floret. Vid. Euſebium n. 2295.

Additamenta HENR. CHR. HENNIN.

PROBUS Imp. ignobilis fuit, licet more novorum hominum licenter aſſumeret nobilium Romanorum *Aureliorum Proborum*, quorum meminit Lamprid. *Alex. Sev. c. 40.* nomen & cognomen; apud Vopifc. *Prob. c. 11.* occurrit & ſub nomine: *Aurelii Valerii Probi.* (L. *Aurelius Valerius*, Sacerdos Jovis occurrit ap. Grut. 1063: 7.) In Nummiſ vocatur: *Imp. Caſ. M. Aurelius Probus P. F. AUG. P. M. TR. P. Inviſtus*, COS. P. P. Huic vini & potum & nomen & vites debent Galli, quos & intellige qui proxime Rhenum in ripa olim Gallica habitabant, ubi & hodie Vinum illud Rhenanum celebratur; præterea eidem Imp. Vinum debent Pannonæ & Mœſi Superiores; ſiquidem opere militari *Almam* montem apud Sirmium, & *Aurem* in Mœſia Superiori vinetis replevit. Sed & Hiſpani Vinum ſuum eidem debent, ut Britanni vites. Germania alias vini uſum ignoravit, teſte Tac. *M. G. c. 23.* niſi quod proximi ripæ Rheni vinum quandoque mercati fuerint. imo Suevi vinum ad ſe importari non ſinebant, quod ea re ad laborem ferendum remolleſcere homines, atque effeminari arbitrentur, teſte Cæſare *B. G. IV. 2.* neque ſæculo nono N. Chr. Germania ciſ Rhenum habebat vinum. Hinc Ludovici Pii FF. in diſiſionis tabulis, trans Rhenum *Moguntiam*, *Wormatiam*, *Spiram* ſibi reſervabant *propter vinum*. Scilicet Domitianuſ olim annonaria lege edixerat, ne quiſ in Italia novellaret, utque in Provinciis Vineta ſucciderentur, relictæ, ubi plurimum, dimidia parte, gratia etiam Legis Aſianis facta. Suet. *Dom. 7. 14.* Philoſtr. *Apollon. Viſt. VI. 17. de viſt. Soph. p. 521.* Scalig. ad Euſeb. n. 2295. Ante Imperium, Valeriani Patrem e Quadorum manu liberavit; Aureliapum a crudelitate ad mitiora ſæpe deduxit; Marmari-

das in Africa vicit; Carthaginem aſſeruit; Ægyptum & Orientis maximam partem in Aureliani poteſtatem redegit. Francos in viſ ſtravit paludibus, Germanoſ & Alemannoſ longe a Rheno ultra Nicrum & Albim ſubmovit. Imperator vero creatus V. Non. Jul. A. V. C. 1030. Romanis Impp. qui fortes, clementes, prudentes fuerunt, par aut ſuperior fuit, vere *Probus*. Aureliani & Taciti percuſſores ſupplicio affecit, exemplo utili. Otii militum acerrimuſ oſor fuit. ajebat enim: *Annonam gratuitam militem edere non debere.* In plurimiſ Ægypti civitatibus opera per militeſ ſtruxit: in Nilo tam multa fecit ut vectigal frumentarium ſoluſ adjuverit; Pontes, Tempia, Porticuſ, Baſilicuſ labore militum ſtruxit; ora Fluminum multa patefecit; paludeſ pleraſque ſiccavit, atque in hiſ ſegeteſ agroſque conſtituit. tandem cum militeſ adigeret ad ſiccandam lacuniſ ac ſoſſa patriam ſibi Urbem Sirmium, quæ paluſtri ſolo hiemalibuſ aquis corruppebatur, ab iſiſdem hinc exacerbatiſ ibidem in Turri Ferrata occiſuſ eſt exeunte Octobri A. V. C. 1035. Sepultuſ a ſore ſe Claudia, unde multi dicunt Claudii Imp. propinquuſ Probuſ fuiſſe. imperavit annos v. meſeſ fere III. ſi recte ponimuſ calculoſ. Idatiuſ in *Chron. VI.* annos; Vopifcuſ *Prob. c. 21. 22.* annos v. Julian. in *Cæſſ.* annos VII. nondum completos ei adſcribit. Apud Rêineſ. III. 46. conjungitur Probi TR. P. VI. cum COS. IIII. poſita erit illa Inſcr. exeunte Decembri A. V. C. 1034 quo inchoavit, adhuc COS. IIII. iſtam TR. POT. VI. ut non ſit opuſ errare in via plana & facili. Acriter ob ſeveritateſ taxatur a Juliano *l. l.* Uxoreſ illi dant *Juliam Proclam* Strada, & hoc præeunte Triſtanuſ, non adeo probante illuſtri Spanhem. *de Pr. N. Diſſ. VII. p. 637.* ſed & liberoſ in infantia mortuoſ illi fuiſſe ajunt.

M. JULIUS PHILIPPUS II.



MAJOR PARENTE CÆSAR EVEHIT SESE
AD ASTRA FAMA LAUDIBUSQUE VIRTUTIS
CULTÆ SEVERA LEGE. QUID TAMEN PRODEST
TRIVISSE RECTI SEMITAM, FERUM FATUM
ID ÆSTIMARE QUANDO NESCIT EX ÆQUO?

E N A R R A T I O.



PHILIPPUS Arabs, percusso cum Persis fœdere, Mesopotamiam illis & Assyriam cessit, non sine victoriarum armorum dedecore: factoque imperii consorte filio C. Julio Saturnino, quem alii etiam Philippum vocant (ferunt enim prius appellatum C. Julium Saturninum Philippum, quam accepto imperio in nomina patris transiret) & numquam risisse perhibent, Romam ingressus, millesimum Urbis annum ludis secularibus ingenti spectaculorum apparatu per triduum celebravit. In quibus dum erat occupatus, Scythæ, qui Misitheo fidem præstiterant, denuo ad prædas conversi, Romani Imperii urbes & agros vastare ceperunt. Alibi etiam omnia turbabantur. Nam Prisci fratris avaritiam, quem exercitibus in Oriente præfecerat, non ferentes legiones, creaverant Imperatorem Jotapianum, Alexandri Severi stirpe tumentem; Pannoniæ autem legiones Marino limitibus Sarmaticis præfecto imperium detulerant. Territus hic Philippus & jam de imperio deponendo consilia agitans, a Decio Pannone confirmatur. Hunc igitur in Pannonias mittit:

L *

sed

sed hoc eventu, ut milites Marino, seditione militari cæso, ipsum Decium, etsi invitum, statim Imperatorem proclamarent. Ea renunciata, veluti furore percitus Philippus in Decium movit. Sed in itinere a suis militibus Veronæ sublatuſ est, traxitque in parricidii supplicium filium, quem Romæ prætoriani interfecerunt. Aurelius Victor tradit hunc principatum fuisse annorum quinque, alii sex. Cædes hæc accidit A. V. 100r. L. Junio Æmiliano iterum, C. Vestio Aquilino Coss. Natus erat Philippus minor anno V. c. 989. & a Christo nato 237. Magnæ virtutes in hoc principe eluxerunt, magna temperantiæ & abſtinentiæ testimonia. Siquidem paternam quoque luxuriam in ludis modo dictis impatienter tulit, suffusus pudore ejus vanitatis. Ea virtus memoriæ posteritatis tradita etiam est, conspicua in nummo, qui hac inscriptione V I R T U S A U G. notatus est; nisi per virtutem velis fortitudinem, qua præcelluit, intelligere. Interim Jotapianus etiam in Oriente per tumultum militum sublatuſ est. Quo facto L. Priscus Macedoniæ præfectus, Gothorum auxiliiſ subnixus, imperium corripuerat. Cui cum Decius mature occurrendum putaret, & Roma digressus esset, Julio Valenti imperium a populo in urbe oblatum est. Sed utrique mox cæsi: & Decius socio imperii allecto filio, quem Hetruscum Aur. Victor, Pomp. Lætus Decium vocat, si persecutionem excipias, qua Christianos afflixit, ira laudabiliter imperavit, ut & Trajano compararetur. Bellum civile in Gallia suscitatum pacavit: Romæ thermas erexit: jus tribunitiæ potestatis & proconsulare imperium arbitrio senatus populique Romani reddidit. Nuncio de Gothorum & Germanorum in Mœſiam & vicinas provincias irruptione accepto, ipse eo cum filio tendit, & victor primis præliis, postea arte in loca palustria attractuſ, & a Treboniano Gallo duce prodituſ, occumbente in acie filio, ira & dolore longius progressuſ, in uligine seu voragine paludis perit, neque cadaver ejus uspiam, quanquam summa cum diligentia quæſituſ, potuit reperiri. Successit Decio C. Vibius Trebonianuſ Galluſ cum filio Voluſiano, quibus Aureliuſ Victor Hostiliuſ Perpennam, quem reliqui tacent, adjungit. Hæc fere præcipua sunt, quæ eo tempore acciderunt. Reliqua in ſequentibus ordine persequemur.



M. AVRELIVS CARVS (a),
Cum CARINO (b) ET NVMERIANO (c) FILIIS.
III. IMPERATORES ROMANI,
SVB DYARCHIA CVM POLYARCHIA MIXTA.



L O T I C H I U S.

Cæsareas CARVS, quoque NVMERIANVS habenas
Ambo regunt simul, hic filius, ille pater.
Grandia qui gestant dum proelia grandibus ausis,
CARVS ab horrendo fulminis igne perit.

H O F M A N N U S.

*Militibus charus (d), Persas (e) dum Marte fatigat,
An morbo, an potius fulmine (f) stratus, obit.
Nec sobolis melius fatum, Carinus (g), ab Apro
Fratre (h) interfecto, casus ab hoste fuit (i).*

E N A R R A T I O.

ROmæ (a), seu Narbonæ, seu in Illyrico, genitus, nihil enim certi constat, per civiles & militares gradus ad Præf. Prætorii sub Probo ascendit, eo dein cæso Imperium sumpsit, ann. 283. (b) Carinum, fluxis pravisque moribus juvenem, & (c) Numerianum, lectissimum disertissimumque adolescentem, filios, Cæsares appellavit. (d) *Tantum sibi apud milites*


lites amoris locavit, ut solus dignissimus videretur Imperio. Vopiscus. (e) Per-
fas civili districtos bello aggressus, Mesopotamiam recepit, *Perfici* hinc co-
gnomen adeptus, *eod.* (f) at postquam ad Tigridem, fluv. Imperii Ro-
mani fatalem, venisset, seu morbo subitaneo, seu vulnere, seu fulminis
ictu, extinctus est, ann. C. 284. Imp. altero. (g) Carinus, quem Pater
adeo non probaverat, ut saepius exclamarit, *non est meus*, in Occidente
Imperium vivo patre inchoatum persecutus quidem, sed praelio contra Dio-
cletianum, dum hosti acius instaret, a Tribuno suo, cujus conjugem
violaverat, interfectus est, anno *eod.* (h) Numerianus, quem pater in
Oriente comitem habuerat, Apri, Praef. Praetorio sui soceri, dolo inte-
riit, cujus caede vindicata Diocletianus ab exercitu Imperator salutat^{us} est,
Vopiscus *Caro, Carino & Numeriano*, Aur. Victor, Eutropius, Orosius,
Eusebius *num.* 2298. Historia Miscellan. *lib.* 10. *cap.* 39. Ruf. Festus *Bre-*
viar. alii. (i) *Ecclesiam* quod attinet, Romae, Eutychiano martyri sue-
cessit Cajus Dalmata, circa ann. 283. Platina & Balaeus *Cajo*.

Additamenta HENR. CHR. HENNIN I.

POST Probum, teste Victore in *Cass. c.* 37. Mili-
tariis potentia convaluit, ac Senatui Imperium cre-
andique jus Principis ereptum; incertum, ipse cu-
piente per desidiam, an metu seu dissensionum odio.
quippe, omisso Gallieni edicto, quo vetabantur mi-
litare Patres, refici militia potuit, concedentibus mo-
deste Legionibus, Tacito regnante. sic nemo Impe-
rium invasisset, nec judicio manipularium, cuiquam,
bono licet, imperium dandum fuisset, amplissimo ac
tanto ordine in castris degente. Verum dum oble-
stantur otio, dum divitiis pavent, quarum usum
affluentiamque magis aestimant, munivere Militari-
bus ac pæne Barbaris viam in se ac posteros dominan-
di. Imp. *Cas. M. Aurelius Carus P. F. Aug. Perficus,*
Parthicus, in Nummis; at in Inscrip. Gr. 277: 5. 6.
7. & 278: 1. additur: *Inviſtus, fortissimus atque*
clementissimus, Pont. Max. TR. P. COS. II. P. P.
PROCOS. Idem sibi arrogat, in nummo aureo, *Dei*
& Domini superba nomina: vide illustr. Spanhem.
P. N. Diff. p. 418. 419. sed & *Dei* appellatione Ei-
dem adulator Calpurnius *Eclog.* 1. & 4. si vera lectio
Vopisci in *Caro c.* 4. ante imperium dictus fuerit *C.*
Manlius Aurelianus. patria illi affectata & Majores
Romae, ubi literis eruditus est; *Illyricianos Parentes*
ei Romae nato Onesimus, sed *Pænos* Fabius Cerilia-
nus adscribunt. alius *Mediolanensem* dixit, sed per
avum juri *Aquilejensis* Civitatis insertum: Alii in
Pannonia; quidam *Narona* in *Illyrico*; Plerique *Nar-*
bone in Gallia natum affirmant. Parentes & Uxor
Ejus ignorantur. forte Uxor fuerit e Gente *Nume-*
ria, unde F. *Numerianus* dictus. ante Imperium
fuit Ciliciæ Procos. ac per civiles ac militares gradus
PF. PR. sub Probo, huic probatissimus, ut plures
Reip. *Caros* optarit, eique publice *equestrem statuat*,
aut *marmoream domum* decreverit. imperium cepit

postr. Kal. Nov. A. U. C. 1035. Tempora *Cari &*
Filiorum valde sunt perturbata, querente Scalig. ad
Euf. n. 2297. & seqq. Bonum Principem *Carum*
fuisse, cum multa indicant, tum illud etiam, quod
statim adeptus imperium, Probi mortem & acerrime
& constantissime vindicavit; Sarmatas, adeo morte
Probi feroces, ut invasuros se non solum Illyricum,
sed Thracias quoque Italiamque minarentur, ita in-
ter bella patientia & stratagematis contuderit, ut pau-
cissimis diebus Pannonias securitate donaverit, occi-
sis Sarmatarum XVI. M. captis diversi sexus XX. M.
Ejus ætate, si Calpurnio *Ecl.* 1. *vers.* 78. fides, *placi-*
da radiavit luce cometes, per XX. dies. Ctesiphon-
tem fatalem esse Romani Imperatoris terminum,
oraculis doceri, ait Victor *Cass. c.* 38. sed artes has
timiditatis explodit Vopiscus *Car. c.* 9. de genere
mortis fidem habeo epistolæ Junii Calpurnii, dicta-
toris memoriæ, ad PF. v. super morte Cari, *l. l. c.*
8. scilicet, „*Carum* vere ægrotasse, exortam cali-
„*ginosam tempestatem; coruscationum deinde ac to-*
„*nitruum, in modum fulgurum igniti sideris, con-*
„*tinuatam vibrationem omnibus veritatis scientiam*
„*sustulisse.* Subito hinc conclamatum, Imp. esse
„*mortuum.* Cubicularios dolentes Principis mor-
„*tem, incendisse tentorium.* hinc emeruisse famam,
„*fulmine interemptum eum, quem, quantum scire*
„*potuerint, ægritudine constet absumtum,* „ Hæc
Junius. Itaque poetice canit Sidon. in *lande Narbon.*
vers. 55. & seqq. „*Nam quis Persidis expeditionem,*
„*aut victricia castra præteribit Cari Principis, & per-*
„*ambulat Romanis Legionibus Niphatem? Tum*
„*cum fulmine captus Imperator Vitam fulminibus*
„*parem peregit.* Julian. in *Cass.* ei videtur nescio qua
de causa, exprobrare neglectam Justitiam. Sed vi-
de saepe laudatos Auctores & Nummos.

VALERIUS DIOCLETIANVS (a), &
AVRELIUS MAXIMIANVS (b) HERCVLEVS (c):



L O T I C H I U S.

Tantæne est tanta sævire tyrannide laudis,
DICLETIANE, tibi, MAXIMIANE, tibi?
Christicolas summo quod pressit uterque furore,
Hinc fuit infami dignus uterque nece.

H O F M A N N U S.

*Quem peperit natum non clara Dioclea, Caesar,
Herculeo junctus sceptrâ Quirina tulit.
His decimam (d) ducibus passa est Ecclesia cladem,
Qui tandem Imperio sponte abiire (e) suo (f).*

E N A R R A T I O.

DAlmata (a), obscurissime natus, matre pariter atque oppido Dioclea, occisoque, ut diximus, Apto, Imperator salutatus, Grajo *Dioclis* nomine in Romanum morem converso, *Diocletianum* se dixit, ann. 284. superbia & sævitia nobilis, alias callidus, amans Reip. amans suorum, & ad omnia, quæ tempus quæsierat, paratus. (b) Ubi comperit, in Gallia Bagaudas late omnia vastare, Aurel. Maxima-

mianum, fidum amicitia, quanquam semiagrestem, militiæ tamen, atque ingenio bonum, Imperatorem consortio adscivit, ann. 286. (c) cui postea *Herculei*, sicut Diocletiano, post Persas, ann. 287. & Sarmatas Gothosque profligatos, ann. 288. in triumpho, de quo mox, *Iovii* accessit cognomen. Cum vero bella undique porro pullularent, ambo Jul. Constantium Chlorum & Galer. Maximinum (de quibus infra) creatos Cæsares in affinitatem vocarunt, ann. 291. qui dum, provincias partiti, Orbem reddidere pacatum, triumphavit Diocletianus, ann. 302. tumque ipse & Maximianus cognomina præfata assumerunt, & ille insuper adorari voluit. (d) Tribus maxime inclaruit Diocletianus, I. quod ab eo *Æra Diocletianæ*, quæ & *Martyrum*, dicta est, Christianis olim multo in usu. II. Quod ultimam in Christianos persecutionem instituit, de qua mox. (e) III. Quod se ultro, ut & Hercules, Imperio abdicavit ac privatus consenuit, ann. 304. ille quidem Nicomediæ, iste Mediolani, Constantio & Galerio Augustis creatis, non tam magnitudine animi, aut metu vicissitudinis, quam tædio Christianismi omnibus quamvis Imperii viribus frustra oppugnati. Aur. Victor *Diocletiano*, Eutropius *lib. 9.* Orosius *lib. 7. cap. 25.* Zosimus *lib. 1.* Idatius *Chron.* Cassiodorus itidem, Festus, Zonaras, Sulpicius Sev. alii. (f) Sub his, ut dictum, *Ecclesia* perpeffa est X. & *ultimam persecutionem*, sed omnium atrocissimam, edicto Augg. promulgato, ann. 302. & initio a templis facto, quæ omnia ipso Paschatis die everfa, libri sacri exusti, Christiani a Magistratibus dejecti, omnique suppliciorum genere, ne propriæ quidem uxori Serenæ parcente Diocletiano, affecti sunt. In ea, inter alios Lucianus Bibliorum interpres, absumtus, sed jam prius legio Thebæa semel atque iterum a Maximiano decimata, tandem penitus concisa est, in Gallia. Romæ, Cajo Martyri suffectus Marcellinus vacillavit, postmodum objurgato Diocletiano & ipse martyr: ut & Marcellus successor ejus, ad sordes damnatus, post frustra admonitum Maximianum, anno eod. Eusebius *Histor. Eccles. lib. 8. capp. 1. & seqq.* ubi propter corruptos Christianorum, maxime vero Ecclesiasticorum, mores tempestatem hanc Ecclesiæ incubuisse docet, Orosius *lib. 7. cap. 17.* Prudentius *Hymno & Martyrio*, ubi Eulaliæ virg. & Romani Diac. Cæsariensis constantiam celebrat, Lactantius *lib. 5. cap. 11.* alii.

Additamenta HENR. CHR. HENNIN I.

IN Nummis *Imp. Caf. C. Valerius Diocletianus P. F. Aug. (Max. Aug. N.) Cof. P. P. PROCOS. P. M. TR. P. Dn. beatissimus; felicissimus*: in Inscr. porro: *Magnus & invictus, D. N. Sarmaticus max. Æternus Imp. noster, maximus optimusque Princeps, perpetuus Imp. piissimus, felix semper, Jovius.* apud Gr. 1079: 2. C. *Valerius Aurelius Diocletianus*, qui 280: 3. 4. jactat, se *nomen Christianorum delevisse, qui Remp. evertabant, item: Superstitionem Christianorum ubique deletam, & cultum Deorum propagatum.* primus ex auro vestem quæsit, serici ac purpuræ, gemmarumque vim plantis subdidit, affluentis tumidique animi indicia. sed hæc levia; nam renovata Caligulæ Domitiani quæ impietate *Dominum* se dici palam passus est, & adorari appellarique, ut *Deum*; documentumque præbuit, humillimos quosque, ubi alta accesserunt, superbia atque ambitione immodicos esse. Cæterum hæc obduxit cæteris bonis, si acce-

Christianismi odium exceperis, & sub *Domini* nomine *Parentem* egit, si credimus Victori *Cass. c. 39.* Consenescens in propriis agris, deposita purpura, cum ab Herculio atque Galerio ad recipiendum Imperium rogaretur, tanquam pestem aliquam detestans respondit: *Utinam Salona possetis visere olera nostris manibus instituta, profecto nunquam istud tentandum judicaretis!* mortuus est III. Non. Decembr. A. U. C. 1069. æt. 68. ex quibus 20. imperavit, 12. (*Vict. Epit. c. 54. prope novem.*) privatus ex Imperatore egit. Uxorem illi *Serenam* jungit ex *Act. Mart.* Trifanus. de morte varia fama est. venenum sumsisse dicitur terribus rescriptis minacibus Constantini atque Licinii. Adde laudatis Suidam in *Dioclet.* Vales. ad Ammian. l. xxiii. Baron. ad an. 285. Scalig. ad Euseb. n. 2300. & seqq. Rupert. ad Befold. c. 14. p. 391-399. ante omnes Lactant. de *M. P. c. 7.* ejusque doctissimos Enarratores.

Q. HERENNIUS ETRUSCUS MESSIUS DECIUS.



ETRUSCE, PALMA NOBILIS TUI MARTIS,
GRAVI TIMENDE DEXTERA, HAUD MINOR PATRE,
SPES ANTEISSES OMNIUM, NISI IMMANIS
TE PRODITOR TRAXISSET IN SUOS CASSES.
INANE FIDEI NOMEN. EST FIDES NUSQUAM.

E N A R R A T I O.



NATUS est hic ab V. C. anno 980, post Christi nati-
vitatē 228. Romæ. Pater erat, ut modo dictum est,
Cn. Messius Quintus Trajanus Decius, post mortem
inter Divos relatus. Mater erat Herennia Etruscilla,
unde Herennii Etrusci nomen accepit. Fratrem habuit
Cn. Valentem Hostilianum Messium Quintum, de quo
sequenti Enarratione agemus. Uxorem autem Tryphœnam, Severi Ho-
stiliani filiam, sororem Valentis Hostiliani Messii Quinti minoris. An
liberos suscepit, pro certo affirmari non potest, cum nullus Scriptorum
id tradiderit. Hunc Pater imperii Socium adscivit, probante universo Se-
natu Romano, cui virtutes ejus erant perspectæ & probatæ. Inde fit,
ut nihil singulariter de eo prædicari possit, quod ejus gesta & paterna
prorsus fuerint communia. Tamen admirabilem ejus indolem deprædi-
cant Historici, & insignem ejus in Patrem suum reverentiam miris mo-
dis extollunt. Dicitur enim, cum Pater eum Imperiali Diademate insi-
gnire pararet, hunc honorem renuisse his verbis: *Vereor ne, si fiam Im-*

perator, dediscam esse filius. Malo non esse Imperator, sed humilis filius, quam Imperator & filius indevotus. Imperet Pater meus: meum imperium sit, parere humiliter imperanti. Certe de eo talis descriptio in nummis & lapidibus invenitur: Q. HERENNIUS ETRUSCUS. MESSIUS. NOBILISSIMUS. CÆSAR. PRINCEPS. JUVENTUTIS. Alibi vocatur IMP. CÆS. AUG. Imperium adeptus cum Patre profectus est ad liberandas Thracias tunc cum Gothi navalibus & terrestribus copiis omnia infestarent. Hostes in angustias locorum, quæ in Dardaniis sunt, compulsi & oblecti sunt, expugnatique fuissent fame, nisi Imperatores a suis essent proditi. Dux hostium exinde per legatos petiit a Patre Decio ut omni præda relicta cum suis se trans Istrum abire sineret. Non dedit hanc veniam ei Decius, avidus eos perdendi, qui toties fractis foederibus irruerant, quique provincias Romani Imperii quiescere non sinerent, sed vivere facerent in perpetuo timore, denique & jam ante Trajano illulissent. Voti fere compos factus Decius mittit Trebonianum Gallum ad obsidendos aditus cum bona copiarum parte, ne quis hostium elaberetur. At ille perfida usus ratione, Imperatoris sui consilium barbaris patefecit, admonens illos ut diviso suo exercitu alios sisterent in insidiis prope paludes, alii prælium moverent Decio, fugamque simularent versus paludes. Barbari his auditis addunt nonnihil consilio Galli, & faciunt quod erat suatum. Sic ventum est sine mora ad manus. At Decius miratus eos, qui modo perculsi erant metu, jam arma sua sponte sumere, & in prælium prodire animo plane gladiatorio, tamen ignarus proditoris copias educit, nihil adhuc dubitans de felici eventu. Magis etiam confirmatus est, cum hostis subito terga daret, quem strenue est persecutus. Cum ventum est ad insidias, atrocissima pugna ac cædes maximæ utrinque sunt factæ. Eoque in prælio, ut jam ante attigimus, cecidit filius Hetruscus in prima acie, cum quidem fortissime dimicaret. Quod cum nuntiarent Patri milites, & pluribus verbis eum solari vellent, animose respondisse fertur: *Unius militis sibi exiguum videri jacturam.* Pater vovens filii cædem ulcisci perit quo dictum est modo.



FLAVIUS (a) CONSTANTIVS (b) CHLORVS, &
GALERIVS (c) MAXIMINVS (d).



L O T I C H I U S.

Imperium in partes CONSTANTI, dividis æquas,
GALLERIVSQUE suas fūmit, & ipse tuas.
Ambo diu licet haud, regnastis & ambo decenter,
Inde fere vitæ mors fuit æqua bonæ!

H O F M A N N U S.

*Ille favens Christi (e) cultoribus, iste severus
Lassavitque oculos carnificesque manus (f):
Maximino ascito socio, socioque Severo (g),
Computruit tandem disperiitque (h) miser (i).*

E N A R R A T I O.

Flavii (a) nomen, quo pacto ad Constantium deven-
erit, V. supra ubi de Claudio II. (b) Hunc jam Carus,
quod nemo tunc vir melior videretur, in locum filii sui
Carini (quem occidere cogitabat) subrogare voluerat.
Postmodum ab Herculeo adscitus, ex Theodora privigna
vilius, VI. liberos, Constantini fratres, suscepit. (c) In
Dacia haud longe a Sardica natus, a Diocletiano, Valeria filia ejus du-
cta,

cta, quod insignis corpore & eximius bellator esset, in consortium Imperii similiter assumptus est, anno quo diximus. (d) Nonnullis etiam *Maximianus* cognomine *Jun.* seu *Armentarius*, quod pater pastor armentorum fuisset. Et quidem dum Diocletianus in Italia, Maximianus Herculeus in Gallia & Africa res gerit, Constantius Chlorus Britanniam recuperat, & Alemannorum 60. mill. cædit, Spiramque condit, ann. C. 297. Galerius vero Parthos vincit, ann. 300. postmodum, Diocletiano & Maximiano ad privatam sortem regressis, Augusti ambo, diviserunt Imperium, ann. 304. mox tamen sua sponte Italia & Africa cessit Chlorus, retenta tantum Hispania, Gallia & Britannia. (e) In suis provinciis non tulit solum Christianos, sed & aulicos apostatas eiecit, ann. 304. insuperque subditis tam benignum se præbuit, ut, exprobranti Diocletiano, quod ærarium non impleret, *Regi nunquam defuturos thesauros, modo ei amor populi non desit*, responderit. Obiit Eboraci, ann. C. 306. successore filio Constantino M. ut videbimus. (f) Diocletianus & Maximianus quamvis Imperium ejuraverant, persecutio tamen ducibus illis coepta permansit, ut dicemus. (g) Galerius post Italiam sibi a Constantio concessam, Cæsares duos creavit, Severum per Italiam (insidiis Maximiani Herculei post sublatum) & Maximinum sororis filium, per Orientem (& Licinio postmodum, quem sublato Severo Cæsarem fecerat Galerius, victum, ac Constantini I. anno 8. mortuum) ambos Illyricos: dum interea Romæ Prætoriani Maxentium, Maximiani Herculei fil. Augustum nuncupant, quare pater ad novas spes erectus, insidiatur Constantino genero, sed ab eodem Massiliæ oppressus est. (h) Obiit, seu potius morbo fædo correptus vermibusque corrosus, putredine contabuit, postquam persecutionis poenitens edicto proposito Christianos vetuisset porro trucidari, Imp. anno 13. (i) Sub his durabat *Ecclesiæ* persecutio, usque ad annum VIII. Christi 310. quo, lassatis Judicum oculis, fessisque carnificum manibus, illa remisit, edicto Galerii insuper inhibita. Romæ Marcellum mortuum in pædore excepit Eusebius ann. 309. Vid. de his omnibus Aur. Victorem, Eutropium *lib.* 9. & 10. Eusebium *Histor. Eccles. lib.* 8. & *de Vita Constant. lib.* 1. Sulpicium Sev. *lib.* 2. Zonaram *Tom.* 2. Zosimum *lib.* 2. Orosium *lib.* 7. Sozomenum *lib.* 1. *cap.* 7. & Socratem *lib.* 1. *cap.* 1.

Additamenta HENR. CHR. HENNIN I.

A DIOCLETIANI ævo valde crevit titulorum Cæsareorum & Augustorum luxuria & ambitio, decentibus Nummis & Inscr. hinc jam passim *Domini Nostri*, audiunt Impp. Constantius *Chlori*, seu Viridis, cognomen accepit a militibus, quod *viridi* colore, maxime in vestibus, delectaretur. Genealogiam Ejus accurate recenset Boxhorn. *Hist. Univ. ad an. Chr.* 306. p. m. 266. 267. *Fl. Julia Helena*, Britannica, primum illi concubina fuit, deinde Uxoris dignitate, mater Constantini M. qua ratione conciliari possunt Auctores eam modo *Uxorem*, modo *Concubinam* appellantes. altera *Flavia Maximiana Theodora*, Maximiani Herculi privigna ex *Flavia Eutropia*, quam ut duceret, Helenam dimittere debuit. vide illustrem Spanhem. *P. N. Diff.* vii. p. 639, qui tamen videtur minus recte *Flavia Maxima Theodora* nomina a *Fl. Maximo Constantino*, qui non maritus, sed privignus illius fuit, arcessere. sed ipse Vir illustris in Addendis vidit errorem, quem tamen non omnino emendavit. Elogium *Chlori* Eutropius x. 1. ita complectitur: „Vir egregius & „præstantissimæ civilitatis, divinis provincialium ac privatorum studiis; fisci commoda non admodum affectans, ducensque melius, publicas opes a privatis haberi, quam intra unum claustrum reservari. adeo au-

tem cultus modici, ut feriatis diebus, cum amicis „numerosioribus esset epulandum, privatorum eis argento ostiatim petito triclinia sternerentur. Hic non „modo amabilis, sed etiam venerabilis Gallis fuit; præc pue quod Diocletiani suspectam prudentiam, & Maximiani sanguinariam temeritatem imperio Ejus præstant. Hæc Eutropius. Lactant. *de M. P.* c. 15. ait Constantium passum esse, ut Christianorum conventicula diruerentur; unde Bossuetus in *Apocal.* c. 13. magnis Ecclesiæ Persecutoribus eum annumerat. male, & negante vel ædes subverfas vel martyres sub Chloro passos Eusebio *H. E.* viii. 13. obiit facili quiete, tradita filio purpura, Eboraci, nam in Britannia maxime solebat commorari, viii. Kal. Aug. A. U. C. 1059. Pagius *ad an.* 306. n. 8. adde laudatis Lactant. *l. l.* c. 15. & 24. ibique Baluz. Cuper. (item hunc ad c. 39.) & Toinard. Photium *Cod.* 256. Baron. *ad an.* 304. n. 13. 14. & 306. n. 10. & seqq. Camdeni *Britan.* p. 569. Panegyricos *Maxim. & Constantino* & huic separatim dictos, quibus inspersa multa de *Constantino*. 19. annos Cæsar fuerat; & primus, Orosio teste vii. 25. Romanum Imperium postea cum Galerio Maximiano in duas partes determinavit,

CN. VALENS HOSTILIANUS MESSIUS QUINTUS.



INDIGNE VITA; INDIGNE STIRPE PRÆCIELSA,
MAGNI PARENTIS DEDECUS, VALENS SÆVE,
SI NOX IN ORTU TE OBRUISSET ÆTERNA,
NON EXECRANDUM POSTERIS FORES NOMEN.

E N A R R A T I O.



VENIMUS nunc ad Cn. Valentem Hostilianum Messium Quintum, qui superstes ex filiis Decii a Gallo adoptatus est eo consilio, ut ille imperii Deciani memoriam cum honore ac benevolentia usurpare videretur. Ita simul hi Duces imperium administrarunt, donec & suspiciones malæ & ambitio Galli animum in deteriore partem flexerunt. Namque metuens ille ne S. P. Q. R. ob benevolentiam erga Decii domum, solum Hostilianum Imperatorem vellet, mortem ei per insidias paravit, ut Zozimus memoriam prodat. Victor autem cum pestilentia periisse dicit, quod idem legitur apud Victorem alterum. Sed perperam Hostilianum Perpennam appellat, quod Liciani cognomen est, & in errorem simul inducit Scriptorem historiam miscellæ, apud quem hæc verba leguntur: *Mox exercitus Imperatores creavit Vibium Gallum, & filium Galli Volusianum. Horum temporibus Hostilianus perperam a Senatu Imperator creatus, nec multo post pestilentia consumtus est.* Qui valde gravis est error. Namque Hostilianus Perpennæ cognomen non tulit, quod ex nummis manifestissimum est; tulit autem Licinianus, de quo dictum est.

Hinc

Hinc factum est ut in errorem quoque lapsus sit magnus Casaubonus. Cæterum de Imperatoribus C. Vibio Treboniano Gallo, Cn. Valente Hostiliano Messio Quinto, Decii filio, & C. Vibio Volusiano, Galli filio, locutus est Eutropius, sed qui vulgo pessime habet: *Mox, inquit, Imperatores creati sunt Gallus Hostilianus, & Galli filius Volusianus.* E tribus facti sunt duo. Hinc inductus etiam Pœtanius: Διαδέχεται δὲ τὴν βασιλείαν Γάλλος Ὀστυλιανὸς, καὶ ὁ τούτου παῖς Βουλουσιανὸς. Hoc est: *Imperium accepit Gallus Hostilianus, & ejus filius Volusianus.* Tantum potest omissa distinctio etiam levissima. Scripserat Eutropius: *Mox Imperatores creati sunt Gallus, Hostilianus, & Galli filius Volusianus.* Sic tres habemus Imperatores, ut fas est. Sublato vel adhuc vivo Valente Hostiliano Æmilianus legionum Pannonicarum Dux, victis Scythis, ab iisdem Imperator salutatus est; quod gemini testantur nummi. Græcus quidem: ΑΥΤ. ΚΡ. ΙΟΥΛΙΟΣ. ΑΙΜΙΛΙΑΝΟΣ. ΣΕΒΑ. Latinus autem: IMP. CÆS. C. JUL. ÆMILIANUS. PIUS. FELIX. AUG. Eo tempore vehementer sævitum est in Christianos, qui partim domibus privabantur, partim patrimonio spoliabantur. Multi catenis premebantur, carceribus includebantur, feris bestiis obiciebantur, vel ignibus puniebantur. His tormentorum generibus Eusebius addit etiam alia: Picem ferventem, lapidationem, calamos acutos in faciem & oculos impulsos, tractiones per strata viarum, illisiones ad lapides, verbera, flagellationes, exustiones, transverberationem viscerum per fudes, gladium, membrorum fractionem, e sublimi præcipitationem. Addunt Historici alii equuleos, lacerationes per ungues ferreos, lampades ardentes lateribus admotas, suspendia, & quavis morte graviora metalla. Hæc tormenta subiere inprimis Fabianus Episcopus Romanus, in persecutione Deciana in exilium ejectus: Sixtus, item Romanus Episcopus: Laurentius natione Hispanus, Diaconus & Thesaurarius Ecclesiæ Romanæ, cujus in craticula jacentis fidem, inter medias flammæ elucentem, graphice depinxit Prudentius: Babylas denique, Alexander, Marcellinus, & multi alii.



FL. VALER. CONSTANTINVS (a) MAGNVS (b)

Imperator ante primam Imperii divisionem ab ipsis Imperatoribus factam.

IMPERATORES CHRISTIANI.



L O T I C H I U S.

CONSTANTINE pater, MAGNI qui nomen adimplet,
 Nomine non tantum, re quoque MAGNVS eras.
 Urbs abs te notum deducit condida nomen;
 CONSTANTINOPOLIS quæ modo dicta, suum.

H O F M A N N U S.

*Jam nova lux (c) oritur mundo, nigra nubila cedunt,
 Pulsisque idolis CHRISTVS ubique micat.
 Hostes diffugiunt (d), mordet sua vincula demon,
 In Romam transit gloria prisca (e) novam (f).*

E N A R R A T I O.



Constantio (a) August. ex priore cum Helena matrimonio genitus, in locum patris, exoptatissimus moderator accessit, . testamento illius, ann. C. 306. Regebant autem tum Remp. quatuor hi, Constantinus & Maxentius, filii Augustorum; Licinius Licinianus & Jovius Maximinus, novi homines: e quibus tres posteriores, sævi in Christianos, nec Constantino fidi. (b) Hic itaque Maxentium, crudelitate

litate ac libidine omnia vastantem , post Francos ann. 307. Bruēcteros ann. 308. Alemannos , ann. 309. debellaturus , Licinio sibi per nuptias sororis Constantiæ devincto , contra illum movit , & literarum initialium nominis Christi X. & P. sibi insertarum hoc modo ✠ ostento , cum inscr. *In hoc vinces* , confirmatus , vicit , Tiberique merfit , *Magni* hinc cognomine a Senatu insignitus , ann. 312. mox , per Licinium , Maximinum quoque Tarsi obsessum in ordinem redegit , quo fœdo morbo consumto , decennalis persecutio , a Diocletiano cœpta , plane cessavit , sicque Constantinus , qui , Christianam religionem amplexus , eam sanctissime coluit , pacem tamdiu exoptatam toti dedit Ecclesiæ , ann. 313. quo ipso Galliam a Francorum incurſu turbatam pacavit. (c) Licinium dein , res novas molientem & ipsum devicit , solus sic rerum potius , ann. 314. 324. Rausimodum Sarmatam superavit , ann. 316. 321. Theſſaloniciæ dein portu exstructo , ann. 316. ibi Licinium interfecit , ann. 325. (d) Post quæ , Byzantium de integro struens *Romam novam* & suo nomine *Constantinopolim* vocavit , ann. 328. Romaque veteri evacuata sedem illuc Imperii tranſtulit , ann. 329. Gothos in provincias recepit , ann. 333. Persique repulſis , & crucibus ac patibulorum suppliciis sublatis , Imperium diviſit ; defunctus ann. C. 337. ætat. 63. Imp. 32. a quo solus totum orbem tenuit 13. Nazarius & Eumenius *Panegy.* Eusebius *Vita Constantini & Orat. de Laudibus ejus* , Zosimus , Aur. Victor , Sulpicius Sev. Zonaras , alii. (e) Sub initia ejus , durante adhuc persecutione , in Africa & Oriente , ubi Maximinus ; Romæ ac in Italia , ubi Maxentius sæviebant , quamplurimi Christianorum atrocissimis suppliciis excruciabantur. Inter quos Eusebius Episc. Rom. successorem habuit Melchiadem , ann. 311. quem Sylvester I. excepit , ann. 314. Pace vero *Ecclesiæ* reddita , ut dictum , omnia in contrarium versa. Inter Scriptores Eccles. Arnobius & Lactantius floruerunt : At mox exorti Donatiſtæ Africam turbarunt , a Donato circa ann. 316. *de ornamentis Ecclesiæ* Carthagine gravem controversiam suis movente denominati & pestilentior longe hæresis , auctore Ario Presbytero Alexand. *detrahente divinitatem & existentiam Christo , etsi existentiam ante Mariam concederet* , excitata est , circa ann. 310. ad quam coercendam , Constantini auspiciis Nicææ habitata est *Synodus I. Oecum.* ann. 325. in qua 20. Canones conditi , Arii dogma damnatum , conjugium Clericorum assertum , Novatianorum schisma extinctum , III. Patriarchæ constituti , Romanus , Antiochenus & Alexandrinus , & controversia de Paschate composita est. Quo ipso tempore Athanasius , orthodoxæ fidei contra Arianos , strenuus defensor , inclarescere cœpit. Vid. Eusebium *Histor. Eccles. lib. 9. 10. & 12.* Socratem *Histor. Eccles. lib. 1. capp. 3. & seqq.* Sozomenum *lib. 1. capp. 14. 17.* Theodoretum , Rufinum , alios. Romæ verò , Sylvestro successit Marcus , qui ordinasse fertur , *ut post lectum diebus Dominicis Evangelium symbolum Nicenum cantaretur* ; eum Julius excepit I. circa ann. 331. *Baleus Vitæ Pontificum.*

Additamenta HENR.

CONSTANTINUS M. licet a multis poene in cœlum extollatur laudibus , fecit tamen , si verum sine fūco amamus , multa , quæ boni Principis famam deturpant. nam & Imperii opes in luxum absumſit , & auri lustralis exactione crudeliter attrivit populum. merentur omnino illis , queis verum cordi est , legi *Observ. Selectar. Halensium ad Rem Literar. spectant. Tom. 1. Obs. 22. Fides Scriptorum Vitæ Constantini M. Obs. 23. Fabula de Paren-*

CHR. HENNIN I.

tibus Constantini M. Obs. 24. Fabula de Constantino M. & potissimum de Ejus Christianismo. adde Panegyricos Ei dictos , & accuratissimum Rupert. *ad Besold. c. 15. p. 414-425.* Cuperum *in præf. ad Notæ in Lactant. de M. P.* ubi , & in Notis quoque sparsim multa de Constantino annotantur ; consule etiam Nummos & Inscr. hujus Imp. & Jac. Gothofred. *Chronol. Cod. Tb. an. 312-337. p. 5-37.* Philostorg. *lib. 1.* passim ibique Gothoff.

FL. CONSTANTINVS, CONSTANS, CONSTANTIVS.

V. IMPERATORES ROMANI. SUB I. DIVISIONE IMPERII.



L O T I C H I U S:

Quid tibi vult fratrum (queis dat constantia nomen)
Triga? quid hic fasces, ille, quoque ille gerit?
CONSTANTINE tuo, CONSTANTI, tu quoque CONSTANS,
Nomine vix dignus, sed nece dignus eras.

H O F M A N N V S.

*Divisum Imperium fratres (a) tenuere, sed horum
Biga prior (b) multum non diuturna fuit.
Ast minimus (c) partes rursus collegit in unum,
Verum ArI spurco dogmate fœdus (d) erat (e).*

E N A R R A T I O.



Constantius (a) quidem, a freto Propontidis Asiam & Europam obtinebat: Constans Italiam, Africam, Illyricum & Græciam: at maximo natu obvenerat fors trans Alpes, Gallia, Hispania & Britannia, ann. C. 337. (b) Constantinus, fratri Occidentem erepturus, ab illo victus ad Aquilejam, ac in fuga interfectus est, ann. 340. Constans victor, Magnentii a militibus Imperatoris salutati, dolo interiit, M ann.

83 FL. CONSTANTINVS, CONSTANS, CONSTANTIVS.

ann. 350. (c) Constantius, imparem se unum toti Imperio videns, maxime Persis Orientem vexantibus, a quibus victus est, ann. 340. & 349. Gallum patrualem Caesarem pronunciavit, eique Orientem commisit, ann. 351. inde Vetranionem, Imperatorem in Illyrico electum purpura exuit, eod. Magnentium postea, aliquot praeliis, quibus Romani Imperii opes conciderunt, victum, occidit, ann. 352. ipsum Gallum, qui multa fecerat insolentius, securi percussit, ann. 354. in ejus locum Juliano fratre illius adscito, ann. 355. Quados porro Sarmatasque fregit, ann. 358. a Sapore II. fil. Hormisdæ, Mesopotamiam & Armeniam reposcente, & Amidæ castrum expugnante; iterum victus, ann. 359. (d) Ariana labe infectus, unde ingentes in Ecclesia turbæ ortæ. (e) Dum contra Julianum, quem post Germanos devictos exercitus Augustum creaverat, proficiscitur, in radicibus Tauri montis, febris correptus obiit, ann. C. 361. Imp. 24. post fratres defunctos & victum Magnentium 8. primus Imperatorum, qui meros Christianos in exercitu habuerunt, unde Ethnicis, quos exauctoratos in pagis collocaverat, *Paganorum* nomen, Eutropius lib. 10. Amm. Marcellinus libb. 14. 16. 17. & 19. Zosimus lib. 2. Zonaras, Orosius, alii: inter quos Aur. Victor suam historiam ita finit, *Ut Imperatore ipso clarius, ita Apparitorum plerisque magis atrox nihil.* Sub eo, Ecclesia, multum turbata, Athanasiusque Alex. Episc. pulsus, ann. 341. sed cum ejus restitutionem Constans urgeret, Synodo Sardicensi convocata, Nicena acta confirmata, Ariani damnati exulesque restituti sunt, ann. 347. Verum post cadem Constantis, Athanasius denuo ejectus, ann. 350. ac tantopere hæresis favore Imperatoris & in Orthodoxos rigore aucta est, ut Hieronymus dixerit, *Ingemuit totus Orbis & se Arianum miratus est.* Cæterum floruit tum Hilarius Episc. Pictav. Romæ, Julium I. excepit Liberius &c. Sozomenus lib. 3. cap. 1. & 6. Socrates lib. 2. cap. 4. 8. 25. Theodoretus lib. 2. cap. 8. & sequentibus, alii.

Additamenta HENR. CHR. HENNIN.

CONSTANTINUS JUNIOR, & Fratres Constantius & Constans, si Zosimo credimus lib. 11. p. 691. nati sunt, non ex *Fausta*, Maximiani F. sed ex alia, scilicet *Minervina*, quam insimulatam adulterii morte affecit Constantinus M. sed alii hoc negant. vide Petav. in *Orat.* 1. Juliani p. 244. Factus est *Caesar* adhuc infantulus una cum Crispo & Licinio. *Augustus* appellatus est v. Id. Sept. A. U. C. 1090. si credimus Idatio in *Fast.* ad an. 337. hinc post triennium Constantinus Junior de paterna Imperii divisione, velut iniqua, conquestus, missis ad Constantem Legatis petiit, ut aut parte aliqua Imperii sibi cederet, Africa scilicet aut Italia; aut uti plane nova divisio institueretur. Ipse etiam cum maximo comitatu Italiam petiit, de ea re cum Fratre coram acturus; sed Constans, pravorum hominum consilio, qui ipsum ad bellum concitabant, militares copias adversus Constantinum misit, a quibus is interceptus &, si Victori in *Epit.* c. 62. fides, incautus fœdeque temulentus, dum in aliena irrui, obtruncatus est, projectusque in fluvium Allam, non longe ab Aquileja, A. U. C. 1093. ætat. 25.

Zosimus vero l. l. ait, ob controversiam motam de pertinente ad Carthaginem Africa, deque Italia, Constantem, dum incautum Fratrem opprimere voluerit, inimicitias toto triennio dissimulasse; expectatoque tempore, quo provinciam sibi Constanti, fidam & benevolam ingressus erat, ablegasse milites sub specie ferendi Constantio auxilii in bello Persico gerendo, sed reapse Constantinum, nil tale scientem, oppressuros, quod & perfecerint. Sed vide porro Vales. ad Ammian. l. XXI. p. 193. 194. ibique Auctorem *Monodia in obitum Constant. Jun.* Baron. ad an. 341. n. 43. Nummos Gothofr. *Chronol. Cod. Theod.* an. 337-340. p. 38-41. Philostorg. III. 1. ibique Gothofr. creditur duas uxores habuisse, sed vivo adhuc Patre præmortuas. vide Cangei *Hist. Byz.* in *his Imp.* inter opera Ejus publica, Durocortori Remorum hoc superba jactat Inscr. Gr. 178: 1. *Imp. Caf. Fl. Constantinus Max. Aug. Sempiternus, Divi Constantini Aug. F. toto Orbe victoriis suis semper ac feliciter celebrandis, Thermas, fisci sui summa, a fundamentis ceptas ac peractas, civitati sua Remorum, pro solita liberalitate, largitus est.*

C. VIBIUS VOLUSIANUS.



REGINA MUNDI, CLARA MATER HEROUM,
VICTORIIS SUPERBA, GENTIUM TERROR,
UBI ILLA VIRTUS, QUÆ TIBI DEDIT NOMEN?
AN OCCUPARET PECTUS IMPERATORIS,
QUI MANCIPAVIT SE LIBIDINI TOTUM?

E N A R R A T I O.



. Vibius Volusianus a Patre C. Vibio Treboniano Gallo, qui Decium patrem fraudulentio consilio circumvenerat, Augustus dictus est, & in Imperii societatem adscitus: sed diis profecto iratis. Nam Pater Trebonianus Gallus ignominiosum fœdus cum Scythis percusserat, non sine grandi Romani nominis ignominia & dedecore. Quo factum est ut nunc primum populus Romanus, antea liber & invictus, Scythicæ servitutis jugum subire sit coactus, promisso tributo cc aurearum drachmarum: quo tributo illi non contenti, & majoribus opibus inhiantes, toti Italiæ interitum minabantur. Accedebat quod Gallus Imperium negligenter administraret, rerumque suarum parum satageret. Ergo Scythæ fœdus modo percussum ruperunt, & primum nationibus sibi finitimis turbas dederunt: deinde paulatim progressi, crescente mirum in modum audacia, loca ad ipsum usque mare sita rapinis exhauserunt: adeo quidem ut nulla Romanæ ditionis gens ab iis non vastata manserit, sed omnia prope oppida destituta mœnibus, & munitio-

M 2 * num

num magna pars fuerint capta. Neque hoc satis erat. Nam alii quoque hostes Scytharum exemplo inducti confestim surrexerunt, & arma cepērunt. Sic in intima Syriæ viscera penetrarunt Parthi, & Armenias, inde expulso Rege Tyridate, occuparunt, cujus liberi protinus sese hostibus dediderunt. Scythæ magna præda onusti in Dardanidos, velut regni sedem, redeunt. Sed victoriis suis elati majora etiam minabantur. Sed cum jam securi, omnique metu liberi, possiderent quicquid in Europa occupaverant, & jam in Asiam quoque essent transgressi, omniaque ad Cappadociam, & Pessinuntem & Ephesum usque diripuissent, Æmilianus legionum Pannoniæ Dux in illis locis eos est aggressus, & gloriose devicit. Hic, ut erat vir acer & consilii plenus, largis promissis milites suos ita accendit ut ad conferendas cum barbaris manus multo fierent alacriores, & castris educti, tanto impetu in hostes elati sint, ut non modo illos fugaverint, sed magnam partem cæciderint, illorumque regiones, prædis abactis, pene exhausserint. Ille debitor eorum factus larga manu præmia promissa persolvit, militumque animos immane quantum sibi conciliavit. Milites ergo ducem suum laudibus in cælum extolles, & se gratos & beneficii tanti memores præstare volentes unanimiter eum Imperatorem salutavere. At Gallus harum rerum fama perculsus, ubi comperit Æmilianum a militibus Imperatorem esse appellatum, una cum filio adversus eum profectus est. Sed milites, qui cum Gallo erant, amplitudine copiarum ipsum longe inferiorem esse videntes, simulque ad hominis ignaviam negligentiamque respicientes, eum cum filio necarunt, cum vixisset annos quatuor minus quinquaginta, Imperium vero cum filio duobus tantum annis obtinuisset. Æmilianus, Gallo ejusque filio occiso, statim ad Senatum scripsit, se Imperatorem electum esse, promisitque se liberaturum Thracias, & Mesopotamiam, Armeniasque recuperaturum, & depulsurum undique hostes nominis Romani. Ille autem nihilo felicior fuit quam modo dicti Imperatores. Nam milites, qui sub eo erant, mutata voluntate, ab eo paulatim abalienati sunt, eoque sublato, Valeriano se tradiderunt. Tanta fuit protervia Fortunæ ut brevi tempore spes tantorum Imperatorum interciperet; quorum Vibius Volusianus, paterna secutus vestigia, non multum nominis reliquit. Symbolum ejus fuisse fertur: **SINE VANO PUBLICA FAMA.**



FL. CLAVDIVS JULIANVS (a).



LOTICHIVS.

Perfidus imperii JULIANVS sceptrum capeffit,
 O infame sui temporis ille caput!
 Cum prius agnosset, blasphemus nocte sub atra
 In te, CHRISTE, (scelus!) verba proterva jacit.

HOFMANNUS.

*Longe dispar avo (b), Christum, modo posset, ab aethra,
 Christiadas terris (c) pellere, promptus erat.
 Quid Christum dico, Galileum (d), cujus ab aure
 Sic blasphemantem missa sagitta (e) domat (f).*

ENARRATIO.

Julius (a) Constantii, Constantio Chloro, ex Theodora Maximiani Herculei privigna geniti, frater Galli, Cæsar creatus a Constantio Imp. ut diximus, atque ab eo ad Germanos Gallia arcendos missus, eos ad Argentoratum ingenti prælio vicit, Regemque eorum Chonodomarium cepit, ann. C. 357. ut & dolo postea Vadomarium in castes pertraxit, ann. 361. (b) quo ipso Imperator factus, abju-

M 2

rato

rato Christianismo, quem metu Constantii hætenus professus fuerat, Gentilismum, unde ei *Apostata* cognomen, ab Ecebolio Apostata, Libanio Sophista & Maximo Philos. jam pridem haustum, revocavit. (c) Christianam fidem funditus extirpare aggressus, quia X. *Persecutionum* vim frustra fuisse vidit, fraudem artesque adhibere constituit. Itaque Christianos præmiis, honoribus, blanditiisque oppugnavit: quod si Christianum sanguinem fudit, ut inter alios Artemii Aegypti Præfecti, qui non solum constans in fide manserat, sed Imperatorem insuper libere increpuerat, alio juris colore usus. Magistratus & Præfecturas nemini, nisi Gentili, commisit; Scholas clausit & Rhetoricam, Poeticam ac Philosophiam Christianorum liberos doceri vetuit; *Nostorum*, inquit, *Scriptorum præfidiis armati bellum contra nos suscipiunt*. Variarum porro hæresium antistites suo quemque arbitrio vivere permisit; Gentiles in Christianos impune grassari passus est; tandem Judæis contra eosdem incitatis, templi Hierosolymitani restaurandi facultatem dedit, *Deo cælitus fulminibus & terræ motu opus turbante*. (d) quo nomine Christum miser mortalis, in quem & contumelias, Libanio Sophista instigante, scribere non horruit, contentim vocitare solebat. (e) Verum expeditione in Persas suscepta, quod gens asperissima per 60. ferme annos inuississet Orienti cædium & direptionum monumenta sævissima, ab iis victus & in angustias redactus, dum per vasta deserti incautius vagaretur, sagitta incertum qua manu missa interemtus est, ann. C. 363. ætat. 31. Imp. 2. Amm. Marcellinus lib. 15. 16. & seqq. Zosimus lib. 3. Aur. Victor de *Cæsaribus*, cap. ult. Eutropius, Orosius, Cassiodorus *Chron.* alii. (f) Sub eo, *Ecclesia* mire perturbata fuit, *sed nubecula hæc cito evanuit*, uti Athanasius prædixerat apud Socratem lib. 3. cap. 10. & 17. secularium quoque literarum dispendia Apollinaris & Gregorius Naz. Poetæ Christiani, melioris argumenti carminibus correxere. Floruit tum Didymus quoque Alexandr. qui, a puero licet oculis orbat, summa tamen cum laude scholæ illi per complures annos præfuit. Luciferianorum vero secta iisdem temporibus oborta, Sozom. lib. 5. cap. 14. Romæ, Liberius adhuc Ecclesiæ præfuit, Balæus in eo.

Additamenta HENR. CHR. HENNIN I.

DE *Juliano* Imp. puto vere sentiendum, procul odii aut amoris caussis. habuit magnas virtutes, nec minora vitia. hæc recenset Petavius *præf. in Opera Juliani*, illas Cuneus *in præf. ad Juliani Cass.* fuit ingenio magno & omnium Imp. doctissimus, ut opera Ejus clamant: Juris Romani peritissimum arguunt Rescripta. Sapientie amator, in victu, somno, Venere temperatissimus. Militarem alias prudentiam nonnulla temere facta obscurant, quæ Ammian. l. xx. p. 267. & xxv. p. 281. recenset. Cæterum teste ipso Ammiano xxv. p. 294. fuit homo levius ingenii; linguæ fufioris & admodum raro silentis; prælagiorum sciscitationi nimium deditus; superstitiosus magis, quam Sacrorum legitimus observator; inclemens denique in Christianos, ni transirent ad Numinum cultum. Superfunt in Ejus epistolis duo edicta, quorum altero Scholis interdicat Christianis, altero bonis & fortunis, simul improbiissime cavillans, *se id agere, quo facilius in cælesti regnum*, quod pauperum esset, *venirent*. imperium habere, quam exspectare maluit. nam a militibus Gallicanis, *Cæsari* nomine non contentus, *Augustum* se appellari & voluit & est passus. itaque Constantius cum urgere Legationibus (misso quæstore *Leona*, teste Ammian. xx. 23.) ut, si se suosque salvos vellet, in statum nomenque pristinum Cæsaris reverteretur: at Julianus mandatis mollioribus retulit, se sub nomine celsi imperii officiosius pariturum. Vict. *Epist.* c. 69. opera publica hæc reperio: Thermas Spoletinis igne consumtas cum Constantio restituit. Gr. *Inscr.* 279: 2. rem Viariam etiam curavit. 1023: 2. Julianus porro nunquam ex animo Christianæ fidei fuit alumnus, sed vel ex Gentilium Philosophorum persuasione in tenera ætate, aut in adulta ex suo

ipsum consilio scenæ & temporis inservit, ac Christianum interdum se finxit, ut docet *Obs.* ix. T. III. *Observ. Selectar. Halens.* Constantio successit 111. Non. Octobr. A. U. C. 1114. Uxor illi fuit *Fl. Maxima Helena* Constantini M. Filia ex Fausta. Perit vi. Kal. Jul. A. U. C. 1116. subita equestri hasta, cute brachii præstricta, costis perfoctis, hærente in ima jecoris fibra, Amm. xxv. p. 289. At Eutrop. x. 13. qui expeditioni illi interfuit, *Rufo Festo in Breviar. inf.* Victori *Epist.* c. 67. ab obvio hostium equite fugiente conto per ilia ictus & inguinum tenuis vulneratus. Multæ fabulæ pia fraude ejus vitæ atextæ sunt per imprudentes Christianos sæpe nimios Ejus osiores. Vide insuper Mæmertini *Panegyric. Juliani dictum*, Juliani *ipsius opera passim*. Valef. & Lindenbrog. *hinc inde ad Ammian. Phot. Cod.* 258. Baron. *an.* 363. n. 54. 55. & quæ pro *Juliano* Libanius & Eunapius, contra Eum Gregorius Nazianzenus, Cyrillus, Athanasius dixerunt; adde Nummos Begeri *Thef. Br.* 821. & seqq. item Rupert. *ad Befold.* c. 15. p. 436-439. Joh. Cluver. *Epist. Hist. in Juliano*, & *Aventin. Annal. Bojor.* l. 11. In *Constantio*, & *Juliano*, Gothofr. *Chronol. Cod. Theod.* an. 356-363. p. 55-67. Philostorg. vii. 10. & alibi, ibique Gothofr. qui partim optime vitam Juliani concinnarunt, partim non propterea habent. In *Inscr.* superbit ingentibus titulis: *Reparator Orbis atque Urbium Restitutor D. N. Nobilissimus, fortissimus ac Victoricissimus Cæsar*, P. F. Drvinum nomen, *Æternus Princeps*, ubique venerandus, *Victor ac Triumphator semper Aug. Bono Resp. natus*, P. M. TR. P. Imp. (vii.) COS. (1111.) P. P. PROCOS. *Dominus Orbis Terrarum*. Gr. 179: 2. 284: 8. 285: 1. 2. 3. 4. 1023: 2. 1086: 7.

JOVINIANVS (a).



LOTICHIVS.

A Jove qui nomen ; sed ab Austris gentibus ortum
 Traxerat , ecce ! probus JOVINIANVS erat.
 Jussit is esse sacrum totum Baptisma per orbem ,
 Donec abhinc vitam clausit in orbe suam.

HOFMANNUS.

*Lux nova Christicolis surgit , Jovianus ad aram ,
 Christe , tuam cunctos (b) rursus & arma vocat .
 Ast pace (c) infelix , primus dum finibus (d) hosti
 Imperii cedit , cedit & ipse (e) sibi (f) .*

ENARRATIO.

SEu (a) Jovianus , Varroniano Pannoniæ Præside genitus , etsi Julianus Procopium cognatum suum successorem constituisset , Imperator ab exercitu designatus , ann. C. 363. (b) Imperium primo recusavit , non posse se , inquiens , imperare iis , quod Christianus esset ; illis vero certatim clamantibus , & nos Christiani sumus , demum suscepit. (c) Cum
 M 3 Sapore

Sapore II. ab ipso circumclusus, pacem ignobilem quidem, sed necessariam, ad 30. annos fecit, *cod. (d)* Quinque provincias, a Galerio trans Tigrum occupatas ei restituit, simulque se Arsaci Armenio, Romanorum socio, opem non laturum, obstrinxit: *(e)* hinc in reditu a mulierculis derisus, ab aliis, verborum, *Venisti e bello, quo te periisse deceret*, contumelia exceptus, quod primus post XI. secula de finibus Imperii aliquid hosti permisisset. *(f)* Obiit, Dadastanæ Galatiæ vico, seu nimia cruditate, seu odore cubiculi recente calce illiti, ann. C. 364. ætat. 33. Imp. mense 8. Amm. Marcellinus *lib. 25. cap. 24.* Zosimus *lib. 3.* Sext. Rufus *Breviar. Eutropius lib. 10.* Orosius *lib. 7. cap. 31.* Ruffinus *lib. 2. cap. 1.* Socrates *lib. 3. cap. 24. & seqq.* Sozomenus, Theodoretus, Gregorius Naz. in *Julian. Orat. 2.* Zonaras, alii. Sub eo status Ecclesiæ beatus erat, nisi ille tantum offensus Ecclesiæ fuisset, Theodoretus *lib. 4. cap. 4.* Concordiæ certe & pacis adeo amans fuit, ut non solum in fide dissentientes ad amicitiam hortaretur, sed & præmia proponeret iis, qui Ecclesiæ ad concordiam reducendæ auctores se præbuisent, apud Eosdem.

Additamenta HENR. CHR. HENNIN I.

JOVINVS Imp. Patris somnio, cum alias hic liberos crebros amitteret, nomen hoc boni ominis & imperii indicium, (a Diocletiano Jovio) accepit, insignis corpore, lætus ingenio, literarum studiosus. Victor *Epir. n. 68.* Themist. in *Gratul. Vales. ad Euseb. H. E. VIII. 8.* Tristan. *T. III. p. 433.* Mater Ejus ignoratur. Uxor Charito, Luciliani Equitis Romani, a Batavis militibus trucidati, F. fuit, quæ periit ægritudine, ex cæcato Varroniano F. a morte Mariti, per milites, ne res novæ orirentur. Hunc Avo cognominem Pater Ancyrae Tectosagum in Galatia Consulatum iniens in societatem trabem adhibuit admodum parvulum, malo omine vagientem & pertinaciter reluctantem, ne in curuli sella ex more veheretur. putatur & alterum F. habuisse, hoc juniorem. Jovianus incedebat motu corporis gravi, vultu lætissimo, oculis cæcis, vasta proceritate & ardua, adeo ut diu nulum indumentum regium ad mensuram ejus aptum reperiretur. æmulari Constantium amabat, agens seria quædam aliquoties post meridiem, jocularique palam cum proximis adfuerat. Christianæ Legis & concordie studiosus & honorificus cultor, valde benevolus, liberalis, & accurate, ut apparebat ex paucis, quos promoverat, judices electurus. edax tamen fuit, & vino Venerique indulgens, quæ vitia imperiali verecundia forsan correxisset. factus est, ex Primo seu Receptore & Comite Domesticorum Juliani, Imp. a Ducibus in castris ad Tigrim, postquam oblatum Imperium Sallustius Galliarum PF. ob senectutem & valetudinem recusarat, V. Kal. Jul. A. U. C. 1116. In exilium ob sacra Christiana pulsos revocavit. Ecclesiis mandavit restitui partem reddituum, quos eis Julianus ademerat, testatus, propter famem nunc veteres integros redditus non posse restitui. jussit rursus claudi Idolorum templa. Cum Antiochiam Syriæ venisset, multis prodigiis mala secuta significata sunt. interdiu visa sunt cometarum sidera: conflagravit Jo-
cupletissima Bibliotheca Antiochena. Regiones illæ

V. Transgritanæ, (Persarum respectu, nam Romanis erant cis Tigrim; Vales. ad Ammian. xxv. 23. Mesopotamia partem dicit Rufus Breviar. c. 29. partem superioris Mesopotamia Oros. VII. 31.) erant Aramæna, Moxoëna, Zabdicæna, Rehimæna & Corduena; & in his xv. castella; ac insuper, ut Nisibis & Singara sine incolis, ut qui in Romanum solum transferrentur, transirent in jura Persarum, ut & Castra Maurorum, munimentum perquam opportunum; addit Zosimus III. 31. magnam partem Armenia, scilicet quam nudato Romanis auxiliis Arsace Armeniæ Rege, postea inter dissensiones & turbamenta rapuerunt Parthi. Valde hanc pacem exagitat, qui rebus interfuit, Ammianus; sed audi Oros. l. l. In summo rerum discrimine creatus Imp. locorum iniquitate captus, hostibus circumseptus, nulla evadendi facultate, fœdus cum Sapore Persarum Rege, etsi parum putant dignum, satis tamen necessarium, (in hanc necessitatem circumstantis omnium rerum penuriæ Julianus præcipitaverat exercitum, imprudenter exustis navibus;) pepigit, quippe ut tutum & incolumem Rom. exercitum non solum ab incursum hostium, verum etiam a locorum periculo liberaret. Hinc in Nummis audit: D. N. Fl. Jovianus P. F. Aug. Restitutor Reip. & jactatur Romanorum Victoria ap. Beg. Th. Br. T. 11. p. 823. servatis scilicet Civibus, restituta (quam crux in labaro ibi notat,) Christiana pietate; & quod Parthi priores de pace Oratores miserunt. Apologiam Joviani scripsit Rupert. ad Befold. c. 15. p. 439-443. Perit, ex his causis conjunctis, fœtore prunarum, recenti tectorio cubiculi & intemperantia suffocatus, si Eutropio fides xiv. aut, ut alii legunt III. Kal. Mart. si Socrati II. 26. xvii. Febr. A. U. C. 1117. adde laudatis Vales. ad Ammian. xxv. Euseb. n. 2308. Chrysost. adv. Gent. Exc. Peir. p. 845. Philostorg. VIII. 5. ibique Gothofr. Suid. in Jovian. Gothofr. in Chrenol. Cod. Theod. ad an. 363. 364. p. 67. 68.

V. IMPERATORES ROMANI, SUB II. DIVISIONE IMPERII.



Ex Hunnis prodis cum laude, VALENTINIANE,
Et regis imperium non sine laude tuum.
Pectus amans CHRISTI tibi, sed veloce catarrho
Cogeris ante tuum pressus obire diem.

*Ille pius (c) felixque, hostem (d) non contudit unum,
Sarmaticis tandem sordibus (e) ecce perit.
Hic (f) Firmum (g) occidit, ArI sed labe cruentus (h)
Morbo Gotthigenas (i) imbuit ille suo (k).*

Ilius (a) Gratiani , humili apud Cibalas Illyrias stirpe ortus (cui funalitium funem portanti quinque milites extorquere nequiverant , unde corporis robori ad militiam , militiæ ad prætorianam dignitatem aditus) absens , ab exercitu apud Nicæam Imperator lectus est , ann. C. 364. (b) Germanus ejus , quem altero Imperii mense Collegam sibi junxit , eique Orientem commisit , Occidente sibi seposito. (c) Or-
tho-

thodoxus & magni animi erat, sed aliquando asperior. Hinc, cum Julianus sacrificare cogeret idolis milites, maluit Tribunatu suo excidere, quam fide, Sacerdotique lustrales ei aquas aspergenti colaphum impegit: retentus tamen ob fortitudinem. (d) Post Gratianum filiolum Augustum creatum, Alemannos & Burgundiones vicit, &, castellis ad Oceanum excitatis, a finibus Imperii barbaros arcuit, ann. 365. & 366. per Theodosium sen. Scotos Pictosque in Britannia domuit, anno 369. Saxonibus Burgundos immisit, ann. 370. Postea cum ad Danubium contra Marcomannos, Quados & Sarmatas idem moliretur, quod adversus Alemannos fecerat, (e) offensus sordibus legati ipsorum in morbum incidit, sanguinisque vomitu extinctus est, ann. C. 375. ætat. 55. Imp. 11. mens. 9. relictis duobus filiis, Gratiano ex Severa & Valentiniano II. ex Justina, quam Severæ superinduxerat, lege lata, *ut cuique volenti liceret duas uxores habere.* Amm. Marcellinus *lib. 26-29.* Pacatus *Panegy. 12. cap. 5.* Orosius *lib. 7. cap. 32.* Hieronymus *Supplem. Eusebii ad ann. C. 378.* Cassiodorus *Chron. alii.* (f) Valens, Procopium tyrannum primo, ann. 366. dein (g) Africæ tyrannum, per Theodosium præfatum oppressit, ann. C. 373. (h) Seductus a Dominica uxore Ariana orthodoxos acerrime est persecutus, hinc Dei vindicta Galata filio charissimo privatus. (i) Gothos ab Hunnis ex intima Sarmatia pullos in Thraciam recepit, ann. 376. jam per Ulphilam Episc. summissum baptizatos, sed Arianismo infectos, ann. 370. (k) qui postmodum, avaritia Præfectorum irritati, arma in ipsum verterunt, ac fugientem in tuguriolo vivum cremarunt, *iusto Dei judicio, ut qui propter eum, etiam mortui, vitio erroris arsurus erant,* Orosius *lib. 7. cap. 19.* ann. C. 378. ætat. 50. Imp. circiter 15. Amm. Marcellinus *lib. 26. & 31.* Sext. Aur. Victor. *Epit. cap. 71.* Paul. Diaconus *ad Eutrop. lib. 11.* Hieronymus *ad Euseb. Chron.* Zosimus, Idatius, alii. In *Ecclesia*, Basilus Episc. Cæsar. floret, circa ann. 370. Ambrosius Mediolani in Episcopum eligitur, ann. 374. At Romæ, defuncto Liberio, brevique moriente Felice I. Damasus & Ursicinus de Episcopatu armis certant, *postque impleta sanguine occisorum orationum loca,* hic vi dejicitur, ann. 367. Theodoretus *lib. 4. cap. 4. & seqq.* Sozomenus *lib. 6.* Socrates *lib. 3. & 4.* Rufinus *lib. 2. capp. 3. 5. 6.* Sigonius *de Imp. Occid. lib. 7.* Amm. Marcellinus *lib. 29.* alii: e quibus insuper, mare tum terminos suos egressum integras nationes obruisse, Constantinopoli prodigiosam grandinem decidentem multos homines necasse & Nicæam terræ motu collapsam esse, discas,

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

GRATIANUS *Valentiniani Senioris* Pater mediocri stirpe, *Funarius* cognominatus est, (non fuit *funarius* opifex, ut quidam male ajunt:) quod venalicus funis illi non posset extorqueri. fuit PF. PR. Vict. *Epit. c. 69.* hinc apud Ammian. *xxv. 11. p. 343.* Gratianum F. prædicat *familia sua laudibus Majorumque factis præstantibus concinentem.* Mater Valentiniani non est adnotata. Penitenti Valentiniano imperium oggestum. Uxores habuit 1. *Valeriam Severam*, & ex hac Gratianum, & Valentinianum natu majorem, immatura morte extinctum, qui nondum trimulus COS. factus A. U. C. 1122. N. P. i. e. *Nobilissimus Puer*, cum Victore. Vide Themist. *Orat. vi. circa fin.* ubi dicitur *adolescens ex Constantini prosapia.* conjicit Rupert. *ad Besold. c. 15. p. 449.* *Valeriam* istam forte neptem esse *Fl. Valerii Severi Cæs.* a Maxentio occisi A. U. C. 1070. cujus Filius aut Filia habuerit Conjugem e Constantini domo, unde nata fuerit *Valeria Severa*, mater dicti *Nobilissimi Pueri* COS. nati A. U. 1119. II. *Fl. Justinam*, Justiniani F. Magnentii Viduam, Neratii Cerealis PF. V. (vide Gothofr. *Prosopogr. Cod. Theod. in Cereale p. 355.*) Sororem, Matrem Valentiniani natu minoris, (postea Imp.) nati A. U. C. 1124. & *Justa, Grata*, (quæ nunquam nuptæ,) & *Galla Placidia* (Uxoris post Fl. Theodosii Imp.) Filiarum. Digamiam hujus Imp. negat Baron. *in rebus hujus Imp.* adde Valef. *ad Ammian. l. xxx. p. 413.* Elogio Victoris *Epit. c. 69.* „ fuit ad loquendum

„ parcus, severus, vehementer, infectus vitiis, maxime avaritiæ; „ Hadriano proximus; prudenter utebatur locis, temporibus. „ sermonibus. si ei infidis hominibus, quibus sese, quasi fidissimis „ prudentissimisque dederat, carere, aut probatis eruditisque „ monitoribus uti licuisset, perfectus haud dubie enituisse Prin- „ ceps, „ addit Ammian. *lib. xxx. de Eo*, quod „ inter Religionum „ diversitates medius stetit, nec quinquam inquietavit, neque ut „ hoc coleretur imperavit aut illud: nec interdictis minacibus „ subjectorum cervicem ad id, quod ipse colebat, inclinavit, sed „ intemeratas reliquit has partes, ut invenit, „ confer omnino l. 9. *Cod. Th. de Malef. & Math.* ibique Gothofr. Urbes libenter videtur ornasse, testibus Legibus Ejus & Inscr. Gr. 1604. 6. Reines. 11. 16. obiit, ut quidam aliter tradunt, suffocatus ob nimiam iracundiam apoplexia sanguinea, ex nimia plethora, xv. Kal. Decembr. A. U. C. 1128. apud Bregitionem Pannoniæ superioris oppidum juxta Danubii ripam; *Grata* hodie putant. Luxuria titulorum Augg. ut hinc creverit, vide ap. Grut. 285: 6-10. & *seqq.* 1076: 8. 9. Vide porro Suid. *in Eo*, Valef. *ad Amm. l. II. Exc. Peir. p. 847.* Scalig. *ad Euseb. n. 2382. & seq.* Chron. Alex. *in hoc Imp.* Gothofr. *Chronol. Cod. Th. an. 364-375. p. 71-95.* Philostorg. *lib. vii. & ix. passim.* item Ambros. *Orat. in Obitu Valentin.* Nummos de Saxonibus hoc Imp. primum auditis consule Carion. *ad an. 368.*

GRATIANVS (a) & VALENTINIANVS (b).



L O T I C H I U S.

Te Charites fovere, dedit tibi gratia nomen,
 GRATIANE tui temporis amplius honos.
 Densa per Alfaticos dum cædis at agmina campos,
 Ad Rhodani liquidas nex tua transit aquas.

H O F M A N N U S.

*Partiti Imperium (c) fratres, prior exiit, ille
 Pontificis titulum Pontificisque (d) stolam (e).
 Hic aliquamdiu (f) post fratris fata superstes:
 Tandem Arbogastis (g) saucius arte cadit (h).*

E N A R R A T I O.

Rimicitias (a) Imperii obtulit Deo, Arianis pulsus, exules
 Episcopos revocando; & libertatem Religionis promul-
 gando, Eunomianis, Photinianis & Manichæis exceptis,
 ann. C. 375. dein Gothos, Valente sublato, per Theo-
 dosium prioris fil. vicit, huncque Collegam sibi legit, &
 Orienti præfecit, ann. 379. post Lenticenses subactos,
 ann. 377. Alemannos superatos, ac Priarium eorum Regem occisum,
 ann. 378. (b) Justina Ariana patri genitus, quadrimus statim post mor-
 tem

N

tem

tem patris ab exercitu Imperator est proclamatus, ann. C. 375. (c) Ita quidem, ut Gratianus obtineret Galliam, Hispaniam, Germaniam & Britanniam; Valentinianus vero Italiam, Illyricum & Africam. (d) Pontificis Max. titulum stolamque a decessoribus, non solum Gentilibus, sed & Christianis, hætenus gestatam, animo vere Christiano abjecisse sunt qui scribant. Sed renuisse quidem stolam Pontificalem sibi a Pontificibus Ethnicis pro more oblatam, non vero titulum aut munus Pontificatus, Gratianum, ex Zosimo colligas. Certe Justinus I. *Pontifex Max.* adhuc diserte appellatur, in *Inscr.* Justinopoli, apud Gruterum. (e) Cum ex Theodosii morbo Gothi audaciores facti denuo turbarent, Gratianus armis eos aggredi non ausus, fœdus cum eis pepigit, ann. 381. sed auctum malum. Cl. Maximus enim Britanniae Præses, Pictis fœderatus, victo Eugenio Scoto, ann. 377. tumidior factus, Imperatorem se appellavit, & per Andragathium cubicularium, Gratianum in Galliam reducem interemit, ann. C. 383. ætat. 28. Imp. 8. (f) Turbatus a Maximo, post cædem fratris, ann. 384. & seqq. tandem eo per Theodosium victo, Galliam recuperavit, ann. 388. (g) Arbogastis Franci Comititis sui & Eugenii conjuratione extinctus Viennæ, ann. C. 392. ætat. 20. Imp. 17. Orosius *lib. 7.* Amm. Marcellinus *lib. 31.* Zosimus *lib. 4.* Ruffinus *lib. 2. cap. 16.* Sext. Aur. Victor *Epitome.* alii. (h) Sub his, Langobardi Scandia emigrarunt, ann. 379. & Vandalos vicerunt, circa ann. 382. In Ecclesia flourerunt Gregorius Nyss. & Nazianzenus, Epiphanius item, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, &c. Romæ, Damasus successit Syricius, de quo infra. Apollinaris vero & Helvidius hæretici exstiterunt. Sed & Luciferianorum schisma porro duravit Antiochiæ, a Flaviano tandem sublatum. Theodoretus *lib. 5. cap. 3.* Sozomenus *lib. 7. cap. 15.* Socrates, Ruffinus, alii. Symmachus vero pro Ethnicismo intercessit, apud Valentinianum, sed ex consilio Ambrosii frustra fuit, V. hunc *Epist. 30.*

Additamenta HENR. CHR. HENNIN I.

GRATIANUS natus est Sirmii xiv. Kal. Maji A. U.C. 1107. Parentes in *Valentiniano* dicti. fuit, elogio Victoris *Epit. c. 73.* „literis haud mediocriter institutus „(discipulus quippe Aufonii:) carmen facere, ornate lo- „qui, (ut ex Ejus Epistola *ad Ambros.* & ex Symmach. x. 2. „apparet:) explicare controversias Rhetorum more. par- „cus cibi somnique, vini ac libidinis victor, „at inter vitia ponuntur, quod post Gothos a Theodosio in Thracia re- „preffos in Galliam redux omiserit Reip. curam, ludis & ve- „nationi deditus, ac summæ voluptatis divinæque artis cre- „dens, meditari spiculis, ferire destinata; exercitum negli- „gens, paucosque ex Alanis, quos ingenti auro ad se tran- „stulerat, anteferebat veteri ac Romano militi, adeoque Bar- „barorum comitatu & prope amicitia captus, ut nonnun- „quam eodem habitu iter faceret, odia contra se militum excitavit. si Victori credimus, „cunctis fuisset plenus bonis, „si ad cognoscendam Reip. gerendæ scientiam animum „intendisset, a qua tandem prope alienus non modo vo- „luntate, sed etiam exercitio fuit, „judicio Ammiani (qui in hoc Imp. definit:) xxvii. 13. commendarunt eum „no- „vellum Principem oculorum flagrantior lux, vultusque „& reliqui corporis jucundissimus nitor & egregia pectoris „indoles, quæ Imperatorem impleisset cum Veterum lætifi- „simis comparandum, si per fata proximis licuisset, & „qui virtutem Ejus etiam tum instabilem adnubilabant „actibus pravis, „adde xxxi. p. 445. eadem Zosimus tradit. creatus est, teste Ammian. *l. 1.* & Hieron. in *Chron.* Idatii Fastis *an. 367.* a Parente confors Augustæ dignitatis Ambi- „anis in Gallia ix. Kal. Sept. A. U.C. 1120. Uxores illi fuerunt 1. *Fl. Maxima Constantia*, Constantii Imp. postuma, ex Faustina Uxore, Filia, quam valde amavit, licet sterilem, &

defunctam flebiliter luxit. 11. *Lata*, sive *Crensa*, & ipsa ste- „rilis; ambæ Nummis hætenus ignotæ. Neglectæ & con- „temptæ stolæ Pont. Max. a Gentilibus Pontificibus oblatæ, Zosimus paganus inique cædem Gratiani, ceu pœnam, at- „tribuit: scilicet cum stolam illam redderet Pontificibus, di- „gnitate principem inter hos dixisse: *Si Princeps non vult appellari Pontifex, admodum brevi Pontifex Maximus fiet.* (alludit videlicet ad *Maximum*, qui se Aug. appellari, adeoque & P.M. curarat, Gratiani parricidam.) erravit ta- „men ille Sacerdos. nam *P. M.* dicitur Gratianus ap. Grut. *Inscr.* 159: 7. 1082: 13. item ab Aufon. in *Grat. act. ad Gratian. ed. Toll. p. m. 716* *Augustus sanctitate, Pontifex religione, & p. 719* *Pont. Max. Deo participatus* salutatur. pe- „riit viii. Kal. Sept. A. U. 1136. æt. 29. mens. 5. die 7. Victor (qui ætatem, si vera est lectio, aliter computat; vide ibi Vi- „net.) *l. 1.* ita colligit: *imperavit cum Patre an. 8. dies 85. cum Fratre & Patruo 3. cum eodem Fratre ac Theodosia 4. & his omnibus accedente Arcadio, mens. 6.* locum cædis Zosimus ponit *Sigiduni* in Pannonia, ibique apud pon- „tem. alii verius apud Rhodani fluvium *Lugduni.* superbos horum *Divinorum Fratrum & Impp.* titulos, & opera publi- „ca ad urbium ornatum ac vias muniendas narrant *Inscr.* Grut. 159: 7. 171: 9. 172: 1. 1080: 10. 1082: 13. 1086: 8. 10. Reines. iii. 61. Vide præter laudatos Suid. in *Gratiano*, Vi- „net. *ad eucharisticum Panegy.* Aufonii *Gratiano* dictum, Jornand. *de R. S. Zonar. lib. iii.* Nicephor. *l. xi. & xii.* Am- „brof. in *Orat. de ob. Valentiniani*, Chron. Alexandr. & Phi- „lostorg. x. 5. Hieronym. *Ep. 3.* Sulpit. Sev. *sparfim.* adde Aventin. *Ann. l. ii. n. 48.* Micræl. *Synt. ii. 4. qu. 3. & 4.* Gothoff. *Chronol. Cod. Theod. an. 367-110. p. 89-110.* Junge Nummos,

M. CASSIUS LATIANUS POSTUMUS.



INVICTA VIRTUS, POSTUMUM DECENS VIRTUS,
NULLIS PERICLIS TERRITA, HERCULEM SUMIT
EXEMPLAR. ISTAM SÆPE SENSIT INSUETA
GERMANA VINCI NATIO. TUUM FLORET,
DUX MAGNE, NOMEN, QUAE PATENT VIÆ SOLIS.

E N A R R A T I O.



OC tempore Galli pertæsi sunt imperium, quod Gallienus non aliter gerebat, quam cum pueri per ludibria potestates fingunt, prodigus etiam & crudelis, & omnium rerum negligens. Quare Postumium Labienum (quem alii Latianum vel Latienum Postumum vocant, nummo non uno apud Goltzium & Occonem & Ursinum LABIENUM præferente) Gallieni illic locorum per Gallias legatum, vocarunt ad imperium: qui etiam Gallias, adhibitis e Germanis auxiliis, per septennium ab omni circumfluentium barbarorum vi validissime vindicavit. Huic ut resistere posset Gallienus Imperator, præsertim quia sciebat Scythas Bithyniam invasisse, ipsamque Nicomediam incensam graviter vexasse, in Sicilia quoque Servile quoddam bellum exarsisse; cum Aureolo transegit, & adversus Postumum diu per Aureolum & Claudium ducem, Imperatorem postea factum, vario eventu bella gessit, donec ille cum filio Labieno juniore, quem Augustum appellaverat, per rebellionem Lolliani interemptus est. Hic ipse tamen, quod labore nimio

N 2 *

exerci-

exercitum, ipse in bellis adversus Germanos gerendis admodum industrius, distineret, a militibus suis necatus est. Occisus est Postumus cum filio A. V. 1019. — Paterno & Arcesilao Coss. ut Goltzius & Ontiphrius testantur. Dilectus maxime fuerat Gallis, quibus securitatem pristinam restituit. Meminit præter Trebellium Eusebius. sed & hinc in nummis ejus legitur: SALUS PROVINCIARUM. Item RESTITUTORI GALLIÆ. Scriptoribus, qui hæc tradidere, potissimum credimus. Alii contendunt hunc Postumum non adscribendum esse Tyrannis, cum a Gallieno ipso in Imperii societatem sit adscitus, quod testentur scilicet ejus nummi, in quibus nominetur P. M. TR. P. COS. crescentibus etiam dignitatum harum numeris II. III. IIII. inveniunturque in aliis hi characteres S. C. Arguunt itaque hos titulos solis Imperatoribus proprios fuisse, neque umquam inventos in nummis Tyrannorum. Non dubitant certe his argumentis permoti quin legitimus fuerit Imperator, a Senatu Romano comprobatus, & justo applausu ad hoc dignitatis fastigium evectus. Patria tamen ejus quæ fuerit, quo anno sit editus, nemo attigit; ut mirum non sit in tanta rerum obscuritate in diversa abiisse Scriptores. Æque ignorantur ejus parentes. Uxorem habuit Juniam Donatam, ex qua suscepit C. Junium Cassium Postumum, ingentis spei juvenem, Patri suo, teste Valeriano Imperatore, in virtutibus valde similem; a quo Imperatore & ducatum accepit. Facundissimum fuisse iidem narrant historici. Cui rei non male convenit imago Dei Mercurii solito vestitu in nummis ejus expressa, cum inscriptione MERCURIO PACIFERO. nam præesse eloquentiæ fingitur Mercurius. Eorundem testimonio vir extitit strenuus manu, consilii plenus, constans in pace, & donec vixit severa gravitate conspicuus: ob has animi dotes carus imprimis Gallieno, & educationi ejus filii præfectus. In eo cum prioribus conveniunt, magni factum a Gallis, postquam Germanos tam fortiter repulisset, & cultum tanquam Deum Gallicæ gentis tutelarem sub nomine præcipue Herculis, quod Herculem factis heroïcis exæquasset. Hinc factum est ut præter alios nummos, de quibus ante diximus, nonnulli sint cusi, in quibus facies HERCULIS apparet, modo cognomine PACIFERI, modo INVICTI, modo IMMORTALIS, quo memoriam Viri tam bene de se variis expeditionibus meriti ab oblivionis injuria vindicarent.



THEODOSIVS MAJOR (a).



L O T I C H I U S.

MAGNVS Iberiacis THEODOSIVS ortus ab oris
 Isthoc præcipue nomine dignus erat.
 Corpore Trajano similis, pius, entheus, ergo
 Commeruit placide Cæsar in orbe mori.

H O F M A N N U S.

*Theodosius quassi reparator maximus ævi,
 Devincit Gothos (b) restituitque sibi (c).
 Iratus (d) peccat, sed pœnitet (e), omnia pacat (f),
 Afferit & sancti Pneumatis (g) usque decus (h).*

E N A R R A T I O.

Hil. (a) Theodosii Sen. qui sub Valentiniano I. floruit, natione Hispanus, Trajano, a quo genus ducebat, corpore animoque simillimus a Gratiano, ut dictum in Imperii consortium adscitus, ann. C. 379. initio statim leges adversus luxuriam tulit. (b) Gothos dein aliquot præliis victos Thracia ejecit, eod. (c) istorum v. Reg. Athanaricum, a suis pulsum, honorifice excipiendo, & mortuum ma-

gnifice sepeliendo, Gothicam gentem totam, bonitate Principis captam, sub foedus redegit, ann. 381. Persis petentibus pacem dedit. Maximum Tyr. ad Aquilejam vicit, cepit, obtruncavit, ann. 388. ac Valentinianum I.I. quem ille pepulerat, restituit *ead.* multaque in statu tam Politico, quam Ecclesiastico, in melius mutavit. (d) Sed Thessalonicae 7. mill. e plebe, ob occisum Praesidem & Nobiles nonnullos, interfectis crudelis, ann. 390. (e) quare, excommunicatus ab Ambrosio, 8. mensium censuram benigne tulit, ejus denique consilio, *capitalem sententiam in 30. diem differri* in posterum, jussit. (f) Valentiniano, ab Arbogaste strangulato, & hujus ope Eugenio Scriba Imperatore creato, contra utrumque movit, *atque adjutus a Deo vehementi immisso vento* victor, in Alpibus, Eugenium captum capite mulctavit, Arbogastem, ut spontaneam sibi necem conscisceret, adegit, ann. 394. Obiit Mediolani, ann. C. 395. ætat. 60. Imp. 16. postquam dixisset, *magis se gaudere, quod membrum Ecclesiae Dei esset, quam quod in terris regnaret*, Theodoretus lib. 5. cap. 24. Jornandes *de rebus Geticis*, Orosius lib. 7. Sozomenus lib. 7. cap. 24. Zosimus, alii. Sub eo, (g) Synodo Oecum. I.I. Constantinopolitana l. contra Macedonium convocata, *Spiritus Sacrosancti divinitas* asserta; Apollinaristæ *animæ loco in natura Christi humana Verbum fuisse* statuentes, condemnati, ac fides Nicæna stabilita est, ann. 381. (h) Nectarius postea Patr. Confessionis ritum & Presbyterum poenitentiarium, occasione stupri a Diacono commissi & ejus exemplo reliqui Episcopi in toto Oriente sustulerunt, ann. 390. mansit tamen in Occidente, ac tandem *in Confessionem auricularem abiit*. Socrates lib. 5. capp. 8. 19. & Sozomenus lib. 7. cap. 16. Romæ Syricius *Sacerdotibus conjugio* primus interdixit, ann. 395. Circa eadem tempora coepit *Imaginum usus historicus*, Paulino Episc. Nolano auctore, Mart. Chemnitius *de Imagin.* Priscillianus vero, novæ sectæ auctor, Martino Episc. Turon. refragante, decollatus est, ann. 385. Sulpicius Sev. lib. 2. cap. 62. & seqq.

Addimenta HENR. CHR. HENNIN.

THEODOSIO M. mater fuit *Thermantia*. natus fuit A. U. C. 1088. Italica, urbe Hispaniæ Bætica, quæ hodie *Sevilla la Veja*, Hispali proxima, Sillii Poëtæ Consulæ, & Trajani Imp. quoque natalibus clara. Zosimus *Caucam*, Callæciæ oppidum, natalem ait. Ferunt, teste Victor. *Epit. c. 74.* Parentes somnio monitos hoc illi nomen quasi *A Deo datum* sacrauisse: sed & Oraculum in Asia divulgatum, Valenti successurum, cujus nomen his literis ΘΕΟΔ. inciperet, quæ res *Theodoro* nova moliendi ac dominationis affectandæ ansam præbuit, narrante totius rei seriem Ammiano XXI. 1. & seqq. Uxor illi fuit I. *Alia Flaccilla*, mater *Arcadii & Honorii*, Christo devota vel Nummistestibus, amantissima pauperum, & liberalissima erga miseros. II. *Galla Placidia*, Valentiniani Senioris ex Justina, quæ Ariana erat, Filia, & ipsa Ariana, superba, ambitiosa, post mortem Mariti ab Arcadio expulsa palatio; hæc mater fuit Filiæ cognominis *Gallæ Placidie*, primum nuptæ *Atthaulfo*, Regi Vestrogotho, deinde Constantio II. qui post Theodosium I.I. Cæsar fuit; ubi vide a nobis notata. Genealogiam *Theodosii M.* eleganter ob oculos ponit Micræl. *Synt. Hist. II. 4. qm. 4.* Creatus est Aug. XIV. Kal. Febr. A. U. 1132. Sirmii. Magnifice laudes hujus Imp. brevi elogio complectitur Victor I. I. ubi vocat *Propagatorem Reip. atque Defensorem eximium, fuisse moribus atque corpore Trajano similem: fuisse illi clementem animam, misericordem, communem, solo habitu se cæteris differre putantem: in omnes homines honorificum, effusus vero in bonos: & quæ ibi plura egregia legi possunt.* Vitia ta-

men sua habuit, eodem teste, quod *rebus indignis irascere- tur*, sed cito rursus flecteretur. Zosimus pro suo in Christianos Impp. odio, nullas non voluptates Theodosio imputat, mutatos, auctos venditosque magistratus. sane tamen hæc ipsa, ut temporis mala, leviter excusat Greg. Nazianz. *in Carm. de vita sua.* Lex illa Theodosii de xxx. diebus inter severiorem ab irato Principe damnationem & jussum extra ordinem supplicium suspendendis etiam hodie legitur l. 20. C. de Pæn. & l. 13 C. Th. *ead.* ubi videantur omnino Gothofredi. Fanorum Idolorumque excidia ingentis probri loco ingerit Theodosio Zosimus, amore scilicet suorum Paganismi sacrorum, cum hoc ipso pietatem sinceram Deo probare voluerit Princeps. obiit ex hydrope XVI. Kal. Febr. A. U. 1148. æt. an. 50. Vict. *Epit. c. 77.* (qui hic definit:) 60. Socrat. v. ult. vi. 1. ut Chron. Alex. habet, 65. Adde laudatis: Philostorg. XI. 1. Augustin. C. D. v. 25. 26. Claud. III. *Conf. Hon. a vs. 93.* Idatii *Fast. Conf. Pacat. in Paneg. Theodos. Sen. dicto*, Ambros. *in serm. de Excess. Theod. & Ep. 28.* Symmach. *Epist. lib. x. passim*: Hieron. *in Chron. Euseb. n. 2392.* Prosp. Aq. *Supplem. Hieron. n. 2395.* Cassiod. & Marcellin. *Com. in Chron.* adde in his & omnibus cæteris Impp. Cptanis Cangei *Hist. & Fam. Byz. Baron. an. 381. n. II. 17. an. 388. n. 62. an. 394.* Contr. Rittershus. *Lect. Sacr. II. 1. 11.* Rupert. *ad Besold. c. 14. p. 450-455.* Gothofred. *Chronol. Cod. Th. an. 379-395 p. 99-130.* Junge Nummos, & Inscr. Gr. & Reinel. passim, ubi ejus ingentes titulos & opera publica reperies.

ARCADIUS & HONORIUS.

VI. IMPERATORES ROMANI,
SVB III. DIVISIONE IMPERII.



L O T I C H I U S.

Inclytus imperii fasces cum fratre gerebat
ARCADIUS, magno par in honore patri.
Sustinuit multas ubi Cæsar in orbe procellas,
Mox placide vitam finiit ipse suam.

H O F M A N N U S.

*Regnavere simul fratres (a), verum Hesperus isti (b)
Obtigit, illi (c) Oriens subditus orbis erat.
Ast usi infidis juvenes tutoribus (d) ambo,
Dum fasces Libya sceptraque Gildo (e) rapit (f).*

E N A R R A T I O.

Elli (a) Theodosii M. quibus pater moriturus pietatem legavit, Theodoret. lib. 5. cap. 25. ambo accurata Arsenii Diaconi Rom. disciplina imbuti, patre defuncto divinum acceperunt Imperium, ann. C. 395. (b) & Honorius quidem Occidentem, (c) Arcadius Orientem obtinuit. (d) Tenera illorum ætas insidiis Imperium exposuit. Ruffinus enim tutor Arcadii, illud ad se rapturus, Alaricum Gothorum

Reg. in Græciam attraxit, mox interfectus a militibus, eod. uti Eutropius Eun. ann. 399. & idem affectans, Gainas Gothus, ann. 400. Stilico Vandalus, Honorii tutela turgidus, ei filiam nuptum dedit, omnique barbarie excita filio suo Eucherio Imperium parare conatus, Gothorum & Scytharum victor, ann. 402. & 405. sed fraude detecta, una cum filio, jussu Honorii, peremptus est, ann. 409. (e) Gildo Maurus, cui utrumque filium commendaverat Theodosius, in Africa, cujus Præses erat, Imperium rapuit, sed a Mazescele fratre oppressus, ann. 398. (f) ipse Honorius, post Constantinum, gregarium militem, a Britannis ann. 407. & Attalum, ab Alarico Gotho ann. 410. contra se Imperatores lectos, sed per Constantinum sororis maritum oppressos, absque liberis decessit, ann. C. 423. ætat. 40. Imp. 28. Arcadio jam prius defuncto, ann. C. 408. ætat. 31. Imp. cum patre 13. post ejus obitum 14. qui filio suo Theodosio Isdegerdem Persam tutorem reliquit. Zosimus *lib. 5.* Marcellinus *Chron. Orosius lib. 7. capp. 36. & 37.* Jornandes *de Regnorum success. & Reb. Geticis*, alii. Sub his, spectacula gladiatorum abolita: Alaricus Visigothorum R. post Orientem, quo eum Ruffinus evocaverat, spoliatum, in Italiam irruit; Romam stratagemate, *per datos Romanis exitiabili munere C C C. Juvenes*, cepit, diripuit, & rerum Dominos debellari posse ostendit, ann. 410. Honorio interea Ravennæ deside ac gallinam pugnacem urbi præferente. Mortuus paulo post successorem habuit Ataulphum cognatum, cui Placidiam Gallam Honorii sororem uxorem dederat. Hic Romam prorsus perdere & Gothiam ejus loco condere in animo cum haberet, uxore dehortante, in Narbonensem Galliam se recepit, ann. 412. Segericus Vallia, successor ejus, Hispaniæ citerioris partem, in quam paulo ante Vandali penetrarant, obtinuit ann. 417. 418. Langobardi Pannoniam infederunt, pulsus Vandalis, qui sub Godegisilo Reg. (postquam a Constantini M. principatu Pannonias pacifice habitassent) Moguntiam & Argentoratum diruerunt, ann. 406. inque Galliam transeuntes Treverim ceperunt, ann. 407. inde Gunderico Reg. Hispaniam ingressi, ann. 408. unde cum Alanis pulsi a Gothis, ut dictum, Romanos vicerunt ann. 422. Burgundiones Rhenum transeuntes ad Rhodanum confident, circa ann. 413. In Ecclesia, ob condemnationem Chrysostomi Schismâ inter Orientalem & Occidentalem Ecclesiam 32. annorum ortum, Socrates *lib. 6. cap. 10. & lib. 7. cap. 25. & 44.* Pelagius Brito Monachus, pestilentissimam hæresin orsus est, ann. 400. Romæ, Syricium Anastasius, & hunc post triennium Innocentius I. excepit, qui infantibus Eucharistiam dedit, circa ann. 410. Innoc. *Epist. ad Biniū tom. 1. Concil. part. 1. p. 608.* Talmud Judæorum compositum est, ann. 422. Hieronymus *de Sancta Fide in Hebr. m. &c.*

Additamenta HENR.

ARCADIUS natus Cpli A.U. 1130. Matre *Ælia Flaccilla*; si vero audimus Auctorem Græcum apud Scalig. p. 309. *Galla Placidia*. Imp. appellatus est a Patre xviii. (al. xiv. al. xvi.) Kal. Febr. A.U. 1137. adeoque adhuc vivo Gratiano consors Imperii. nam hic occisus, ut diximus, viii. Kal. Sept. hoc ipso anno: Socrat. v. 11. Marcell. Com. *Chron.* Alii. Non sequenti anno, ut male Prosper in *Chron.* Ergo recte Victor *Epist. c. 72.* ait, *mensis sex* Gratianum cum Arcadio quoque imperasse. verius adde & dies xxiii. Uxor illi fuit *Ælia* (Goltz. *Th. A. p. 83.* ex Nummis *Julia* prænomen habet.) *Eudoxia*, Bautonis, Nobilis Galli, Filia, ambitiosa & imperii cupida femina, ex qua tulit Theodosium, qui illi Augustus successit; *Æliam Pulcheriam*, Marciano Imp. nuptam; *Arcadium*, quæ suâsu Pulcheriæ Virgo permansit; *Flaccillam Juniolem* & *Marinam*, de quarum nuptiis filiet Historia. Obiit Cpli, Zosim. v. p. 811. Prosp. & Marcellin.

CHR. HENNIN I.

in *Chron.* Socrat. vii. 11. Sozom. ix. 11. Kalend. Majis, Socrat. l. l. alii xi. Kal. Sept. sed vide Petit. in *LL. Attic. p. 53.* Petav. *Doftr. Temp. ad an. 408.* Fuit nulla re gesta memorabilis, inertis (adulatores, pacis amanti, ajunt:) ingenio; Eunuchis Aulicis & Uxori nimis addictus, cui dum impensus obsequitur, publicam non minus rem, quam Christianam pessumdedit. Vide etiam Procop. *Persic. l. pr. Agath. l. 4.* Hieronym. *Ep. 3. & 11.* Claudian. *contra Rufin.* & alibi passim. Niceph. xii. 23. Nummos. Inscr. Gr. 165:1. 170:5. 192:1. narrant opera publica; sed quibus parum respondet l. 29. C. *Th. de Præst.* Rebellionem extinctam & restitutam Africam cantat 287:1. Superstitiosum SS. cultum 1048:1. Junge ex Recentiorib. Petav. *R. T. Part. 1. v. 10.* Joh. Cluver. *Epist. Hist. in Arcadio & Honor.* Carion. in *Arcadio*, Gothofredi *Chronol. C. Th. an. 383-408. p. 110-153.*

M. AURELIUS CLAUDIUS QUINTILLUS.



FACTIS CELEBRIS OMNIBUS, TIBI SEMPER
 QUINTILLE SIMILIS, CUNCTA CUM TIBI CEDANT,
 CUM CUNCTA VINCAS, LAUREA GRAVIS Densa,
 FALLACE JAM VERTENTE TERGA FORTUNA,
 TUI IMMEMOR SUCCUMBIS, ET TIBI CEDIS.

E N A R R A T I O.

M. Aurelius Claudius Quintillus post mortem fratris Claudii Gothici, a Senatu & militibus Imperator electus, in Dalmatia natus est. Dies & annus incerti. Patrem ejus credidit Victor fuisse Gordianum III, qui eum suscepit extra conjugium ex ignota quadam muliere Dalmatia quoque oriunda. Frater erat M. Flavius Crispus, de quo jam ante sumus locuti. Nulla apud Scriptores de Uxore ejus mentio. Constat tamen ex ea duos filios fuisse natos; Quintillum & Claudium. Hic Quintillus, quem parce nominant Scriptores, ab nonnullis Quintilium dictum, fuit Vir sanctus, & virtute, moderatione, innocentia, Claudio fratre non inferior. Quare omnium judicio delatum sibi imperium suscepit, non hæreditarium, sed merito, cum testentur, qui ejus temporis acta memoriæ prodiderunt, futurum etiam Imperatorem, etiamsi frater Claudii principis non fuisset. Liberalitas & bonitas major in eo eluxit, quam in Claudio fratre, minor severitas & rigor. Sic enim se gerebat ut non necesse haberet delicta militum ad exactam legum trutinam

tinam expendere. Præturam Italiæ, & imperium in copias militares, quæ ibi tum erant, dum frater Claudius abesset, magna laude gessit. Nobili & generoso animo se præstitit in bellis, quæ gessit ipse, vel quibus interfuit, antequam frater ad imperium vocaretur. Sed vide inconstantiam rerum humanarum, & lusus lubricæ fortunæ. Vix xvii dies imperio præfuerat, cum ei nihil tale metuenti nunciaretur victorem exercitum, cujus ope frater Claudius Gothos cæciderat, quique tum in Thracia morabatur, Aurelianum Imperatorem creavisse. Quare cum Aureliani viribus sese imparem videret, qui ad urbem adventare dicebatur, venas solvit, atque ita die xviii Imperii decessit. Alii, ut Pollio, Eutropius, & Cassiodorus, scribunt, quod se gravem & serium contra milites ostendisset, ac verum Principem præ se ferret, eo mortis genere, quo Galba & Pertinax periere, interemtum esse. Accidit hoc die xxiii Februarii, anno 270 post Christum natum. Ubi Romæ cognitum est e vivis sublatum esse, ingens mœror omnium animos incessit, quibus ejus virtutes erant cognitæ atque perspectæ. Quare in populi solatia a Senatu Romano inter Divos relatus est, quod testantur duo nummi, quorum unus aram, alter aquilam expansis alis exhibet, cum inscriptione **DIVO QUINTILLO**. Plura de eo non exstant: nam ob brevitatem temporis nihil dignum Imperio gerere potuit. Rari sunt nummi in ejus honorem cusi magnam partem aurei, pauci ænei. In iis expressam vides **CONCORDIAM AUG. CONCORDIAM EXER.** In aliis est **UBERTAS AUGG. PROVIDENT. AUG. SECURITAS AUG. APOLLINI CONSERVATORI**, respectu gravissimæ pestilentiae, quæ fratrem ejus Claudium cum magna hominum multitudine sustulit; **MARTI PACIFERO**. Si qui sint præterea, ii non inveniuntur apud Numismatum collectores. Fertur de eo frater ejus Claudius quondam in Apennino oraculum consulens hujusmodi accepisse responsum: **OSTENDENT TERRIS HUNC TANTUM FATA**. Id quod Anchisen Virgilius dixisse indicavit, cum Æneas in campis Elysiis de Marcello, quem inter alios euntem videbat, rogaret. Tum enim sic Anchises:

*Ostendent terris hunc tantum fata, nec ultra
Esse sinent.*

Gordianus Augustus Pater eo versu quoque usus est tanquam proverbio aliquo in auguranda Gordiani filii immatura & acerba morte.



THEODOSIVS MINOR.



L O T I C H I U S.

Junior augustæ THEODOSIVS imperat aulæ,
 ARCADIO natum quem liquet esse patre.
 Cæsar ad exemplum mitis, pius, atque benignus.
 Febretenus summum finiit ille diem.

H O F M A N N U S.

*Theodosius sequitur patrem (a), soror inclyta Pulchra (b)
 Cui a consiliis Anthemiusque (c) fuit.
 Hinc vera is pietatis (d) amans, mox Codice (e) clarus:
 Tandem lapsus equo (f) precipitante perit (g).*

E N A R R A T I O.



ARCADIUM (a) in Orientis Imperio octennis puer, ann. C. 408. tutore fidelissimo Isidgerde Persarum Rege usus, qua occasione in Persia fides Christiana propagata est, per Marutthiam inprimis Episc. (b) Pulcheria soror Theodosii maxima natur, teneris fratris annis Orientem cum laude rexit. (c) Anthemii utens opera. (d) Ab his optime educatus, pietatis faciem eo successu prætulit subditis, ut non regia solum ejus similis asceteriis Monachorum, sed & urbs velut in templum commutata,

tata, videretur. Socrates *lib. 7. cap. 22.* hinc contra Persas sub Varane Reg. Isdigerdis fil. hostilia induentes, & Saracenos, Ardaburio & Areobinda, cujus monomachia celebris fuit, ducibus, ann. 422. dein contra Johannem Scribam, post Honorii obitum, Imperii invasorem, ann. 424. felix. (e) Codicem L L. ab illo *Theodosianum* appellatum, promulgavit, ann. 435. Ultimo vero inclinavit fortuna foris & domi. Genfericum enim Vandalum in Africa oppugnaturus, retrahitur ab Hunnis, quos ab Urbe 1000. librarum auri annuo tributo ægre amolitus est, ann. 442. Domi vero persuasus ab uxore Eudoxia (Athenaide prius dicta, fil. Leontii Philosophi) Pulcheriam ab administratione amovit. Eidem tamen postea, moriturus (f) ex equi in venatione lapsu, Imperium commendavit, obiit ann. C. 450. ætat. 50. Imp. 42. Zosimus *lib. 5.* Zonaras *tom. 3.* Marcellinus *Chron. Jo. Antiochenus Excerptis Peiresc.* Socrates, Sozomenus, P. Diaconus, alii. (g) Ejus tempore, Franci, Treveri occupata, ann. 418. in Gallia regnare inceperunt: fuitque primus eorum Rex Pharamundus Marcomiri fil. ann. 419. Salicarum L L. auctor ann. 421. cui successit post Clodoveum fil. sub quo Cameracum captum ann. 427. Meroveus, Aimoinus *de Gestis Franc. lib. 1.* Gaguinus *Histor. Franc. lib. 1.* Paul. Æmylius *lib. 1.* Ado Vien. Eod. anno. Vandali evocante Bonifacio, ann. 427. duce Genferico, in Africam trajicientes, Carthagine occupata, ann. 439. novum ibi regnum condiderunt, Procopius *Histor. Wandal. lib. 1. cap. 3.* In Ecclesia, Ephesi, contra Nestorium, uti duas naturas, sic duas quoque personas in Christo asserentem, celebrata est Synodus Oecum. III. ann. 431. Socrates *Histor. Eccles. lib. 7. cap. 33.* Romæ Episcopum Bonifacius egit, qui ad Honorium, *Ecclesiæ mihi Deus Sacerdotium, vobis res humanas regni deputavit*, circa ann. 418. successit Cælestinus I. rigidior, qui Novatianis conventus ademit, anno 423. Socrates *ibid. cap. 21. & seqq.* Cælestinum excepit Leo I. Magnus, *primatus Papæ propugnator*, anno 440. Platina in eo. Eodem tempore florere Cyrillus, Vincentius Lirin. Theodoretus, Socrates, aliique.

Additamenta HENR.

THEODOSIUS MINOR omnibus pæne suæ vitæ annis Imp. natus est v. Id. April. A. U. C. 1154. docente ex antiquis Baronio *ad an. 401. n. 16.* statimque purpura fuisse tectum narrat M. Gazensis Diaconus, *ibid. n. 24.* solenniter vero Imp. est appellatus anno sequente XVII. Kal. Febr. docente in *Fest.* Panvinio. Isdigerdam tutorem a Patre datum laudat Procop. *B. P. l. 1.* sed vituperat Agathias *de reb. Justin. l. IV. p. 132.* & jure. nam revera Regis illius probitas, non vero Arcadii factum est probandum, quod a prudentia certe absuit. Fuit, si audimus Scriptores Historiæ Ecclesiasticæ, literarum amantissimus Princeps, usus Præceptoribus Paullino & Placido. Modestus præterea, prudens, eloquens, ut, qui Eum audirent, Eum usu & peritia rerum omnium instructum esse crederent. Patientia & clementia cunctos anteibat, & insuper habitis Philosophorum argutiis & disputationibus, factis ipsis Philosophum repræsentabat, compressa iracundia, tristitia, libidine. Cædes tam avversabatur, ut interroganti, cur ad delicta tam conniveret, responderit: *Utinam & mortuos liceret ad vitam revocare!* Inter vitia merito recensentur, quod in bellis pecunia, non armis, pacem quæsierit; quod Eunuchis omnia commiserit, qui Principi magno de honestamento fuerunt; quod superstitioni propinquior fuerit, si recte intuemur Ejus Leges, & ea, quæ

CHR. HENNIN I.

Diaconus Aliique de Eo narrant. Uxor *Athenais*, Leontii Sophistæ Atheniensis F. post baptismum *Eudocia*, & post nuptias, in Nummis, si credimus Goltz. *Th. Ant. p. 83.* *Eudocia Attica Aug.* forsan & illa *Ælia Eudocia* ap. Stradam *p. 204.* Vulgo male *Eudoxiam* exarant, vide Grut. *Inscr. 1048: 1. 1174: 5.* & Nicephor. in *hoc Imp.* Ejus fata, amores, eruditionem, scripta, inter quæ *Centones Homericis* putantur, obitum Hierosolymis, quo fugerat, narrant laudati & laudandi Auctores. ex hac sustulit *Liciniam Eudoxiam*, nuptam I. Valentiniano III. Imp. 2. Maximo Imp. 3. forte etiam Genferico Vandalorum in Africa Regi: & *Flaccillam*. Obiit Cpli ex luxatione vertebrarum, (ubi & apud Patrem Avumque sepultus est:) IV. Kal. Aug. A. U. C. 1213. Baron. *ad an. 450. n. 15. 16.* At Berger. *Th. Br. T. II. p. 640.* computat annos æt. 49. mens. 5. dies 17. imperii cum Patre an. 6. mens. 3. dies 19. solus an. 42. mens. 4. dies 28. Adde laudatis Suidam, ex Recentioribus in *annis hujus Imp.* Carionem, Petavium, Rupertum, Cellarium, & præprimis Boxhornium ac Cluverium, qui ex idoneis testibus omnia eleganter digesserunt; item Gothofr. *Chronol. C. Th. an. 408-438.* (quo ab hoc Imp. publicatus est *Cod. Theod.*) *p. 152-178.* & *Prolegomena ad C. Th. p. 183. & seqq.* Cangeum in *Byzantinis.*

LII.

VALENTINIANVS (a) III.



LOTICHIUS.

Tertius imperii fert sceptrâ VALENTINIANVS,
 Trux animi, fastu turgidus atque gravi.
 Arctius ut diram fert hoc sub Cæsare cædem,
 Cæsar item dira cæde peremptus obit.

HOFMANNVS.

*Occidui rector mundi sum a Cæsare (b) dictus ,
 Infelix (c) verum haud simplice clade fui.
 Francus (d), Saxo (e), Hunnus (f), sub me sunt nomina primum
 Audita, exitio nomina nata meo (g).*

ENARRATIO.

Elius (a) Constantii (quem Collegam sibi ob res in Gallia & Britannia præclare gestas asciverat Honorius) & Placidia (quam Alaricus Romæ captam Ataulpho nuptum dederat, postea Vallia fratri Honorio restituerat, Constantio jungendam) (b) A Theodosio II. totius Italiae consensu Occidentis Imperator effectus est, præcipuis militiæ ducibus Bonifacio & Aetio, ann. C. 425. (c) Imperium gessit, multiplici clade rerumque mutationibus funestum. Bello quidem contra Casti-
 O num

num tyrannum per Bonifacium victor, ann. 426. mox tamen Genferico Africam invadendi ansam præbuit. (d) De Francorum in Galliam ingressu diximus paulo ante. (e) Britanni, Aetii ope frustra contra Scotos & Pictos implorata, Vortigernum sibi Regem creaverant, qui Saxones Anglos e Germania accitos auxiliores primo, ann. 449. dein hostes sensere: ut dicemus. (f) Attila Hunnorum Rex *gladio Martis a bubulco accepto*, cum exercitu 500. mill. Galliam invasit, ann. 450. ab Aetio, Meroveo Franco & Theodorico Gotho, in campis Catalaunicis quidem profligatus, ann. 451. ipsi tamen Italiæ postea gravis atque ægre ab Imperatore, per Leonem Papam, dimotus est, ann. 453. (g) A quo metu liber Valentinianus, dum Anicii Maximi uxori stuprum infert, hic Aetium primo affectati Imperii apud Imperatorem accusat, eoque occiso, ipsum Valentinianum necat, Imperiumque juncta sibi Eudoxia rapit, ann. C. 455. Imp. 30. Prosper Aquitan. Idatius, Marcellinus & Cassiodorus *Chron.* Jornandes *de regn. succ. lib. 1. capp. 97. 100. & de reb. Get. cap. 42.* Procopius *Histor. Wandal. lib. 1. capp. 3. & 4.* Evagrius *lib. 2. alii.* Sub eo, Burgundiones, pressi ab Hunnis, fidem susceperunt, ann. 450. Socrates *lib. 7. cap. 30.* Veneti, inter quos multi Romani nobiles, metu Attilæ refugium quærentes, occupato in Adriatico mari loco, qui hodieque *Rivus altus* dicitur, condidere urbem, a vicina regione *Venetias* dictam, ann. 452. quod tamen alii citius, ann. scil. 421. vel 429. alii paulo tradius, ann. 458. factum volunt, Vid. Clar. Megerlinum *Indice Historico-Chronol.* in hac voce. *Ecclesiam* quod attinet, Vid. supra ubi de *Theodosio II.* Addo, Eutychem Archimandritam CPolit. qui, hæresin Nestorio contrariam commentus, *Christum post incarnationem non retinuisse duas naturas, sed ambas in unam permixtas esse*, docere cœpit circa ann. C. 447. Zonaras *Histor. tom. 3.*

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

VALENTINIANUS III. natus est Ravennæ VI. (al. V.) Non. Jul. A. U. C. 1172. teste Prosp. in *Chron.* Uxor illi fuit *Licinia Eudoxia*, Theodosii Junioris & Æliæ Eudociæ F. infelix matrona, ex qua sustulit duas filias *Honoriam* & *Placidiam*, quæ deinde una cum Matre a Genferico Vandalorum Rege in Africam abductæ sunt, ubi prior nupsit *Hunerico* Genferici F. ex eo mater *Hulderici R.* Vandalorum; posterior deinde *Olybrio* Imp. Sororem suam *Iustam* *Gratam* *Honoriam* ab Eugenio Procuratore stupratam Palatio exegit. Hoc imperante passim ad ruinam inclinavit imperium, Barbaris nationibus quaslibet ejus Provincias fœde lacerantibus. Vide hic Panvin. *de Imp. Rom. p. 922-936.* scilicet occuparunt *Africam* Vandali, capta Carthagine XIV. (al. XII. vel X.) Kal. Nov. A. U. C. 1192. *Galliam* Franci A. U. C. 1181-1202. *Britanniam* Picti, Scoti, Angli, Saxones circa A. U. 1200. *Hispanias* afflixerunt excisis Carthagine nova & Hispali A. U. 1181. Vandali, depopulati sunt Suevi. *Siciliam* diripuerunt Vandali A. U. 1193. *Orientalis Imperii Provincias* sequenti anno vexavit Attila Hunnus. Hæc mala debentur 1°. præcipue diviso post Theodosium Imperio: 2°. nudatis præsidio Legionum limitibus: 3°. inertia, otio & negligentia Imp. qui aut Uxoribus, aut Adulatoribus gratiosis, aut ineptissimæ superstitioni & ambitioni Clericorum obnoxii marcebant corruptiores feminis. Cæterum *Attilæ* Historia tot fabulis, commentis, Monachorum somniis, contrariis, diversis, & uno verbo, nugis est referta, ut Hercules optandus sit ad purgandum illud Augiæ stabulum. Scilicet plerique

ex nostris plurima pro amore suæ & odio adversæ partis scripserunt de veritate parum solliciti. Placet hinc ingenuus & cordatus Ruperti animus, qui Attilæ apologeticum adornavit ad Besold. c. 15. p. 473-488. cui faciem prætulit Aventin. *Annal. Boj. l. 11. n. 51. in Valent. l. 11. p. 162-167.* Pie sentiebat, licet paganus: *Nullo sanctiore sacrificio Deos placari, quam si jussu & honeste inter homines ageretur.* Avaritiam adeo detestatus est, ut dixerit: *Miseros esse Mortales, quia ea carent, quorum in amissione plus doloris sit, quam in possessione voluptatis.* Temperantia Ejus cui non hodie beatula ruborem exprimat, qui aqua & plebeja pulte contentus in publico prandeat, milites suo exemplo eandem virtutem docens? Virtute militari parem suo ævo non habuit. Religioni Christianæ in Episcopis honorem habuit, a *Lupo* Tricassinorum in Gallia, a *Leone* Romanorum Pontifice exarmari se passus: hinc jocus ille militaris: „haud immerito *Leo* „ni cessasse Romæ, qui *Lupum* in Gallia reformidasset. At in eo vituperatur nimia sæpe crudelitas & fraticidium. de obitu Senis cxx. annorum ex temulentia & Venere, nugæ. sed in viam. Perit Romæ occisus in ultionem Ætii & violatæ uxoris Maximi Valentinianus in campo Martio A. U. 1208. xvi. Kal. Apr. Adde laudatis Diacon. *lib. XIV. & XV.* Niceph. l. XVI. Posidon. *in vit. Augustini*; Sidon. Apoll. passim; Photium *Cod. 80. Bedæ Hist. Angl. l. 5.* Junge ex Recentioribus Scr. *Rer. Hungar.* maxime Joh. de Thuroëz; Rudolphi Roh. *Attilam*, Eryc. Putean. *Hist. Insubr. l. 1. Petav. R. T. Part. I. VI. 12-16.* Boxhorn. *H. U. in hoc Imp. Valef. Hist. Franc. l. 111. & IV.* Aliosque.

LIII.

MARTIANVS (a).



LOTICHIUS.

Martis habet nomen, qui Princeps, Martis in armis
 Clarus erat, quamvis non ita clarus erat.
 Pro patria fortis dum vincit fortibus ausis,
 Toxica necquicquam vincere dira potest.

HOFMANNUS.

*Pulcheria successit ope, & tractavit habenas
 Imperii, prudens, sobrius atque pius (b).
 Cum Wendis pacem (c), cum Persis (d) fœdera fecit,
 Sed tandem insidiis Asparis (e) occubuit (f).*

ENARRATIO.

Ilhrax (a) genere, humili loco natus, (b) sed vir fortis, prudens ac orthodoxus, post Theodosii mortem, a Pulcheria virgine jam 50. annis majore, in Augustum maritumve adsumtus est, ann. C. 450. (c) Crebro in ore habuit: *non movenda esse arma, si pace frui liceat*: itaque Vandalis Africanis pacem, accepto omine Imperii, quod aquila dormien-

ti umbram fecisset, juravit, teste Evagrio: (d) pacem similiter continuavit: Nomadesque & Blemys Æthiopia prolapsos per Florum repressit. Post necem Valentiniani, & Maximi lapidationem in fuga, ann. 455. cum in Gallia Avitus Imperium arripuisset, Martiano invito, repulsus ille a Romanis ann. 456. paulo post merore animi extinctus est: quem Martianus brevi sequutus, dum nequaquam se expedit de successore Occidentis, (e) Asparis patricii veneno interiit, ann. C. 457. Imp. 7. (f) Sub eo Genfericus, in Italiam ab Eudoxia vocatus, Romam per 14. dies diripuit, ann. 455. Avitus, Francis sub Childerico Rege trans Ligerim repressis, cis Ligerim Theodoricum Gothum in Hispaniam & Suevorum ibi regnum (quod Ermerico Rege ann. 409. fundaverant) avertit, circa eadem tempora. *Ecclesiam* quod spectat, Chalcedone coacta *Synodo Oecum.* IV. Eutyches damnatus est, ann. 451., mox ortum de titulo *Universalis* infelix certamen &c. Evagrius *lib. 2. cap. 1.* Aimoinus *lib. 1. cap. 23.* Procopius *Histor. Wandal. lib. 1. cap. 4.* Jornandes *de regn. success. lib. 1. cap. 99.* Nicephorus *lib. 15. capp. 1. 2.* Theodorus Lector *Collect. lib. 1. alii.*

Additamenta HENR. CHR. HENNIN.

FL. Martiani (sic appellatur in Nummis:) Imp. Parentes flet Historia, licet Patrem velint militia bonum fuisse. Ignoratur etiam prima Ejus Uxor. Illi ex morientis Fratris voluntate & rogatu Imperium & matrimonium Seni bono & modesto obtulit *Fl. Pulcheria Augusta*, sed, quæ fuit tum superstitio, pacta salvam & intactam Virginitatem, ut Deo devotam. promisit id (& præstitit) Marcianus; unde, Patriarcha & Senatu arcessitis, Illum diademate cinxit, & Imperatorem salutavit, accedente & Exercitus studio, post mortem Theodosii 11. mensæ Augusto A. U. C. 1203. Pulcheria tum erat 51. annorum, docente Baron. *an. 450. n. 17.* Huic in Africa dormienti caput ab æstu Solis defendens alis suis aquila semel atque iterum, narrante Zonara & Procopio, auspicio non vanoportendit Imperium. Imperator prudentia & consilio magis, quam armis, Imperium administravit. Attila Ostrogothorum, & Gepidarum & ipsius Tetrici societate fretus, multisque copiis ex Germania auxiliaribus auctus, jam totum Orientem spe devoraverat; sed Marcianus, factis cum Persa & Vandalis induciis Arnestidem, Magistrum Equitum, Hunnis opposuit, qui primo prælio victor, secundo occubuit circumventus, sic Attila vastatis Mœsiis, Thracia, Macedonia, Illyrico, ipsi CPLi exercitum admovit: sed cum a Marciani copiis aditum præclusum intelligeret, Oriente relicto Occidentem adortus est. ita reparatum Orientis imperium. Jornandes *in Getic.* narrat, Marcianum illa nocte, qua Attila obiit, (hortatu Ætii a muliere confossus, si Marcellino *in Chron.* fides:) intellexisse divinitus oblata specie, *arcum Attila fra-*

ctum esse. Baron. *an. 457. n. 2.* ait, post Constantinum M. non reperiri inter Orientales Imperatores, qui cum eo comparandus fuerit. Sub Eo furor sacer & ambitio Cleri porro exarsit. Inde passim Anathemata fulminata; Hæreses multiplicatæ; & hinc imperiosa in hominum animi sententias, a dominantium Clericorum opinione alienas, edicta ac severitas, imo sævitia; certamina *πρωτοκαθεδρίας*, Superstitio, cui ipse Imp. & *Pulcheria Aug.* propinquiores erant, vires acceperunt. lege Zonaram, & illic miram considera rationem decidendi controversias sacras; utraque sententia in libellis singulis scripta, ac his in loculo & quidem in pectore Martyris repositis, dehinc loculo ab utraque parte signato, Supplicationibus ac pervigiis Deo factis, utra ei sententia cordi sit, ut ostendatur. addit: deinde libellum Hæreticorum ad pedes Martyris inventum, alterum orthodoxum in manu Ejus dextra, qua extensa eundem Imp. ac Patriarchæ porrexerit. hæc ille credulus. at ego miror, post tantum miraculum, ullos mansisse Eutychianos. *Pulcheria* erga Pauperes liberalissima, condita in Blachernis Beatæ Virginis æde, de qua Gyll. *Topogr. CPLis* IV. 5. obiit 10. Sept. A. U. C. 1206. Chr. 453. Vide Martyrol. Rom. *istâ die.* at Martianus (Zonaras dubitat de veneno, additque: *sive ex morbo, admodum senex*;) A. U. C. 1210. xvii. Kal. Febr. Adde laudatis Chron. Alex. Concilia hujus ævi, Leon. M. *Epist.* 61. 62. Alios: ex Recentioribus Aventinum, Cluverium, Petavium, Micrælium, Rupertum, Boxhornium *in hoc Imp.*

LEO I. THRAX (a).



L O T I C H I U S.

Thrax patria, Priollus, sed qui LEO nomine, Cæsar,
 Rexit is imperium non fine laude suum.
 Sed regere Hesperium potuit non amplius orbem,
 Gessit in Eoas dum modo sceptrā plagas.

H Ò F M A N N U S.

*Ille quidem fidei (b) servans, sed fidere larvo
 Usus (c), non multum profuit Imperio.
 Roma vetus sensim (d) retro sublapsa referri
 Tum cæpit, meta & non procul esse sua (e).*

E N A R R A T I O.

E Enere (a), an Dacus, studio Asparis Imperator anno C. 457. Occidenti Majoranum, Severum, Anthemium, & post Anic. Olybrium, Glyceriumque Jul. Nepotem successive præposuit. (b) Orthodoxæ fidei tenax, populum Alexandrinum, quod, Proterio interempto, Timotheum Æluram Eutychianum in ejus locum surrogasset, puniit, 460. (c) Infelix ut plurimum, CPolim 4. dies ardere vidit, ann. 464. & classem mille

navium Basilisci ducis an inertia, an prodicione, in Genserici potestatem venisse doluit, ann. 467. Asparis expertus insidias, illum necavit, ann. 470. Gothos donis avertit, ann. 473. Obiit ann. C. 474. Imp. 17. nepote Leone, ex fil. Ariadne Zenoni nupta, successore declarato. (d) Occidentis Imperium exitio proximum, præfatos partim Imperatores, partim tyrannos habuit: e quibus Majoranum, Vandalorum in Italia victorem, ann. 457. Severum, qui eadem Alanos pepulit, ann. 462. & Anthemium forcerum, sustulit Ricimer Suevus militiæ Magister, annis 461. 465. & 472. sed perbrevis nefandæ victoriæ gaudio usus, paulo post ipse periit, eod. Glycerium dein in locum Olybrii a Gothis Ravennæ surrogatum deposuit per Nepotem Leo, ann. 473. Sic vero ruente Imperio, & Literæ Artesque una, Barbaris secum barbariem importantibus, ruere cœperunt: quas sustentavit utcunque Sidonius Apollinaris & pauci alii. Evagrius *lib. 2.* Jornandes *de regn. success. lib. 1. cap. 10.* Nicephorus *lib. 15. capp. 15. & 27.* Procopius, Cassiodorus, Paul. Diaconus, alii. (e) Sub eo, ex Gallia fugit Childericus I. in Thuringiam ad Basinum Regem, ann. 462. reversus ann. 469. Paul. Æmylius *lib. 1.* In Britannia, Saxones, qui duce Hengisto & Horsa eo venerant, ann. 449. decipiunt Britannos, ann. 461. & domant, ann. 465. Beda *Histor. Angl. lib. 1.* Romæ, Leoni M. successit Hilarius, qui Clericis uxores virgines concessit, ann. 462. huic Simplicius, cui cum Acacio *de primatu rixæ*, ann. 467. Jac. Revius *Histor. Pontif.*

Additamenta HENR. CHR. HENNIN.

D. *N. Leo perpetuus Augustus* in Nummis appellatur, non P. F. scilicet ut a Tyrannis hunc titulum P. F. sibi arrogantibus distingueretur, conjiciente Begero *Th. Br. P. 11. p. 844.* Parentes Ejus ignorantur. patria, *Thracia*, Niceph. xv. 15. aut *Dacia Illyrica*, Phot. *Cod. 79.* utramque commemorat Zonaras. progenies Bessica. Jornand. *de R. S.* fuit antea Procurator Asparis; alii ajunt, fuisse Præfectum vestigalium Selymbrianorum; Zonar. Ut Jornand. & Alii, Tribunus militum, & Cohortibus Selymbrianis Præfectus. Aspar Patricius magna quidem auctoritate erat, sed fastiditus a CPTanis, ut Gothus & Arianus. hinc sive sua auctoritate, sive accepta a populo potestate, Leonem Imperatorem declaravit Kal. Mart. A. U. C. 1209. stipulatus, ut alter Filiorum Cæsar adoptaretur, quod Leo promissit. hæc promissa urgebat postea apud cunctantem Leonem Aspar, ita ut prehensa aliquando Ejus purpura dixerit: *Imperator, hac veste indutum, mentiri, nefas est*; regerente Eo: *Etiam cogi & instar mancipii trahi, nefas est.* Sed cum tandem diutius resistere non posset, necessitati cessit, & anno Imperii 12. Chr. 468. U. C. 1221. Patricium Asparis F. desponsa eidem Ariadna filia Cæsarem fecit, ut puto, sophismate politico, uti Patrem & Filios nimia potentia suspectos perderet securus. Nec Senatui, nec Populo Cæsar placuit, scilicet per Clerum concitato, ne ad Asparis familiam, quæ Ariana erat, Imperium devolveretur. quare Clerici, Monachi, plebs orthodoxa per seditionem ab Imperatore petunt, ut orthodoxum Cæsarem sibi designaret. Imperator pro tempore quasi suppressit & facto & verbis seditionem, dein circa initium A. U. C. 1224. securos Asparem cum Ardaburio F. spadonum gladiis in Palatio obruncavit, sub specie & causâ factarum sibi insidiarum: re autem vera, ut nepotem ex Filia, Leonem Juniorem, Imp. crearet, veritus illorum potentiam, Zenonis instinctu, ne despecta Leonis Junioris infantia Imperium sibi vendicarent. ajunt illos dixisse: *Perdamus prius Leo-*

nem, quam ille nos devoret; quod alii filii cervicem porrecturi, exprobrantis meritam ideo necem Patri, dictum volunt. ego Clericorum figmentum puto ex odio Arianismi, ut alia sæpe, ortum. Coronatus est, & quidem primus Imp. a Patriarcha Anatolio, non quod hic jus dandi haberet imperii, quod Romanus Patriarcha sibi hinc postea arrogavit, sed ut testis, Electum Imp. esse Christianum, alienumque a falsis dogmatibus, unde deinde professio doctrinæ ante coronationem ab Imp. peti cœpit. Uxor illi fuit *Elia Verina*, Basilisci Ducis Soror, ex qua duas Filias *Ariadnam* Zenoni (post etiam Imperatori) Leonis ex eo Junioris Matrem; & *Leontiam*, Martino Patricio, Anthemii, qui Romæ imperavit, Filio nuptas. Sub Eo CPLis fere tota, cum illustri Bibliotheca, per quadriduum conflagravit A. U. C. 1218. per ignes a Dæmone subditos, si fabellis delictamur, ut Baron. *ad an. 465.* Antiochia Terræ motu concidit, experta liberalitatem verè augustam Leonis, teste Nicephoro *l. l.* In Agro Byzantino pluvia cinerea palmi altitudine decidit: quibus prodigiis perterritus Imp. Urbe relicta longo tempore apud S. Mamantem habitavit. Suid. *in Leone*, illi exhaustos tributis populos objicit; fuit infelix Vandalico bello, Procop. *Vandal. l. 6.* laudantur tamen hæ voces Ejus, cum Clementiæ, tum amoris erga Eruditos indices; solebat enim dicere: *Quemadmodum Sol, quibus affulsit, iis calorem impertiri solet; ita etiam ab Imp. clementia iis tribuenda, quos aspexit.* Item stipendium Eulogio Philosopho datum, in militiam insumere suadenti, respondit: *Utinam liceret meo tempore, quæ Militibus dantur, in Artium Professores impendere!* Cleri Controversiæ, Turbæ, Odiæ, superstitionis, ficta miracula, Reliquiarum Sacrarum veneratio passim hoc ævo invaluerunt. Obiit Leo M. ex dyfentæria mense Jan. A. U. C. 1227. Vide præter laudatos Candidi *Histor. ap. Phot. l. l.* Chronicor. Scriptores, Zonar. Cedren. Theodor. Lector. Theophan. ex Recent Carion. Petav. Cluver. Cangeum *in annis & reb. hujus Imp.*

L V.

LEO (a) II. LEONTIVS & ZENO (b).

IV. IMPERATORES ROMANI,

SUB DIVISIONE I. IMPERII A BARBARIS IN OCCID. FACTA.



LOTICHIUS.

Imperium certos tenuit sine laude per annos,
ZENO, de Siculis qui fuit ortus agris.
Infantes illo tulit ignis tempore libros,
Cæsar at infandam sors tulit iste necem.

HOFMANNUS.

*Is Successor avi socium (c) hunc facit, impius ast hic
Sensu animoque, simul corpore fœdus (d) erat.
Hinc (e) Ariadne (f) effert vino somnoque sepultum (g),
Dum Latium Odoacer (h) diruit ense decus (i).*

ENARRATIO.



Illius (a) Ariadnes, avo successit, ann. C. 474. sed in
infantia paucis post mensibus extincto, (b) pater ejus Ze-
no, obscurissimis parentibus in Cilicia natus, corripuit
Imperium, (c) in societatem ab ipso adhuc vivo adsum-
ptus, eod. (d) adeo voluptatibus immersus, ut iis in te-
nebris-indulgere existimaret vulgare, palam autem regale quiddam & solius Impe-

Imperatoris esse, Evagr. dum interea Sebastianus honores venderet & frater Zenonis Conon mactationibus hominum intentus esset, (e) a Verina socru hujusque fratre Basilisco, quem illa Augustum creaverat, ejectus in Isauriam, ann. 476. sed receptus, illum, cum Marciano, Anthemii supra dicti fil. Ilo & Leontio rebellibus, vicit, ann. 479. & 488. (f) uxor, quam ob militarem peritiam a Leone impetraverat, (g) ipsum omnibus si-bique maxime invisum tandem, sive acutiore morbo, sive nimio vino exanimatum sepulchro vivum, inter gemitus & clamores, *Miseremini mei & aperite*, includi jussit, in quo, postquam fame proprium arrosisset corpus, misere extinctus est, ann. C. 491. Imp. 17. Evagrius *lib. 3.* Cedrenus *Zenone*, Suidas *Armato & Basilisco*, Procopius *Histor. Wandal. lib. 1.* Jornandes, Theophanes, Zonaras, alii. (b) Eo tempore, Nepos Romæ dominabatur, sed ab Oreste Gotho, Augustuli patre, pulsus ann. 475. Odoacrum Herulorum Regem accivit, qui, Oreste occiso ac Roma jam quarta vice capta, Momyllum Augustulum, quem pater Imperatorem appellaverat, in exilium misit, Consules abolevit, Regemque se Italiæ nominavit, sede Ravennæ constituta, ann. 476. Sic Augusta dignitas, quæ Romæ in Augusto cœperat, in Augustulo desiit. Ipse tamen a Zenone, per Theodoricum Veronensem, Theodemiri Gothorum Reg. fil. aliquot præliis fractus, ac Ravennæ tandem inclusus est ann. 490. Jornandes *de reb. Geticis capp. 52. 53. & 57. ac de regn. success. lib. 1. cap. 105.* (i) In Gallia Clodoveus I. fil. Childerici, Romanos penitus regno pepulit, Syagrio cæso, ann. 486. In Africa, Genserico successit fil. Hunericus, Gallæ Eudoxiæ Valentiniano III. genitæ maritus, Arianus & piorum persecutor acerrimus, ann. 477. a vermibus corrosus, ann. 485. Victor Utic. *de persecut. Wandal. lib. 3.* In Ecclesia Zenonis Henoticon, cum Acacio & Petro Moggo damnatur a Felice III. Simpliciani successore, ann. 483. Platina *vita ejus.* At Petrus Fullo S. S. *invocationem*, B. Mariæ inprimis, precibus Ecclesiæ privatisque miscet, ann. 480. Chemnitius *de Invocat. S. S.*

Additamenta HENR. CHR. HENNIN I.

D. N. Fl. Leo Junior, Perpet. Aug. ut in Nummis ap. Occon. p. 578. & Goltz. *Th. Antiq. p. 84.* vocatur, Zenonis F. Leonis Magni N. ex Ariadna Filia. Augustus Orientis dictus ab Avo A. U. C. 1227. Res hujus Imp. valde confuse & fabulose narrantur. si credimus Theodoro Lectori, „mortuus „est infans, prorsus ignarus, quid accepisset, quid „que moriendo relinqueret. At si audimus Jornand. „de R. S. paucis mensibus puerile, ordinanter ta- „men, rexit imperium, manu sua Genitorem suum „Zenonem coronans, Imperatoremque constitu- „ens, „mense Februario ejusdem anni, & cum Eo menses x. imperavit. rarum exemplum, a Filio factus Imperator! Si Candido ap. Phot. *Cod. 79.* credimus, Leo destinaverat successorem Zenonem, sed populo renitente omisit. Diacon. l. xvi. & Victor

Tununenſis narrant, quod Zeno Leonem F. occidere voluerit, at a Matre Ariadna occulte Clericum factum: exigente vero Zenone, ut Filium proderet, ab illa alium forma similem substitutum, Leonem vero deinceps in Clericatu attonsum latuisse & vixisse usque ad Justiniani tempora. fabulæ videntur. sed tamen hinc Beger. *Th. Br. T. 11. p. 847.* putat *vel rebna humanis exempto, vel in Clericatum deducto* Leone, solum Zenonem imperasse. Obiit anno U. C. dicto, ætatis incerto; sed, ut videtur ex Nummis, puerilis; lento, ut quidam narrant, veneno ab avia *Verina*, imperii cupidissima, quod Fr. Basilisco collatum cupiebat, per Coquos precio corruptos sublatum. Vide præter laudatos Chron. Alex. Nicephor. Aliosque subinde alibi laudatos.

ANASTASIUS (a) I. DICORUS (b).




L O T I C H I U S.

Primus ab Æmathiis veniens ANASTASIUS oris
 . Sceptra refert variis concelerata dolis.
 Horrendo tandem succumbens fulminis ictu
 Digna refert factis præmia digna malis.

H O F M A N N U S.

*Hunc Ariadna (c) thoro princeps dignatur & ostro,
 Fautore Eutychis (d) quo fuit usa cohors.
 Magni habuit Proclum (e), pulcre qui sidera norat,
 Fulmina sed metuens fulmine tactus (f) obit (g).*

E N A R R A T I O.



Pirotæ (a), Dyrrachio ortus, Silentarius sub Zenone, quod humile munus erat, (b) ob *pupillas* oculorum *bicolores* sic dictus. (c) De sententia Senatus & Legionum, annitente Urbicio Eun. ad Imperium pariter conjugiumque euectus est, ab Ariadne Zenonis vidua, ann. C. 491. & initio quidem, *Chrysargyro* (foedum id tributi genus) ac Magistratuum

P

ven-

venditione prohibita egregius fuit. Longinum, Zenonis fratrem, rebellem puniit, ann. 498. Bulgaros Thracia amovit, ann. 502. & Getas ann. 505. Cabadi Persæ, a suis in carcerem coniecto, quod *lege lata uxores communes esse* iussisset, sed miro conjugis amore liberato, Amidam rursus extorsit, ann. 503. Vitalianum Com. Thracem genere, qui sub prætextu defendendæ orthodoxiæ arma rapuerat, bis vicit, classemque ejus urbi regiæ imminentem Marini ducis armis & Procli Mathem. speculis profligavit exussitque, ann. 514. (d) Vid. paulo infra. (e) de quo modo. (f) Oraculo quodam doctus, fulmine sibi pereundum, tholorum sibi ædificium fieri curavit: tempestate nihilominus aliquando sæviente, cum per cubicula discursaret, subito mortuus inventus, ann. C. 518. ætat. 88. Imp. 27. Evagrius *lib. 3. capp. 29. 35. 43.* Zonaras *tom. 3.* Jornandes, Paul. Diaconus *Histor. lib. 15.* alii. (g) Ejus tempore, Theodoricus Veron. Ravenna post triennem obsidionem expugnata, ac Odoacro capto & occiso, Italiæ regnum occupavit, ann. 493. felix, prudens ac justitiæ cultor. Pannoniam dein, Sirmio capto, Bulgarisque victis, sibi sumpsit, ann. 504. in Hispaniam porro prolatis armis, Amalarico Gothorum Regi suppetias tulit, ann. 507. & 511. Jornandes *de rebus Get. cap. 58.* In Gallia, Clodoveus, cæsis ad Tolbiacum Alemannis ingenti prælio, vi voti in discrimine concepti, Christianam fidem amplexus est, a Remigio baptizatus, ann. 496. Aimoinus *lib. 1. cap. 12. & seqq.* fratrem inde Gundebaldum Burgund. Reg. fidei hostem, vicit, ann. 501. Idem *ibid. cap. 19.* Quantum ad *Ecclesiam*, Anastasius, Eutychianis addictus, orthodoxus gravis fuit: unde audita ei paulo ante obitum vox dicentis, *En ob perverfitatem fidei tue XIV. tibi annos vitæ deleo*, Zonaras. Sed & Episcopi non tam de fide, quam de commodis sedibus solliciti, Evagrius *lib. 4.* Gelasius quoque Papa primatum refulcivit, ann. 494. Ei successit Anastasius Eutych. cui defuncto, ann. 498. successit Hormisdas, ann. 514. Anastasius *Biblioth. de Pontif.*

Additamenta HENR. CHR. HENNIN I.

D. N. Fl. Anastasius Perp. P. F. Aug. ut nominatur in Nummis ap. Goltz. *Tb. Antiq. p. 85.* natus A. U. C. 1183. evectus est ad Imperium A. U. C. 1243. viii. Id. April. Baron. *an. 491. n. 7.* ait, Imp. factum, Euphemio Patriarchæ CPtano suspectum de fide fuisse, hinc a minitante compellatum his verbis: *Si secus feceris, resecta tua coma, in triumpho ducam Te cum populo.* Scilicet hæc Cleri dominatum stabiliunt & probant! at Suidas hæc narrat de Anastasio adhuc *Silentiario*; Vide Casaub. *Proleg. in Exerc. Baron.* Immerito optimus hic Imp. a sequioris sæculi Scriptoribus traducitur & multis fictis fabellis adspersitur, solo odio Eutychianismi, in quem ille propensior fuit, quamvis alias pacis & concordie amantissimus. Exilio sane multavit ferventiores & sæpe fati seditiosos Orthodoxorum, *nulla tamen sanguinis gutta*, ut aiebat, *vindicare cupiens contraria sentientes, modo quiete agerent.* Gliscebant sub Eo Cleri arcana dominandi libido. hinc sibi coronandi jus Patriarcha CPtanus Euphemius asseruit, ac Anastasium diademate ornare noluit, nisi data syngrapha in Synodi Chalcedonenfis decreta semet obstringeret; unde hunc postea sede sua

ejecit, & chirographum, ut majestati augustæ injurium, dato successore Macedonio, extorsit. Mira sub Eo fuit Episcoporum inconstantia & inquietudo, anathemata mutua fulminantium; hinc alienior ab iis Anastasius vicissim populo in seditiones pronissimo exosus fuit ob Clericorum quorundam relegationes, & additamentum ad Trifagium: *Qui crucifixus es pro nobis.* Vide Euagr. iii. 44. Bulgarorum gens sub hoc Imp. primum innotuit. Opera publica Ejus multa & egregia sunt: inter quæ Murus ille memorabilis & amplissimus, utrumque mare amplexus, distans CPLi 280. stadiis, ad arcendos incurfus Barbarorum e Colchide, Ponto & Mæotide, Uxor illi fuit *Fl. Ariadne Aug.* Zenonis Vidua, quæ 60. annis in palatio exactis obiit A. U. C. 1268. Obiit subito morbo extinctus, (fulmen enim fatale, deletosque ob hæresin ejus XIV. annos vitæ, quod ipsi somnio Vir terribilis dixerit, Monachorum somnia puto) teste Anonymo Valesii *p. 484.* & Marcellin. *in Chron. A. U. C. 1271. vii. Id. Jul. (al. iii. Id. April.)* Vide porro Chronicos, Procop. *H. Arc. p. 39.* & *seqq. ibique* Alemannum, Nummos. ex Recentioribus maxime Cluver. Petav. & Rupert. *ll. ll. in hoc Imp.*

M. AURELIUS CARINUS.



QUÆ MONSTRA PROTULISSE DICITUR TELLUS,
HIS ADDERIS CARINE MAXIMO JURE.
TUI PARENTIS VOX FUIT: MEUS NON EST.
O NOMEN EXECRABILE! O LUES SECLI!

E N A R R A T I O.



CARINUS a Patre Caro Socius Imperii electus, antequam in Orientem moveret, Narbonæ natus fuit, die tamen & anno prorsus incertis. Pater, ut modo dicebamus, erat M. Aurelius Carus. Mater ignoratur. Frater erat M. Aurelius Numerianus, Imperator simul cum eo factus, & pari fato e medio sublatus. An uxorem duxerit, latet. Nonnulli narrant eum novem brevi tempore uxores duxisse, easdemque plerasque prægnantes repudiavisse. Harum nomina interim nemo prodidit: unde conjiciunt alii non fuisse ejus uxores, sed aliorum nobilium conjuges, quas nefaria impulsus libidine compresserit. Carinus imperium Galliæ, Italiæ, Illyriæ, Hispaniæ, Britannæ & Africae a Patre sibi traditum vix susceperat, quin pronus in omnia vitia ferretur. Sic brevi evasit homo omnium contaminatissimus: ut cui lascivire, libidinari, in suos sævire, & Caligulam quendam aut Neronem agere vita esset. Quare & Carus Pater ejus sceleribus cognitis, exclamasse fertur: NON EST MEUS. Postquam audivisset Carinus, quid Patri suo & fratri accidisset, & Diocletianum jam Imperatorem factum,

confestim accurrit in Italiam, & Sabinum Julianum, qui Imperium sum-
ferat, in campis Veronensibus vincit. At nihilominus in tanto periculo
multis libidinibus se pollueret perrexit. Postea contra Diocletianum in a-
ciem progressus, multis praeliis cum eo conflixit. Sed ultima pugna com-
missa, ab eo suo detractus, ad Murtiam promissus, a tribu-
no interfecit. Eius dicebatur conjugem stuprasse. Exitus
vitæ hujusmodi, qui incidit anno a Christo nato 283, tempore
Imperio post. Consulatur super his Vopiscus, Suidas, Eusebius. In
nummis ejus expressam vides **VICTORIAM AUG.** Alii hanc In-
scriptionem præ se ferunt **ÆTERNITATIS AUGG.** Alii **PRINCI-
PI JUVENTUT.** Alii rursus **PIETATIS AUGG.** Alii **VIRTU-
TI AUGG.** Quidam scripserunt eum nominatum fuisse Decium Cari-
num: quod falsissimum est. Siquidem Pater ejus, licet peregrinus esset
& humili genere natus, Marcus Aurelius dici voluit, desiderans censeretur
velut ortu Romanus. Idem fecere Claudius Gothicus, Aurelianus & Pro-
bus, qui ex stirpe ignobili prognati, tamen nomina nobilissimam fa-
miliarum, quæ tum Romæ vigeant, assumerunt, inter quæ primis
Galerii & Aurelii nomen præcui, quod plane idem est, si literæ leviter
transponas. Qui eum Decium Carinum nominarunt, affixerunt quo-
que conjugem Flaviam Faustinam: filium Æmilium, & plura addidere,
quæ supersedeo referre, cum ab omni veritate sint aliena. Quo nomine
autem tandem sit cognitus, non magna sui monumenta reliquit, si vitæ
rationem & mores spectes, quos per omnem vitam præ se tulit. Quod
ut erat indignissimum Viro Principe, ita Senatus Romanus, cujus curæ
a Patre, meditari proficisci in Orientem, commissus fuerat, non desti-
tit eum orare & obsecrare, ut vitæ rationem mutaret, & tandem absiste-
ret turpissimis cupiditatibus sese involvere, neque a laudatissimo Patre
ita degeneraret, ut Romano nomini apud exterarum gentes inde grave de-
decus inureretur. Frustra, nam non modo Senatus consilium non obtempe-
ravit, sed literas rescripsit, in quibus superbe respondebat, omnia sana
monita contemnens aut eludens. Ut mirum non sit labem hanc totis vi-
ribus transiisse in aulam, quam habebat omnium corruptissimam. Sic
quoque mirum non fuit vitam ejus fuisse brevem & mortem crudelē.



JUSTINVS (a) I. seu SEN.



LOTICH IUS.

Immunda (mirum!) JUSTINVS tractus ab hara
 Romuleæ Cæsar fert diadema plagæ.
 Imperium multa sapiens dum laude gubernat,
 Multa laude suos terminat ecce! dies.

HOFMANNUS.

*Cura suum mihi prima, boum mox altera, ligni
 Tertia, militia (b) sed mihi quarta fuit.
 Ultima restabat sceptri (c), quod Numine nactus
 Dante rudis (d), gessi non sine laude (e) tamen (f).*

ENARRATIO.

I Hrax (a) gente, (b) mira fortunæ commutatione, subul-
 cus, bubulcus, lignarii minister, miles, & sub Anasta-
 sio excubiarum Præfectus, (c) hoc defuncto, pecunia ab
 Amantio Eun. pro Theocritiano accepta, Imperium sibi
 acquisivit, ann. C. 518. (d) ἀναλφάβητος enim fuisse per-
 hibetur. (e) Vitalianum iterum turbantem interemit, ann. 520. Zelio-
 bem Hunnorum Reg. infidum contra Persas socium expertus, perfidiæ ul-

torem Cabadem habuit, ann. 523. Hæreticos expulit, ann. 524. Justinianoque successore designato obiit, ann. C. 527. Imp. 9. primus Imperatorum, qui, a Pontifice Rom. insignibus Augustalibus est redimitus, Aimoinus *lib. 2. cap. 1.* Evagrius *lib. 4. cap. 3. & seqq.* Jornandes *de regn. success. lib. 1. cap. 110.* Procopius *arcan. Histor.* Marcellinus, Victor Tun. Theophanes, Zonaras, Nicephorus, alii. (f) Sub eo, Theodoricus in Italia morosior factus, Justinum in Arianos quoque acrem, idem in Italia orthodoxis minatus, terruit, ann. 525. Joannem P. quod eum coronasset, in vincula conjecit, Symmachumque & Boetium, viros præstantissimos occidit, ann. 526. sed tribus post mensibus capite piscis, quasi Symmachi esset, territus, in morbum incidit, extinctusque Athalaricum, ex fil. Amalasventa, magni animi foemina, nepotem successorem habuit. Procopius *Histor. Goth. lib. 1. capp. 1. & 2.* Jornandes *de rebus Get. cap. 58.* alii. In Gallia & Hispania Gothorum Rex Amalaricus fit, ab eodem adjutus, etiam ann. 526. In Francia, Clodovei filii I V. Childebertus, Clotarius I. Theodoricus & Clodomirus, in totidem regna hæreditatem paternam dividunt, atque tum primum Austrasiæ regnum sub Theodorico cœpit, ann. 511. Gregorius Turon. *lib. 3.* In Ecclesia, Justinus Chalcedonensis Concilii assertor Eutychianos aliosque hæreticos expulit, exulesque orthodoxos revocavit, statim sub initia Imperii. Manichæi ab eodem exturbati, ann. 524. & a Cabade Persa, cujus filium seduxerant, internecione deleti sunt, ann. 526. Romæ, post Hormisdam Joannes I. præfatus, ac post hunc Felix I V. præfuit, ann. 526. Platina *Vitis Pontif.* Lazorum & Childerici Vandal. Reg. (Valentiniani III. ex fil. Eudoxia nepotis) conversione crevit Ecclesia, circa ann. 522. Paul. Diaconus *lib. 15.*

Additamenta HENR. CHR. HENNIN I.

D. N. Caesar Fl. Anicius Justinus P. F. Aug. P. P. Victor ac Triumphator semper Aug. Pont. Max. Franc. Max. Goth. Max. Vandalic. Max. Cos. (III.) TR. P. (VIII.) Imp. (V.) P. P. P. ut in Nummis & Inscr. appellatur apud Goltz. *Th. Ant. p. 85.* Occon. *p. 581.* natus circa A. U. C. 1203. Bederinæ in limitaneis Illyriæ Thraciæque agris, hinc Thrax Euagr. *iv. 1.* Phol. *Cod. 42.* Chron. Alex. at aliis, ut Procopio & Vict. Tunun. *Illyricianus.* Parentes Ejus ignorantur. obscurum illi & sordidum genus, quamvis superioris ævi Principes secutus illustre Anicii nomen adsciverit. Gens Anicia enim erat *Principibus pene par,* Cassiod. *Var. x. ii.* prima omnium nobilium amplexa fidem Christianam, ut fertur, si credimus Prudent. *lib. 1. advers. Symm. circa fin.* sed male hinc Bert. *præf. in Boëth. de Consol.* Aliique, claræ isti stirpi Justinum inserunt; forsitan per adoptionem in Aniciorum domum transierit. omina, somnia, revelationes de futuro Imperatore Justinus referunt Zonar. *T. iii. p. 47.* Anonym. *Vales. p. 483.* Factus est Imp. legitime a Senatu, Marcellin. *in Chron.* & ab Exercitu, ut ipse scribit ad Hormisdam Papam ap. Baron. *an. 518. n. 67.* Alii contra referunt, Eum per vim sese Imp. fecisse, Euagr. *iv. 2.* Adeo amoris aut odii causis infecta est horum temporum historia! Fuit acerrimus propugnator Concilii Chalcedonensis, exules orthodoxos restituit; Acta Sabæ ap. Sur. *T. vi. d. 5.* Decembr. Hæreticos (en jam dominantem Persecutionis spiritum!) contra pepulit, facultatibus exuit, occidit. vide *l. 12. C.*

de Heret. & Manich. scilicet, quia hi sub Anastasio in Orthodoxos sævierant, V. Acta Synod. CPT. contra Anthym. Tantæ sunt impotenter dominantis Cleri iræ! Vitalianus fraudulentis blanditiis & Tiberiana simulatione e medio sublatus est a Justino, merito forsitan, sed more Tyrannico. Euagr. *iv. 3.* Ejus apologiam contra Procop. *H. A.* adornavit Rupert. *ad Befold. c. 15. p. 504-514.* ubi potuisset Vitaliani cædem, cum Theophane, orto repente populi tumultui, vel factioni Justiniani Patricii, cum Vict. Tunun. adscribere. Imperante Eo magna clades Antiochiam afflixit, quæ anno Christi 526. U. C. 1279. *xxix.* Maji, terræ motu & vehementi incendio pane omnis est eversa. Vide Euagr. *iv. 5.* Niceph. *xvii. 4.* Theophan. qui Imperatoris, luctum hinc fere Niniviticum & liberalitatem erga miseros narrant. Uxor illi fuit I. Lupicina, deinde mutato nomine Fl. Euphemia Aug. dicta: II. Theodora; utraque sterilis. unde Sororis F. Justinianum adoptavit, quem prius Nobilissimum, deinde Cæsarem A. C. 524. U. C. 1277. ad Procop. *H. A.* Alemann. *p. 42.* tandem Kal. Apr. A. C. 527. U. C. 1280. Imperatorem fecit; atque ipse mox eodem anno Kal. Aug. mortuus est ex recrudescente vulnere & ulcere pedis quod olim in pugna acceperat, cum vixerat ann. 77. imperarat an. 9. mens. 1. dies 3. Vide Aleman. *in Procop. p. 44.* Chron. Alex. adde laudatis Nummos Begeri *Th. Br. T. ii. p. 850.* 851. ex Recent. optimi hic Petav. Cluver. & Rupert.

JUSTINIANVS (a) I.
V. IMPERATORES ROMANI,
POST IMPERIUM INSTAVRATVM.



LOTICHIVS.

Imperii veneranda probus fert sceptrā superbi
Cæsar ab Illyrica JUSTINIANVS humo.
Ille sacros canones, & jura salubria fundans,
Mentis inops tandem debuit ecce! mori.

HOFMANNUS.

Attrivi Persas (b), Venedos (c), Gotthosque (d) feroces,
Composui Leges (e) furaque sancta dedi.
Afferui Verum (f), CHRISTO mea sceptrā sacravi (g),
Cujus jam demum nobilis æra (h) fuit (i).

ENARRATIO.



Um hætenus Romano Imperio magna pars avulsa esset, restauratum dicimus, non quod omnia recepta, sed quod Italia iterum Barbari pulsi. (a) Justini I. sorore Bigleniza, & patre Sabbatio genitus, consensu Senatus militumque Imperator est pronuntiatus, ann. C. 527. (b) Belisario, Mundo, Narsete ducibus, Cabadem Persarum Reg. & filium ejus

ejus Cosroem, ann. 529. 531. 541. & 555. Bulgaros, ann. 530. & Hypatium Anticæsarem vicit, ann. 531. (c) Gilimere (qui fratrem Childericum interemit) superato ac triumphato, Vandalorum in Africa regno finem imposuit, ann. 533. (d) uti & Gothico, in Italia, post Vitigem a Belisario, & Totilam Tejamque a Narsete debellatos, ann. 540. & 553. Sclavos oppressit, ann. 551. & Hunnos ann. 559. CPolim vero ornavit, ann. 557. (e) Idem Jus vetus per immensa volumina sparsum, opera Triboniani & aliorum Jurecoss. contraxit: *Codicemque Juris promulgavit*, ann. 529. *Institutiones & Digesta* ann. 533. ac tria instituit Juris Gymnasia, Romæ, CPoli & Beryti. (f) Vid. paulo post. (g) Globo crucigero pro Imperii insigni primus usus, Imperium a CHRISTO se habere sic indigitare voluit. (h) Dionysius exiguus tunc primum Cyclum Paschalem scripsit condiditque *Æram a Nato Christo*, ann. 532. (i) Obiit ann. C. 565. Imp. 38. mens. 7. felix, nisi paulo ante obitum Severitarum in sectam incidisset, Procopius in *in arcan. Histor. & de bello Pers. lib. 1.* item *Histor. Wandal. & Goth. lib. 1. 2.* Jornandes *de regn. success. & reb. Geticis*, Paul. Diaconus, Evagrius, Agathias, Nicephorus, alii. Sub eo, Samaritæ, & Judæi novum Regem elegerunt, Julianum, sed domitum, ann. 529. Franci, Thuringis & Saxonibus domitis, in Hispania infelices fuere, ann. 532. Dani Frisiam, Frisii contra Richoldo Rege Daniam vastarunt, ann. 548. Zecho duce Sclavi Poloniam occuparunt, ann. 560. Mart. Cromerus *Histor. Polon. lib. 1.* Sericum ex India duo Monachi attulere. Nicephorus *lib. 17. cap. 32.* In Ecclesia festum Ὁ παναγίας institutum, ann. 542. & *Synodus Oecum. V.* CPoli II. *de tribus Capitulis*, i. tribus Nestorianis, celebrata est, ann. 553. Evagrius *lib. 4. cap. 37.* Romæ Felici succedere Bonifacius II. ann. 530. Joannes II. 531. Agapetus, 535. Sylverius, 536. Pelagius I. ann. 555. Joannes III. ann. 560. Ordinis vero Benedictini initia circa ann. 530. ducta, Cassiodorus *Chron.*

Additamenta HENR. CHR. HENNIN I.

JUSTINIANI Mater Latiniore nomine dicebatur *Vigilantia*. Patria illi fuit *Taurisum*, Illyrici oppidum, teste Procopio, quod postea dictum *Quadraturrisa*. juxta hanc Justinianus denique condidit urbem nobilissimam *Justinianam primam*, quæ alias etiam *Achridus*. juxta *Taurisum* etiam erat *Bederina* præsidium. hinc Agathias *Bederinam*, Nicephorus *Achridum* Justiniani patriam ajunt. natus est v. Id. Maj. A. U. C. 1236. A popularibus Illyriis nominabatur primum *Upranda*, teste Theophilo *in vit. Justin.* deinde in Imperio dictus est, testibus Nummis, *D. N. Fl. Justinianus Perp. P. F. Aug.* scilicet adoptivo ab Avunculo *Justinino* nomine. Uxor illi fuit *Fl. Theodora Aug.* olim Scenica, cui satis & plus justo obnoxius fuit. hæc, antequam Justiniano nuberet, *Arabem* quendam in matrimonio habuit, & ex eo *F. Johannem*. Procop. *A. H. p. 76.* Justiniano quoque prius alia Uxor fuisse videtur, ex qua sustulit *F. Theodorum Tzirum*, cujus meminit Theophan. apud Phot. *cod. 64. ex Theodora* sustulit unicam Filiam, cujus nomen incompertum, ex qua natus *Anastusius*, *Johannina* maritus, *Belisarii* & *Antonina* gener. Justinianus vero Imp. habet suos laudatores, habet etiam acerrimos Censores, tam veteres, quam recentiores. Si verum sine fuce amamus, habuit mixturam virtutum & vitiorum. Inter virtutes elucescit instauratum per Occidentem & Africam Imperium; Urbes conditæ; traducti ad Christiana Sacra Heruli, Hunni, Axumitæ, Abisagi, Tzani, Blemmyæ, Nabathæi, Mauri; ab Arianismo ad Orthodoxiam, Suevi; Juris Romani Pandectæ, Codex, Novellæ,

publicatæ. Inter vitia merito numeres: Nimiam *Ædificationum* & profusionum, sub specie Liberalitatis Augustæ, cupidinem, qua infinitis egens pecuniis, multos facultatibus spoliavit, & stipendia liberalium disciplinarum Magistris olim constituta, in omnibus Urbibus sustulit, quas proinde vacantibus literarum ludis, rusticitas barbariesque implevit. Controversiis Episcoporum se imprudenter immiscuit; dogmata fidei imperiali auctoritate aliis obtrudit, Hæreticos bonis, honoribus, vita, patria spolians. Obiit Aphthartodocismi & Eutychianismi errore, per Uxorem Theodoram (quæ obiit 22. Jun. A. U. C. 1298.) imbutus (si Niceph. xv 11. 31. credimus, sub extrema respuit.) 14. Nov. A. U. C. 1318. æt. 82. Sub Eo defierunt numerari Coss. Sed vide omnino Procopii opera, maxime *Anecdota cum notis Alemanni*, & huic contrarium, qui eundem edidit *cum notis*, Joh. Eicheliū, Justiniani defensorem: Origg. CPtan. Thomæ Rivii *Defens. Justiniani adv. Alemann.* Joh. Chifflet. *Apologet. Diss. de Juris Archiepis*, c. 1. 2. & 4. Gaudent. Paganin. *de moribus Seculi Justiniani*; Rupert. ad Besold. c. 15. p. 514-580. ubi quoque adversus Procopium insurgit. Boxhorn. *H. U. p. 374-394.* Ant. Matthæi, Nepotis, *Comment. ad proem. Instit. Jur.* Petav. R. T. P. I. vi 1. 5-8. Baron. *in annis hujus Imp.* Cluver. & Pomp. Latum in *Justinian.* Giphani. *Comment. de Justinian.* Richteri *Orat. de Justiniano*: Dionysii Gothofredi *Historiam Juris Romani*: qui argumentum hoc exhauserunt ex ipsius fontibus.

M. AURELIUS NUMERIANUS.



TE MARCE GRATA FAMA TOLLIT AD COELUM
DEXTRA POTENTEM MARTIA, ATQUE PRÆCLARUM
CULTU SORORUM TER TRIUM, ET DEI PINDI
HIS FRETUS, ASTRIS INSERIS TUUM PATREM,
MONTEMQUE VINCIS, QUÆ TIBI NOCET FRUSTRA.

ENARRATIO

NUMERIANUS a Patre Caro Imperatore Romano, antequam in Orientem moveret, in imperii societatem adscitus, in Gallia Narbonensi natus est incerto die & anno. Mater ejus fuit ignota. Ut de Patre, ita & de fratre ejus jam sumus locuti. Uxorem habuit Arriam, Arrii Apri filiam. Erat hic Imperator apud Romanos in magno pretio ob excellentes animi dotes, ætatis suæ longe formosissimus, & Patri fortitudine simillimus. Elucebat in eo imprimis ars dicendi, qua supra alios omnes valuit. Et hujus eloquentiæ ergo jussu Senatus ei statua posita est in Bibliotheca Trajana, cum hac Inscriptione: NUMERIANO. CÆSARI. ORATORI TEMPORIBUS. SUIS. POTENTISSIMO. Nec minus clarus erat arte poëtica, in qua jam a primis annis se exercuerat, & nobilis inter alios habitus erat; adeo ut imaginem quandam Virgilii Maronis Latinorum poëtarum principis præ se ferret. Quare & Patris sui itinera, bella, expeditiones, & victorias eximiis versibus heroïcis executus est. Hæc studia tamen virtutem bel-

licam non minuebant in eo, sed incendebant. Egregia enim præclaræ indolis præbuit specimina, cum Pater adversus Sarmatas proficisceretur: nec minora certe in bello Persico, ubi præclaro fuit exemplo militibus, quos ducebat. ~~etiam ob id in modum tractatus est.~~ De-
functo ~~Imperatoris~~ Imperatoris ad eum ~~venit~~ exercitus, cum dignior ~~nosceret neminem.~~ Clarus enim propter nobilitatem, optimus ~~eruditionem,~~ eruditionem, & alia naturæ ~~bona~~ etiam apud externos ferebatur. Sed cum mortem parentis, quem summa semper pietate coluerat, ~~sine ulla intermissione~~ dedisset, ut oculos assiduo ploratu affligeret, coactus est gestari lectica. Quare cum Victor rediens a bello Persico, postquam Persæ cum Romanis pacem composuissent, ea ferretur, in animo habens cum triumphanti exercitu Romam reverti, arripuit hanc occasionem Socer ejus Aper, qui jamdudum invadendi Imperii desiderio arserat. Concepta itaque apud se cæde Imperatoris, arridere sibi Fortunam credens, faciles sibi aditus invenit ad tam fœdum facinus perpetrandum. Cum enim Socer esset Imperatoris, & Præfectus simul pratorii, non poterat non crebro cum eo esse, ut corporis ejus custodiendi curam quoque gerens. Nec quisquam in tanta dignitate positum, tantaque ~~adfinitate~~ Duci conjunctum, arcere ab lectica poterat, qua Princeps ~~rehebatur.~~ Neque diu moratus est. Facinus commissum aliquot dies occultatum est. Sed fœtor cadaveris per calorem æstivum, qui in istis oris intensus est, brevi scelus prodidit. Neque tamen Aper voti sui factus est compos. Namque incensus ira exercitus Diocletianum statim Imperatorem proclamavit, qui in concione juravit, se cædis Numeriani conscium non esse. Quare etiam ut verbis suis fidem faceret, Aprum auctorem cædis statim occidit. Atque ita expletum est oraculi vaticinium, quod prædixerat, cum imperaturum, si Aprum occidisset. Talem habuit exitum vitæ hic infelix Imperator, mortuus anno 284 post Christum natum, post breve imperium, cui cum Patre & fratre præfuerat. Videantur super his Vopiscus, Eutropius, Victor. In Nummis ejus apparet ORIENS AUGG. & MARS VICTOR. quibus titulis innuuntur Victoriæ, quas cum Patre de Sarmatis & Persis egit. His temporibus vixisse scribuntur in Ecclesia Eutychianus & Cajus, Episcopi Romani, & Babylas Episcopus Antiochenus, pro fide interemptus, cum jam senex esset octuagenarius.



JUSTINVS (a) II. seu JUN.



LOTICHIUS.

CHRISTE, tuum rabido dedignans pectore verbum,
 Hius JUSTINVS nominis ALTER erat.
 Hinc minus imperio condignis moribus aptus,
 Mentis inops fertur mortuus esse simul.

HOFMANNUS.

*Quæ clarus quondam construxit avunculus, illa
 Destruere (b), & penitus perdere natus eram.
 Narsete (c) amoto, simul Exarchisque (d) creatis,
 Mox Langobardis (e) nil nisi præda fui (f).*

ENARRATIO.

Justiniani (a), e sorore Vigilantia, Dulcissimo Thraci nupta nepos avunculo successit, ann. C. 565. (b) quod morbo effecit corpore deditoque lasciviæ, vecordia sua tantum pene afflixit Imperium, quantum Justinianus illud erexerat. (c) Narsetem Italiæ liberatorem, a Romanis nimii rigoris accusatum, exauctoravit, qui insuper contumelia Sophiæ Aug. ad colum & pensum revocatus, telam se texturum respondit, quam ne-

neque ipsa neque maritus ejus retexturi essent. Alboinum itaque Langobardorum Reg. e Pannonia excivit, qui Galliam Cisalpinam primo impetu cepit, eique *Langobardiae* nomen indidit, ann. 568. (d) Loco Narsetis Longinum Patricium submisit Justinus, qui primus Ravennae *Exarchus* fuit, ann. 567. quo Narses amotus fuerat. (e) de quibus modo. (f) Post hæc patrocinium Armeniæ & Iberiæ infelicitet suscepit, contra Cosroem. I. & filium ejus Hormisdam II. ann. 572. Obiit ann. C. 579. Imp. 13. *melior auri custos quam Imperii, meliorque monitor, quam Imperator:* Justitia tamen CPoli primis statim administrationis annis restituta egregiam laudem adeptus. Zonaras *Tom. 3.* Paul. Diaconus *Histor. Miscell. lib. 16, cap. 29. & seqq.* Evagrius *lib. 5. capp. 9. 10.* Victor Tun. *Chron.* Cedrenus, Theophanes, Nicephorus, alii. Ejus tempore, in Francia, Chramnum fil. rebellem captum cum uxore & filiabus, cremavit Clotarius I. ann. 562. *Ecclesia*, sub Justino orthodoxiæ tenace, bene habet, & accessione Pictorum, quos Columbanus convertit, circa ann. 580. lætatur. Non tamen persecutores defuerunt, præter Cosroem prædictum, Mammucha Saracenorum regulus, Pharaoni & sævitia & exitio simillimus, circa ann. 566. ut & Chramnus, de quo modo. Romæ, Pelagii successor Joannes nihil non egit, ut Langobardos ab Italia averteret, sed frustra, quare Episcopi Italici, *vasa sacra, ne a Barbaris raperentur, conflata in usum pauperum distribuere*, circa ann. 570. Eum excepit Benedictus I. ann. 573. hunc Pelagius II. ann. 577. Platina *Vitis Pontif.* At ex Africa in Hispaniam Donatus Mon. Monachatum intulit, ann. 565. Pantal. *Chron.*

Additamenta H E N R. C H R. H E N N I N I.

FL. J U S T I N U S Junior Justiniani ex Sorore (non Filio, ut male multi;) Nepos natus est CPLi anno incerto. Fuit antea Curopalates, sive Præfectus Prætorianorum, quæ erat summa Aulæ CPTanæ dignitas, par PF. PR. Vide Aleman. *ad Procop. H. A. p. 17.* Uxor illi fuit *Fl. Sophia Aug.* magni animi & imperiosa femina; quam Constant. Porphyrog. *de admin. Imp. c. 28.* vocat *Irenen*, qui paullo aliter narrat Narsetis irritationem. Hæc *Sophia* erat Theodoræ Augustæ neptis, sed non ex Justiniano. vide Coripp. *de laudib. Justiniani Jun.* & Vict. Tun. *in Chron.* forsitan ex F. Johanne, quem priori marito *Arabi* sive *Arabio* pepererat. ex *Sophia* autem Justinus Junior genuit *Justinum*, qui ante imperium Patris obiit, & *Arrabam*, sive *Arabiam*, ab Avo materno forte ita dictam, quæ nupsit *Patuario* Curopalatæ, ex eo mater *Helena*. Videndi Theophan. *Antiqq. CPTanæ*, Aleman. *ad Procop. H. A. p. 68.* successit Avunculo statim post ejus obitum 15. Nov. A. U. C. 1318. Urbem regiam ædificiis, Templis donis exornavit, a bellicis rebus alienior, legum ac Justitiæ amans fuit. vide exemplum apud Cedren. *p. 319.* postremis Imperii annis ad vecordiam & segnitiam degeneravit. Sacerdotia vendidit. Pacem cum Avaribus pactam, haud

tempestive satis, negata annua pensione an. Chr. 566. solvit: ut & Persicam longe majori Reip. damno, cum bellum honesta de causa an. Chr. 572. susceptum imprudenter & ignave gessit. A. Chr. 574. 7. Sept. Tiberium Comitum Excubitorum renunciavit Cæsarem, qui deinde Imperium administravit, cum Justinus accepta in Oriente clade in phrenitin incidisset, qua commotus Cosroës Sophiæ petenti triennales concessit inducias. Post victum & castris exutum Cosroëm an. Chr. 576. Justinus ingravescente morbo 26. Sept. an. 578. Tiberium creavit Augustum. *Exarchos* primus instituit Justinus, sub quibus *Ravenna*, sedes Exarchi, (sive Vicarii Imp. in Italia:) *Roma*, *Spoleum*, *Neapolis*, *Beneventum*, quæ singulæ suos Duces habebant. Cætera enim occupant Langobardi. Vide Petr. de Marca *Conc. Sac. & Regn. III. 10. n. 4.* Scalig. *Can. Isag. p. 169.* Obiit ex dolore pedum 4. Octobr. an. Chr. 578. *Ubbó Emm.* *in Chron. Rer. Rom. p. m. 92.* Justino II. dat 17. annos Imperii, & obitum refert ad an. Chr. 582. U. C. 1335. Adde laudatis Chron. Alex. Dempster. & Conr. Rittershus. *in Not. ad Coripp.* Eryc. Putean. *Hist. Insubr. lib. II.* Sigon. *de Regno Ital. l. 1.* Petav. Cluver. & Rupert. *in hoc Imp.*

M. AURELIUS VALERIUS MAXIMIANUS HERCULEUS.



MAVORTE CLARUS, FORTIS HERCULIS RITU
IVISTI IN AFROS LAUREA COMAS CINCTUS.
SED NOMEN ISTUD GRANDE POLLUIS FOEDO,
QUO CHRISTIANOS PERSECUTUS ES, BELLO.


E N A R R A T I O.

HIC genere fuit Pannonius, apud Sirmium ortus, semiagrestis quidem militia, ut de eo loquitur Sextus Aurelius Victor, sed tamen ingenio bonus. Nomen erat Valerius Maximianus: cognomen, Herculeus, quod a Diocletiano ipsi impositum est. Uxorem habuit Eutropiam. Ex ea suscepit filium Maxentium, qui postea Imperator factus, & filiam nomine Faustam, quam Constantio Chloro in matrimonium elocavit. A Diocletiano Cæsar est creatus, postea vero Augustus ab eodem appellatus; uti in historia Diocletiani diximus. Imperii administratio infelix. namque sævus & truculentus in omni vita fuit, ingenii immanitatem vultus quoque torvitate professus. Quare non modo Diocletiano promte semper in tristioribus obsequebatur, sed ultro & suoapte ingenio ita crudelis erat, ut ab illo mitigandus etiam, atque ad moderationem revocandus fuerit. Ut paucis absolvam, extitit vere pestis, clades, perniciēs, furia, & quicquid umquam dici potest in immanem & crudelem tyrannum. Cum Imperium esset depositurus, Constantium Mediolani Augustum creavit; sicut Diocletianus Nicomediæ Galerium.

Q *

In

In Imperio multa bella gessit. In Gallia oppressit Bagaudas. In Africa Quinquagenarios in ordinem redegit, seditionemque illorum sic repressit, ut pacem illos vix tandem impetrare sineret. Germanos, Burgundiones, & Alemannos in Gallias irrumperentes, omnia caede, rapinis, vastationibus & incendiis miscens interclusit: adeo ut ad angustias redacti cum fame & peste confictari ceperint, iisque cladibus eos absumi Maximianus passus est. Germanos, postquam Rhenum glacie concretum jam transiissent, & Gallias vastare incepissent, repulit, & paulo post ponte in Rheno facto, usque ad Danubii fontes Germaniam vastavit. In isto rerum successu acerrimus Christianorum persecutor fuit, nihil cedens Diocletiano, de quo antea sumus locuti. Quemadmodum enim Diocletianus in Oriente, ita hic in Occidente vastavit Ecclesias, & afflixit interfecitque Christianos, templa eorum incendit, innocentes proscripsit, & martyres occidit. Neque hac saevitia terruit populum Dei. Siquidem certatim in gloriosa certamina ruebatur, multoque avidius tum martyria gloriosis mortibus quærebantur, quam nunc episcopatus pravis ambitionibus appetuntur, ut Sulpicius Severus ait in descriptione horum temporum. Perit simili strage tunc inter alios Mauritius Legionis militum Thebanorum tribunus. Nam cum neque ille, neque milites sui vellent jurare per aras Deorum præsentis, totam legionem jugulari præcepit. Cum ita viveret Maximianus, & jam annos octodecim imperasset, in suu Diocletiani Imperium deposuit. cuius consilii eum postea poenituit. Quare in urbem Romam se contulit, simulans se filio Maxentio ad gubernacula auxilio fore. Inde tumultus ortus, indignantibus militibus hæc ab illo tentari. Tamen hunc tumultum suppressit, cum diceret, se hoc figmento experiri voluisse, an milites Maxentium amarent. Inde profectus ad Constantinum generum suum in Gallias, cui clanculum insidias struxit. Sed res aperta est viro per Faustam uxorem, quæ mariti salutem tueri, quam Patris scelus tegere maluit. Persecutus est igitur Maximianum Constantius, & captum Massiliæ strangulari iussit. Cadaver ejus Mediolani sepultum est. Sic ille, cum factis nobilis esse potuisset, bellicam gloriam immani saevitia turpique morte, quæ ex merito eum consecuta est, maculavit. Hæc fere sunt, quæ Scriptores de eo testantur. Symbolum ejus fuisse dicitur: MELIUS MORI, QUAM SIBI VIVERE.



TIBERIUS (a) II.



LOTICHIUS.

TIBERIVS, patria Thrax, miti mente, SECUNDVS,
 Eximiis Cæsar dotibus auctus erat.
 Ejus sensit inops largas in munere dextras,
 Hinc lethum fato sensit & ipse bono.

HOFMANNUS.

Lenis, munificus, justus, felixque, sodalis (b)
Damna utcunque, Deo vindice, sarta dedi.
Inprimis solus (c) cum sceptrum capeffere cæpi,
Atque inopis solers agminis (d) esse pater (e).

ENARRATIO.

EXcubitorum (a) Comes, sub Justino II. (b) Justini, qui de consilio Sophiæ eum in consortium asciverat, aliquot ante obitum annis, monens eum publice, ut Deum rite coleret, subditis bene præesset, oppressis ferret opem, militum avaritiam coërceret, purpura non intumesceret, divites securos præstaret, nihil habentibus daret, Nicephor. lib. 17. cap. 39. (c) quod factum, ann. C. 579. Post Cosroem itaque fastuosum per Justinia-

stinianum ducem devictum, *Ignemque Persarum Deum* captum, ann. 576. & 580. Hormisdam dein fil. Cosrois coërcitum 581. Mauritium ducem egregium mancipiorum, quos, ex Hunnis aliisque Europæis emtos atque ad militiam instructos, contra Persas miserat, re feliciter gesta reducem, Cæsarem designavit generumque legit, data ei Constantina fil. ann. eod. (d) Increpante largitatem ejus Sophia Aug. *non defuturam dixit fisco pecuniam, quoad ipse in cælo thesauros colligeret, egenorum fovendo defectus.* Certe locupletissimos mox thesauros, non Narsetis solum, a sene indicatos, sed & in palatio sub lapide cruce signato, reperit. (e) Decessit e præcocium mororum esu tabe contracta, anno C. 583. Imp. 4. Evagrius *lib. 5. cap. 14.* Simocatta *lib. 13. & 14.* Theophanes *ad ann. C. 573.* Paul. Diaconus *ad Eutropium lib. 18. & Histor. Miscell. lib. 17. cap. 5.* Joh. Biclari. *Chron.* Zonaras, Cedrenus, Alii. Ejus tempore in Italia Latine loqui desitum. Ibidem Langobardorum Dux Arechis Beneventum occupavit, *Principisque* titulum primus sumpsit, ann. 582. In *Ecclesia*, Pelagius Gregorium Diac. ablegavit ad Tiberium, consecrationem inscio Imperatore, in Urbe a Langobardis obfessa, factam purgaturum, ann. 581. Aimoinus *lib. 3. cap. 38.* P. Warnefridus *Langobard. lib. 3. cap. 13.* & Sigebertus *ad h. ann.* Idem Joanni Jejun. *Universalem Episcopum* se dicenti restitit, ac titulum illum nulli Episcopo convenire docuit, ann. sequente, Mornæus *Mysterio Iniq.*

Additamenta HENR. CHR. HENNIN I.

DN. Tiberius Constantinus Perp. P. F. Aug. ut vocatur in Nummis ap. Goltz. *Th. Ant. p. 86.* Occon. *p. 584.* patriam habuit Thraciam; sed locus ipse ac dies annusque Natalis, ac Parentes hæcenus ignorantur. Uxor illi fuit *Fl. Anastasia Aug.* & ex ea filia ante Imperium suscepta, *Charito* nupta Germano Duci, qui a Tiberio Cæsar factus ante eum obiit, ut & parvulus Germani filius: & *Constantina*, sive *Constantia*, Mauritio Successori Ejus in matrimonium data. Tiberius autem cum Uxore coronatus est a Patriarcha Cptano Eutychio. fuit antea Curopalates, quæ dignitas eo usque crevit, ut proximus ad Imperii fastigium gradus esset. Cæsar factus a Justino, ut dictum, 7. Sept. teste Chron. Alex. vel 7. Decemb. Theophyl. Simoc. III. 11. an. Chr. 574. imperavit cum Justino annos 3. mens. 11. Euagrius vero v. 16. minus recte ait, Justinum imperasse solum annos 12. mens. 10. dies 15. deinde addit junctos illos Tiberii, ut sint in universum anni 17. mens. 9. cum dimidio, quam computationem tamen vidimus Emmio placuisse. sed eam falsam ostendit Inscr. *p. 107. Roma Subterr.* in qua annus Justiniani XII. cum Tiberii Constantini anno 111. conjungitur. Quæ de Sophiæ Augustæ amore in odium Tiberii verso ob negatas Ejus nuptias, quia scilicet ignorasset Ei uxorem esse, feruntur, meræ sunt fabulæ. Vera causa fuit ambitio imperiosæ Sophiæ, quæ, ut Justinianum Justini Nepotem, uti ait Diaconus, Imp. faceret, ipso coronationis die, & dein Vindemiæ feriis rusticante & absente Imp. Ti-

berio occulte paravit insidias, quas ille prudenter declinans, eam spoliata Theauris, appositis aliis sibi-que Tiberio fidis ministris, sepositis vero Sophiæ obnoxiiis, jussit ex aula migrare in Regiam Sophiæ cognominem, attributo tamen, tanquam matri, regio comitatu & victu. imo & Ejus usus est consilio in adsciscendo Mauritio genero. Inter opera publica excellunt balnea Blachernarum, instauratæ multæ ædes sacræ & publicæ, Xenodochia, Gerontocomia. Inter Acta eminet instituta *Militia Tiberiana* sive Exercitus xv. Millium, P. Diacon. (at Zonar. xii. M.) robustorum juvenum coëmtorum ex variis gentibus. Cosroës a Mauritio horum Duce an. Chr. 582. est fugatus in Araxianis campis, recepta Mesopotamia, Agath. *lib. 1v. in fin.* Tiberius versus Occidentem minus felix fuit. Omnes alias Historici eum a lenitate, justitia, munificentia, pietate & reliquis Imperatore dignis virtutibus enixe prædicant. Mauritio Successori Filiam & Imperium tradens & gratulans eundem monuit, *semper memor esset, ut æquitate & justitia delectaretur: &: Sceptrum non immoderate potestatis, sed splendida potius servitutis insigne habendum.* Obiit 14. Aug. an. Chr. 582. Imp. an. 3. mens. 10. (Zonar. a. 4. m. 10. d. 8. at P. Diacon. a. 6. m. 10. d. 8. quæ aliquo modo conciliari possunt, si respiciamus Cæsaream Tiberii sub Justino administrationem; item sub finem, ipsius cum Justino Imperii societatem.) Adde laudatis *Vit. S. Eutych.* ex Recc. Pomp. Lætum & Cluver. in *Tiberio II.*

MAVRITIVS (a) CAPPADOX.



L O T I C H I U S.

Masculus imperio succedit, & inclytus heros
 MAVRITIVS, sceptris non minor ipse suis.
 Qui dum magnanimis regimen commendat ab ausis,
 Hei mihi! tela PHOCÆ per scelerata perit.

H O F M A N N U S.

*Collega solus defuncto (b), maxima bella
 Cum Persis (c) gessi, militibusque (d) meis.
 Queis ego succubui, nimium cum parcus (e) haberer,
 Et caput (f), ac totum concidit ense genus (g).*

E N A R R A T I O.

VIr (a) strenuus, gravis, calumniarum contemptor, temperans, ingeniosus. (b) focero Tiberio, a quo collegam adscitum diximus, solus imperare cœpit, ann. 583. (c) Sub Hormisdæ Rege quem vicit, ann. 591. atque a filio ejus Cosroe, qui ob parricidium a suis pulsus, a Mauritio vero restitutus erat, æternam pacem pro beneficio retulit, ann. 592. Avaros dein prostravit, ann. 593. & Slavos, ann. 595. opera fidei usus, Prisci & Commentioli Ducum. (d) His enim, quod

quod stipendii partes armis & veste sibi persolvi abnuerent, succensens, 12. mill. eorum a Cagano Avarum Reg. capi permisit: (e) quos cum redimere noller, reliquus etiam exercitus parcius & rigidius haberetur, Phocæ insuper centurioni, nomine militum, de injuria expostulanti, colaphos infligi & barbam evelli jussisset: hic ab exercitu Imperator proclamatus, (f) Mauritium, *Iustus es Domine & judicia tua iusta sunt*, exclamantem, (g) cum quinque filiis, gladio percussit Chalcedone, ann. C. 602. Imp. 20. Constantina Aug. cum 3. filiabus quinquennio post, similiter trucidatis. Evagrius *lib. 6. capp. 4. & 14.* Simocatta *lib. 8. capp. 10. 11.* Zonaras & Cedrenus *Mauritio & Phoca*, Nicephorus *lib. 18. capp. 20. & 37.* alii. Ejus tempore, in Hispania, Gothorum regno finem imposuit, totaque Gallia Narbonensi potitus est, Leovigildus Liubæ frater, ann. 584. dum Arianismo favet, in filium Hermenigildum sævus, *eod.* Suevorum dein regnum Andecane Reg. capto, in eadem similiter delevit, ann. 585. Filius vero ejus Recaredus, Francorum victor ann. 586. *Catholici* nomen meruit, ann. 588. Isidorus *Chron. Gallorum & Suevor.* In Gallia, Fregedundis adultera rem filii Clotarii II. strenue egit, ann. 593. Ethelfridus Northumbrorum in Anglia Rex, Aidamum Scotiæ Reg. vicit, ann. 603. Autharis vero Langobardus, Histria occupata, Francos repulit, ann. 588. & 590. Agilulphus successor ejus Romæ minitatus, ann. 595. Crotonem cepit, ann. 596. & Patavium exussit, ann. 600. Paul. Warnefridus *de Gestis Langobard.* In *Ecclesia* ob titulum *Oecumenici*, quo se habita Synodo insigniverat Joannes Patr. CPol. ann. 595. abominante facinus, post Pelagium II. Gregorio quoque I. successore illius, qui *Servum Servorum* primus se vocavit, turbatum, Gregorius M. *lib. 4. Epist. 32.* alibique passim, Luitprandus *de Vita Pontif. cap. 65.* alii. Angli vero per Augustinum Mon. conversi & Ethelbertus Cantuariensium Rex baptizatus est, ann. 596. Beda *Histor. Angl. lib. 1. cap. 25.*

Additamenta HENR. CHR. HENNINL.

DN. Fl. Mauritius Tiberius P. P. Aug. ut appellatur in Nummo ap. Beger. *Tb. Br. T. 11. p. 853.* (Zonar. XIV. 11. *In contrahibus scribebatur: MAURITIUS, QUI ET TIBERIUS.*) natus est Arabissi in Cappadocia, Euagr. v. 19. (aliis Romæ,) A. Chr. 539. Parentes & Majores Ejus ignorantur, quos alii Græcos (P. Diacon. *ad Eutrop. l. xviii. de Eo: Primus ex Græcorum genere in Imperio confirmatus est:*) alii Veteres Romanos opinantur fuisse. Uxor illi fuit *Constantia*, quam in præcedente Imp. diximus, Tiberii F. pia & proba Matrona; ex qua sustulit Filios *Theodosium, Constantinum, Tiberium & Advocatum*, quibus parvulus anonymus accedit. nam *quinque filios* diserte nominat Diaconus: & *tres filias*, quarum meminit Zonaras, *Gordia*, Philippico, Orientis Duci, nupta, si Zonaræ, Suidæ & Diacono credimus, Filia Mauriti; si aliis, soror fuit. Fr. habuit *Petrum*, Exercitus contra Avarum ducem. Fuit ante imperium Scriba sive Notarius Justiniani I. & propter industriam, consilio Sophiæ Aug. factus est Comes Prætorianorum. deinde Tiberius eum præfecit Exercitui contra Persas. Successit Socero Tiberio an. Chr. 582. Augusti die 15. Initia Imperii habuit gloriosa. Avarum, qui imperium Ejus turbabant, vere Hunnica Gens erant, (Diacon. *ad Eutrop. l. xviii. in Mauritio: Hunni, qui & Avarum appellantur.*) Avarum Scytharum nomen simulans, Simocattæ VII. 8. hinc *ψυδαγαροι*. commendatur a calumniarum contemptu, gravitate, temperantia, Euagr. v. 19. vi. 1. & 2. Niceph. xviii. 8. ab ingenio optimis disciplinis exulto, amore Eloquentiæ & Docto-

rum, a liberalitate qua civibus trientem vestigalium remisit, a mixtura Magnanimitatis & Clementiæ, sine ullo supercilio, Suid. *in Maur.* a gloria & scientia rei Militaris, de qua passim Scriptores. *Theodosium F.* natum an. Chr. 585. Cæsarem fecit an. 587. Augustum an. 590. At omnia hæc decora postea fæde labes avaritiæ deformavit, quæ & postremo in Ejus vertit exitium. hinc enim nati tumultus & defectio Militum. Simocatta VII. 1. & 2. VIII. 7. Cædes Ejus peracta in Eutropii portu apud Chalcedonem 27 Nov. an. Chr. 602. Cum filiolus Ejus Mauriti minimum suffurata nutrix suum pro eo subderet ad necem, fraudem non est passus; necatus infons infans, stillante loco lactis, sanguine, si credimus Diacono, omnibus excivit lacrimas. Corpora occisorum in mare abjecta; capita militibus spectanda in campum prolata sunt. Ita ob avaritiam periit cætera eximius Imp. adversa laudabilior fortuna, quam prospera, an. æt. 63. teste Zonara, qui addit, *Constantiam Aug.* cum III. Filiabus occisis sepultas a Pharasmane Justiniani Eunuchis, & eleganti Epitaphio, quod addit, ornatas. Angli sub Eo ab Augustino conversi quidem feruntur, scilicet ut agnoscerent Patriarcham Romanum, non vero Britannicum; dudum enim a sæculo Chr. II. erant Christiani. Vide I. B. SS. *Tb. Prof. Diatrib. de antiqua Ecclesia Britannica libertate atque exemptione a Romano Patriarchatu.* Turcarum nomen sub Mauritio inclaruit. Vide Carion. & Cluver. *in Ejus reb.* ex Antiq. fere Annales Mauriti scripti Diacon. *in Hist. Miscell. l. xvii.*

C. GALERIUS VALERIUS MAXIMIANUS.



QUID INNOCENTES OPPRIMIS TUIS TELIS,
TANTAQUE CLARUM LABE POLLUIS NOMEN?
IPSUM ECCE NUMEN IMMINET TUO TERGO,
PARATQUE POENAS. MORTE JAM PERIS LENTA
VIVUM CADAVER, ESCA VERMIUM FOEDA.

E N A R R A T I O.

HIC parentibus plane ignobilibus in Thracia Ripensi fuit natus. Vocatus est Galerius Valerius Maximinus, vel, ut alii volunt, Maximianus. Cognomine dictus est Armentarius, quod ex armentario (obiverat enim tam vile munus in juventute sua) ad tantam dignitatem esset e- vectus. Uxorem habuit Valeriam, Diocletiani Impera- toris filiam. Namque hic, cum Galerium Cæsarem creasset, præter ado- ptionem, etiam adfinitate sibi jungere voluit, eique filiam suam in ma- trimonium locavit. Noster A. C. 291. Cæsar creatus est cum Constantio Choro. Diocletianus enim cum Maximianum collegam sibi adjunxisset, hi duo Augusti, cum per varia loca nova bella pullularent, & pluribus ducibus fidelibus opus esset, inter se concordantes, duos alios Cæsares fecerunt: Ille Galerum Maximianum: hic Constantium Chorum. Qui postea, antequam Diocletianus & Maximianus Imperio se abdicarent, com- probante Senatu, Augusti appellati sunt. Cum Maximianus ad imperium pervenisset, illud cum Constantio Choro collega suo divisit, ita ut Con-

stantius Italiam, Galliam, Hispaniam, Britanniam, Africam, ipse vero Illyricum, Græciam, Asiam, Ægyptum obtineret. Sed Constantius Africæ & Italiæ administrationem reculavit, Galerioque remisit. Postea Galerius Severum & Maximinum Juniores, & aliorum nepotes, Cæsares creavit, quorum illi Italiæ & Africæ præfecit, hunc Orienti. Ipse vero obtinuit Illyricum. Sed extincto Severo Licinium Collegam adsumsit. Si imaginem ejus velis cognoscere, libidinosus fuit & intemperans, multa lascive faciens in amoribus, & plura adulteria committens, ut auctor est Eusebius, qui & tradidit, eum Magiæ curiosissimum fuisse, adeo ut nihil inciperet sine consilio dæmonum, augurum, magorum, & sacrificorum. Bellicosus tamen fuit & fortis manu. Bellum acre gessit contra Persas. Cum enim Diocletianus esset in Ægypto, ut res in Oriente turbatas sedaret, Maximianum Galerium contra Narsen Persarum regem misit, qui modo Armenias, modo Mesopotamiam gravi bello quatiebat. Galerius itaque cum eo congressus est, & duobus præliis eum fugavit. Inde animosior factus, iterum non longe a Carris cum Persis congressus, paulo inconsultius quam antea, dum sperat vincere, superatur, amissoque fere toto exercitu, ipse vix fuga evasit. Itaque repulsus in Syriam rediit, atque inde ad Diocletianum pervenit. At ille nuncio hujus cladis accepto ita exarsit, ut Galerium, purpura, utpote Cæsarem, indutum, coëgerit mille passus ante carpentum suum pedes currere, instar gregarii militis. Brevi post dictis acerbis gravissime castigatum, non sine ingentibus minis, remisit ad exercitum, jussu redire in Persas, & abolere ignominiam, quam sua ipsius imprudentia contraxerat. Redit Galerius, & melioribus usus auspiciis, felicissime rem confecit, deque Persis triumphavit. Regis ipsius conjugem & liberos captivos secum deducens. Pace deinde facta quinque provincias recuperavit, & limitem Imperii Tigridem constituit, captivosque Regi remisit. Romam deinde profectus est contra Maxentium, qui a Prætorianis Imperator erat electus. Sed cum in itinere cognovisset de futura militum defectione, si cum Maxentio conflictisset, in Illyriam rediit. Paulo post incidit in morbum, ulcere orto circa ejus inguina, unde vermes enati. Eo in furorem quasi actus medicos multos, cum nihil opis ei adferrent, trucidavit. Uterque interea oculus putredine evulsus est, & carnes ejus ossibus suis deciderunt. His cruciatibus ferendis impar cum esset, vim sibi intulisse dicitur, atque ita extremum diem clausisse.



PHOCAS (a).



LOTICHIOUS.

Ecce! subit nummis nunquam satiabile monstrum
Lethifer, obscurus, terribilisque PHOCAS.
Perfa sacræ spolium crucis hic fert; jure sed iste
Cæsus in æquoreas præcipitatur aquas.

HOFMANNVS.

*In dominum Phocas peperit sibi sceptrum rebellis (b),
Submisit fasces cum tibi, Roma (c), suos.
Sed Nemesis (d) rapuit tam enormi crimine parta,
Atque necem flamma (e) Cæsaris ultia pii est (f).*

ENARRATIO.

IYRANNUS (a) potius, quam Imperator, ut acquisivit sceptrum, ita gessit, crudelitate, temulentia, libidine & fraudibus infamis, (b) postquam ab exercitu rebelli (de quo duo soli superfuerunt, post ejus obitum) Imperator pronuntiatus esset, ann. C. 602. (c) Bonifacium III. Episc. Rom. Sabiniani, post Gregorium I. successorem, quod cædem Mauricii

probasset, *Universalis* titulo honoravit, ann. 606. & caput Ecclesiæ constituit, (d) a Cosroe II. Syria, Palæstina, Phœniciaque exutus, anno præc. a Cagano vero pressus, quem tributo ingenti ægre placavit, ann. 609. (e) In suos cum crudeliter sævire pergeret, conspiratione Prisci generi, Gregoræ, & Heracleonis Africæ Præsidis, ab hujus filio Heraclio, capta urbe, in æreo camino crematus est, ann. 610. Imp. 8. sicut ipse Narsetem, cujus vel nomen Persarum liberis terribile fuerat, perfide exusserat, sexennio ante, Simocatta *lib. 8. cap. 11.* Paul. Diaconus *Histor. Miscell. lib. 17. cap. 52. & seqq.* Nicephorus *lib. 18. cap. 40. & seqq.* Zonaras, Cedrenus, Fredegarius, Gregorius Tur. alii. (f) In Italia, Agilulphus Mantuam aliaque loca complura Smaragdo Exarcho eripuit, ann. 603. In Hispania, Vitericus Gothorum Rex Recaredi filium Liubam II. occidit, ann. 601. Romanos vicit, ann. 607. ipse inter epulas peremptus, ann. sequente, Aimoinus *lib. 4. cap. 9.* In Francia, Brunehildis Austrasiæ regina, nepotes contra Clotarium I. Galliæ Regem concitando, tumultuatur, ann. 604. & 608. Ecclesiam quod attinet, Theudelinda Christiana maritum Agilulphum convertit, Gregorius M. *lib. 3. Epist. 4.* At Bonifacii III. successor hujus nominis I V. Pantheon, a Phoca obtentum, *B. Virgini omnibusque Sanctis*, consecravit, ann. 608. Anastasius, Platina, Luitprandus & Albo Floriac. in *Pontif.*

Additamenta HENR. CHR. HENNIN I.

D. N. Fl. Focas *Perp. Aug.* ut in Nummis ap. Goltz. *Th. Ant. p. 86.* Oecon. *p. 586.* appellatur, in Thracia natus est. annus, dies locusque natalis, item Parentes ac Majores Ejus ob generis humilitatem ignorantur. Uxorem habuit *Leontiam Aug.* ex qua sustulit filiam *Domnientiam*, collocatam Prisco Patricio, Comiti Excubitorum, sed sibi fatalibus nuptiis. Frater Focæ præter alios fuit *Domnentiolus*, aut *Domnentiolus*, quem Magistrum fecit. coronatus est Imp. a Cyriaco Patriarcha 23. Novembr. an. Chr. 602. In hujus Imp. historia recte animadvertit Rupert. *ad Besold. c. 15. p. 584. & f.* cavendum errorem Baron. *ad an. 568. n. 13.* qui *Narsetem*, Edessæ Ducem nobilissimum, quem rebellantem & jurisjurandi sanctissima ac iterata religione interposita per Fr. Domnentiolum ad se pellectum, mox contra fidem datam vivum cremavit, confundit cum *Narfete* Eunucho, qui Gothorum regnum in Italia sub Justiniano destruxit, factus Dux Italiæ. hic injuria Sophiæ Augustæ laceffit Langobardos ex Pannonia evocavit in Italiam. Vide supra Justinum II. sed cum hi omnes fortunas suas in Italiam transferrent, *Narfetem* perfidiæ fere poenituit. audiebat passim novæ calamitatis auctor, qui bellum Gothicum profligarat. Igitur animum crucians Romæ morbo ac dolore interiit. Diacon. *ad Eutrop. lib. xviii.* at *Narfes* posterior, qui juvenis *armiger* Justinii II. erat, teste Corippo *lib. 111.* a Foca exustus est CPl. prior *Narfes* missus contra Gothos an. 552. vix potuit vitam produxisse ad Focæ tempora; queis posterior *Narfes* Præfectus Romani Exercitus floruit oppositus Persis. Niceph. *xviii. 20.* & Alii. & quis sanæ mentis credat, *Narfetem* post immanem prodicionem floruisse summa Præfecti potestate apud Imp. usque ad an. 602? Porro notandum cum Cellario *Hist. med. ævi, sæc. vii.* titulum *Oecumenici* sive *Universalis*

Episcopi fuisse ante Focæ tempora, cum Justinianus & alii Imp. Romæ tam veteris quam novæ *Patriarchas Universalis* in *Cod. & Novell.* appellaverunt, restricta tamen ad alterutrum diocesin propriam in qua erat Episcopus Oecumenicus, auctoritate: Vide Eduard. Breerewoodi *Vet. Ecclesiæ Gubernation. Patriarchalem.* sed jam, Focas, quod notandum, rogante Papa Bonifacio III. statuit: *Sedem Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ caput esse Omnium Ecclesiarum.* Paul. Diac. *Longob. iv. 37.* ad Eutrop. *l. xviii.* & sic parricida ille, quantum in se fuit, abrogavit Canonem 28. Concilii Chalcedonenfis, quo 630. Patres *equalia privilegia addixerant Sedi CPlanae.* Causa decreti primatus Romani fuit, quod Cyriacus Patriarcha CPlanus improbabat Focæ parricidium & tyrannidem, teste Theophan. in *Chron.* Perit parricida *αὐτοκράτορ* *Excerpt. Peir. p. 853.* cruentus & sanguinarius circa Novembr. an. Chr. 610, „pulla veste Heraclio captivus exhibitus, & quærenti: *Itane miser Remp. administrasti?* præ desperatione respondens: *Tu vero melius eam administrabis!* ab Heraclio calcibus insultatus & castrari iussus „est. alii statim occisum tradunt, alii manibus prius & pedibus amputatis, virilibus denique, ob lasciviam & mul- „torum conjuges adulteratas, exsectis obruncatum, & „infelix cadaver in Bove (loci nomen est CPl. de quo accurate Gyll. *Topogr. CPlis* *iv. 2.*) „crematum esse: „ibi, teste Zonara, „Caminus (vox hæc Græce significat etiam *bovem robustum*;) fuisse perhibetur æreus, forma „bovis, Pergamo translatus, (imo potius ex Sicilia aut „Italia, ut Gyllio placet:) unde loco nomen. Sunt & Fra- „tres Ejus Aliique Necessarii interfecti. Adde Recc. Ca- „rion. & Cluver. in *Foca.* & Spanhem. *Hist. Eccl. N. T. Sæc. vii. c. 4.*

C. GALERIUS VALERIUS MAXIMINUS DAZA.



QUO, MAXIMINE, TE TUUS FUROR RAPDAT
 DEO MOVENTEM BELLA? QUO RUIS CÆCUS?
 TRISTEM MINANTUR EXITUM TIBI FATA.
 JAM TEMPUS EST. TUA IPSE JAM CADES DEXTRA.

E N A R R A T I O.

MAXIMINUS DAZA a Galerio Maximiano in Imperii societatem adscitus, & post mortem ejus a militibus Imperator electus, incerto prorsus anno & loco natus est. Sic & ignorantur parentes ejus: nisi quod in confesso est Matrem ejus fuisse sororem Imperatoris Maximiani Armentarii. Frater ejus fuit Flavius Valerius Severus, quem dictus Maximianus Cæsarem adsciverat, qui impar Maxentio fugam capessens ad Ravennam captus & cæsus est. Postquam e medio excesserant Severus & Maximianus Armentarius, Romanum Imperium sub quatuor fuit Cæsaribus. Siquidem Constantinus Magnus imperium obtinebat Hispaniæ, Britannæ, Germaniæ & Galliæ: Maxentius Italiæ & Africæ: Licinius Illyriæ; & hic Daza totius Orientis, ubi solium collocaverat, persequens crudelissime Christianos, & qui in finibus Ægypti se tenebant, longe crudelior hac in parte omnibus, qui ante eum rerum potiti erant. Cum tam barbarus esset ingenio, tamen philosophiæ amore ducebatur, propensus maxime in eam, quæ Magia vulgo nuncupatur. Sed & religiosus erat in colendis Idolis, & oraculis, quæ ibi edebantur.

bantur. Quare jubebat templa collapsa refici, & ex præcipuis suis Ministris fautorum Sacerdotes eligere, & Sacris adesse jubebat. Ad hoc cum immensi sumtus requirerentur, neque ei suppeteret, quo manus porri-geret, malis artibus sibi pecunias comparavit. Nam divites aliquot ficto a se crimine compellabat, & in exilium actorum bona publicabat. Hoc certe mirum erat in homine, qui aliis vitiis valde propensus, gulæ quoque se mancipaverat. Ex qua immoderata vivendi ratione in scortationes & adulteria quoque prolapsus est, componentibus se ad ejus exemplum militibus; ex quo fiebat ut nullus locus a vi & intemperantia esset tutus. Ita insaniens sævire porro perrexit in Christianos, quos modo feris bestiis objiciebat, modo mari immergebat, modo oculis orbabat, modo flammis indignissime ustulabat. Dum ita totus est in Christianis vexandis, Licinius noctes diesque ea sollicitudine afficiebatur, qua potissimum ratione eum de gradu depelleret, imperioque privaret, adnitente huc maxime Constantino magno, qui sanguinis propinquitate ei erat conjunctus. Neque hæc latere diu Maximinum potuerunt, qui illico arma movit in Licinium, quem odio insatiabili prosequabatur. Concurrent itaque hi duo hostes tam acriter, ut facile intelligi posset inimica mente contendere, animoque magis etiam pugnare quam corpore. Maximinus elatus auguriis Sacerdotum, qui ei victoriam prædixerant, procul erat a metu, & jam inclinare ad eum videbatur victoria. Conversa subito est fortuna. Namque Licinius opibus valentior copias ejus fudit, & ipsum in fugam conjecit. Cumque Licinii potentia novis indies successibus cresceret, in tantam desperationem incidit Maximinus, ut sibi manus inferret, laqueoque vitam finiret. Talem habuit exitum vitæ crudelissimus tyrannus, his terris ereptus anno ab V. C. 1065. & a Christo nato 313, postquam cum Maximiano Armentario & fratre Severo septem annos imperium obtinuisset. Videndi Eutropius, Aurelius Victor, Suidas, Pomponius Lætus, Eusebius.



HERACLIUS (a).
XII. IMPERATORES ROMANI,
SUB DIVISIONE II. IMPERII A BARBARIS IN ORIENTE FACTA.



LOTICHIUS.

Cum CONSTANTINO succedit HERACLIVS Afer,
Fascibus & Natus dignus & ipse Pater.
Pullulat hoc atrox Mahometi tempore secta,
Ex hydropo Pater cogitur inde mori.

HOFMANNUS.

Egregie Imperii classes & damna refeci,
Persisque (b) extorsi, quam rapuere, Crucem.
Verum ah! humano generi nova pestis ab Orco
Exorta est, Mahomet (c) terruit ater humum (d).

ENARRATIO.

Heraclius (a) Heracleonis. Vid. supra, Imperatorum Hera-
cleonidarum caput, cui soli Augustorum contigit sextum
e sua progenie habuisse successorem, Phocam interemtum
excepit, ann. C. 610. (b) A Cosroë pacem petitam cum
habere non posset, nisi Deo crucifixo abnegato Solem ado-
raret, ann. 614. cum Avaribus, qui Thraciam invaserant,
pace inita, ann. 621. & auro templorum in militum stipendia conflato,
in Persas movit, ac ingenti potitus victoria, receptisque, quæ ablata erant,
Cruce

Cruce quoque recuperata, de iis triumphavit, ann. 629. At Monothelita factus, ann. 630. quum Saracenos insuper sibi militantes stipendii negatione, & *canum* convitio, exacerbasset, ab his rebellionem excitata, Ægypto & Syria est exutus, ann. 635. (c) Mahomet impostor Coranum spargere & novum in Arabia regnum excitare cœpit, ann. 622. quo ipso cum a popularibus suis Mecha ejectus Medinam se recepisset, Epocha Saracenorum, quam *Hegiram* i. *fugam* vocant, hinc initium sumpsit. (d) Obiit Heraclius ann. C. 641. Imp. 31. Theophanes *Chronogr. ad ann. 602. & seqq.* Paulus Diac. *Histor. Miscell. lib. 18.* Zonaras *tom. 3.* Aimoinus *lib. 4. cap. 21. & seqq.* Cedrenus, Fredegarius, Alii. Eo imperante, Rotharis Langobardus, Tusciam occupavit, ann. 637. Isaci Exarchi victor, ann. 638. In Oriente, Omar Persicum Imperium a posteris Artaxerxis ad Saracenos transtulit, ac Damasco & Hierosolyma occupatis Syriam fere totam sibi subjecit, ann. 634. & 636. Sclavi, qui & *Vinidi*, Hunnorum Avarumque jugo excusso, Samonem, negotiatorem Francorum, quo duce Hunnos vicerant, Regem sibi legunt, ann. 626. Hispaniæ totius dominus fit Suintilla, ann. 636. In Gallia Brunchildis nepotes inter sese concitat, ann. 613. & 615. In eadem regnum amplissimum Dagoberto I. & Ariberto filiis suis Clotarius II. relinquit, quorum ille Frisios, Saxonesque vicit, Rege eorum Beroaldo occiso, ann. 630. Vid. Auctores laudatos. *Ecclesia* crescit, accessione Helvetiorum, quos S. Gallus convertit ann. 614. & Cœnobium condidit, ann. 617. Edvini item & Vinegildi Angliæ Regg. quorum ille a Penda Merciorum Rege victus occubuit, ann. 632. successore Osvaldo religioso, post ejus filios, ann. 634. Beda *Histor. Angl. lib. 2. cap. 20.* Sed & Judæis a Sisebuto, in Hispania, impositum, ut fidem susciperent, ann. 614. quem tamen rigorem Synodi quædam Toleti habitæ, in quarum IV. Clericis legitimum conjugium concessum, mitigarunt, Rodericus Tolet. *lib. 2. cap. 17.* Ibidem Isidorus Hispalensis floruit, ann. 633. At tyranni, Cosroës præcipue, & Hæretici Ecclesiæ graves. Athanasius Antiochiæ Episc. *unam tantum in Christo voluntatem* statuens, Monothelitarum hæresin procudit, ann. 615. quam Heraclius ipse amplexus est, ut diximus, *Ecthesi* ea de re edita, ann. 639. quam tamen Episcopi Italiæ & Africæ refutarunt, Joannes inprimis IV. post Bonifacium IV. Theodatum, Bonifacium V. Honorium I. eodem nævo infectum & Severinum, Episcopus Rom. ann. 640. thesauris Ecclesiæ ad captivos redimendos impensis aliàs celebris, Platina *Vit. Pontif. & Cedrenus p. 348.*

Additamenta HENR. CHR. HENNIN I.

F L. Heraclius natus est, ut videtur, in Libya, (hinc Constantino *lib. 1. Them. 1. p. 3.* dictus forte *Libycus*.) circa an. Chr. 575. Patre Heraclio, qui & Heraclianus Diacono aliisque vocatur, Africæ ac Libyæ Prætor; Matre Epiphania, aut Epiphania. Uxor illi fuit I. Fabia, Rogati, Principis Africani filia, quæ eodem die & illi nupta & cum eo a Sergio Patriarcha coronata fuit, accepto & Eudocia vel Eudochia nomine. ex hac sustulit Heraclium, qui Augustus a Patre an. Ch. 613. imperii 3. factus & a Sergio Patriarcha coronatus Constantini quoque nomen accepit: & Epiphaniam, vel Epiphaniam, quam Pater quoque Augustam dixit, & per Sergium coronavit in Oratorio Palatii anno 3. Imperii. II. Martina, vel Martiana. Fratris, cujus nomen ignoratur, filia, lata lege, ut tales nuptiæ incestæ omnibus licerent. ex hac genuit Fabium, qui postea Heraclionas Aug. & Davidem. Suidas, in Heraclio, ait, in Perside agenti obiisse duos Filios & duas Filias, at Constantinus & Heraclionas Patri superfuere. ergo plures liberos habuit, si Suidas verus est. In Africa mense Octobri an. Chr. 610. Imperator appellatus est, si Diacono fides; Cpli vero coronatus est cum Sponsa, ut diximus, Eudochia a Sergio, in Oratorio S. Stephani, quod est in Palatio, mense, ut puto, Novembre ejusdem anni. obiit nota an. 615. a Sæ, Cosiois Duce, Calchedonem obsessam; Καλχιδὼν inquam, non Καρχηδὼν, ut perperam Cedrenus habet, & ex eo Diaconus Carthaginem vertens. hinc error in An-

nales propagatus, Cosroën Carthaginem usque penetrasse. at nunquam Persæ Africam tenuerunt; quod recte monet Petav. R. T. *part. 1. v. 11. 13.* Obiit ex hydrope, & nescio quo morbo, quem narrant Zonaras & ex eo Pomp. Lætus, (qui hic videndus,) quod luisse creditur incestas cum Fratræ Filia nuptias, 11. Martian. Chr. 641. æt. 66. Imperii 30. mens. 4. die 6. Vide præter laudatos Carion. Cluver. & Boxhorn. in Heraclio: Cangeum in *Fam. Byzant.* Agunt de Muhammedis ortu iidem, & optime Spanhem. *Hist. Eccl. Sac. VII. c. 6.* (de Hegira agit Idem *Introd. ad Chronol. Sac. in Æris Arabum* Nic. Mulerius in *Tabul. & Anno Arab.*) Leunclav. *Histor. Musulm. lib. 1. p. 32. & ff. Joh. Cotovic. Itiner. c. 1. Baron. ad an. Chr. 630. Greg. Abulfaraj. in Sp. Hist. Arab. a Pokok. edita p. 6. & ff. Georg. Elmacin. Hist. Sarac. 1. 1. Roder. Ximenes Hist. Arab. c. 1. 6. & præceteris Hotting. Hist. Orient. Jac. Strukhufii *Synagoga Hist. Sarraceno-Turcica. p. 1. 27.* Joh. Andreas de confus. *Señ. Muham. c. 1. p. 6. & ff. Joh. Gale de orig. & progr. Muham. de Alkorano optime egit Aug. Pfeiffer. Theol. Muhammed. Exerc. 6. & 7. p. m. 263-458.* Sed dolendum est, a Christianis, nescio qua pia fraude, tot fabellas, nugas, mendacia Muhammedis Historiæ adpersa esse, quæ Muhammedanis partim bilem, partim risum movent. Veritas mendaciis ad sui tutelam non eget. Vide Simonii *Notas Gallicas ad Dandini Itinerar. Montis Libani.**

LXIY.

M. AURELIUS MAXENTIUS.



TIBI HÆC TABELLA PRÆBET ORA MAXENTI:
NON PRÆBET AUTEM GESTA, PRINCIPE INDIGNA.
CERNIS TYRANNUM, ROMA QUEM TULIT QUONDAM,
QUEM TIBERIS UNDIS OBRUIT SUIS RAPTUM.

E N A R R A T I O.

MAXENTIUS a militibus contra Maximianum Armentarium Imperator creatus quo anno natus sit incertum est. Romæ tamen primum auram vitalem hausisse vulgo creditum est. Pater ejus ignoratur, quem multi scriptores Maximianum Herculeum fuisse memoriæ prodiderunt. falso. nam contrarium docet hæc inscriptio, quæ in nummo quodam conspicitur: IMP. MAXENTIUS. DIVO MAXIMIANO. SOCERO. ÆTERNA. MEMORIA. Non itaque filium, sed generum Maximiani fuisse apparet. Mater erat Valeria Eutropia: Soror Fadia Maximiana Theodora, nupta Imperatori Constantio Chloro: Conjux Magnentia Urbica, in cujus nummis nunc quoque bene ornata, hastata & galeata mulier conspicitur, cum his verbis, VENUS. VICTRIX. Ex ea filium suscepit M. Aurelius Romulum, qui ab eo in Imperii societatem adscitus, brevi mortuus, & post acerba fata in Deorum numerum relatus est. Cujus rei luculentum testimonium præbet res nummaria. Postquam ad principatum pervenerat Maxentius, simulavit se Christianis amicum, ut eos sibi conciliatos

R *

tanto

tanto facilius opprimeret. Quem animi sui sensum tempus brevi detexit. Interea minime contentus tanta sorte majora cepit concupiscere, intentis in id cogitationibus, qua potissimum ratione Licinium & Maximinum de gradu depelleret. Ad hoc consilium rectius promovendum amicitiam Constantini magni captavit, & multa in ejus gratiam fecit. Dum hæc aguntur, Africa ab eo defecit, quam satis feliciter ad officium redire coëgit. Hac victoria elatus insolenter se gerebat, & crudeliter imperabat. Romam reversus omnibus flagitiis frenum laxavit, polluens omnia cædibus & stupris, & intolerabilem tyrannidem capeffens. Quare cum cives Romani gementes sub tam duro jugo, missis clam oratoribus Constantinum obsecrarent, ut rebus populi, quoquo modo posset, consuleret, ea hic parare institit, quæ ad tantum tyrannum extinguendum necessaria viderentur. Maxentius contra non in armis saltem, sed & a magicis artibus subsidia quæsit. Fidei enim Christianæ jam aperte renunciaverat. Hæc intelligens Constantinus animo secum volutabat, quemnam sibi Deum potissimum ad eam pugnam protectorem invocaret. Et die quodam, paulo post meridiem, sole jam declinante, in cælo supra solem, crucis signum e luce adornatum & constructum, ac scripturam additam cum toto exercitu admirabundo vidit: EN ΤΟΤΩ ΝΙΚΑ: ΙΝ ΗΟC VΙNCE. Et edoctus veritatem Christianam, signum sibi, juxta formam ejus, quod in cælo viderat, comparavit, ut illo contra hostium exercitus uteretur. Ergo superatis Alpibus, plurimis urbium præsidiis expugnatis, triplicique in itinere Maxentii copiis profligatis, ad urbem castra juxta pontem Milvium locavit. Maxentius alio ponte facto, quem de industria fieri curaverat, ut laxatis tabulatorum fibulis nexibusque, quando vellet, dissolveretur, fuga sive vera, sive simulata, hostes in pontis insidias attrahere conatus, ipse in dolum, quem Constantino paraverat, incidit, & ponte fracto dejectus & gurgite abreptus periit. Hac egregia victoria Constantinus potitus, Romam immani tyrannide liberavit, & Italiam & Africam suo adjunxit imperio.



CONSTANTINVS (a) III.



H E N N I N I U S.

Regnandi certe nunquam satianda libido est,
 Illa sibi leges & data jura negat.
 Hinc CONSTANTINO puero, nec tale merenti,
 Toxicæ privigno dira Noverca dedit.

H O F M A N N U S.

*Sensi odium Cæsar sævæ furiale novercæ,
 Atque a Martina (b) culmina rapta tuli.
 Sed mihi successit quoque qui mox Heraclæonas (c),
 Culmine de tanto præcipitatus (d) iit (e).*

E N A R R A T I O.



Illic (a) Heraclii, ex priore conjuge, patri successit, ann. C. 641. (b) Neptis hæc erat ex fratre Heraclii, quam hic incestis nuptiis sibi junxerat. Hæc itaque, mortuo marito, privignum Constantinum, quarto Imperii mense, veneno interemit, (c) ut filio suo decenni Constantino Heraclæonæ (quem *quartum* inter *Constantinos* nonnulli numerant) locum faceret. (d) At comperto scelere, Martina, exsecta judicio Se-

R

natus

natus lingua filiusque Heracleonas, abscisso naso, pulsi sunt, post semestre Imperium, (*) nec alla te, quam Cæsareæ Palæstinæ, post 7. annor. obsidionem a Muhavia Saraceno expugnata, excidio memorabile, ann. 642. Paul. Diaconus *lib. 18. cap. ult.* Theophanes, Zonaras, Alii.

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

CONSTANTINI III. Parentes diximus in Heraclio. natus est CPlī an. Chr. 612. Uxor illi fuit *Gregoria*, quæ & *Anastasia*, Nicetæ Patricii Filia, ex qua fustulit filios I. *Constantem*, Heraclionæ Successorem, & II. *Theodosium*, quem Frater Imperator clauetro Monachum reclusit, deinde etiam interfecit. *Constantinus* III. paterni duntaxat Imperii, non item perversæ opinionis Monothelismi fuit hæres, qua de causa Pyrrhus, Patriarcha CPTanus, sed Monothelita, conscius fuisse insidiarum Novercalium, quibus periit Imperator, putatur. cœpit imperare v. Id. Mart. an. Chr. 641. Hic Imperator a quibusdam admonitus, coronam, qua regno inauguratus fuerat, cum Patre esse sepultam, Callinico cubiculario mandat, ut eam sibi afferat. Abiit ille, & sepulcro recluso cadaver Heraclii aquæ instar dissipatum reperit, coronamque capiti adhærescentem, eam cum capillis revelit mœstus atque lamentans, & Constantino affert. is solvi (a capillis scilicet) ac æstimari jubet coronam, & æstimata est libris LXX. Cedreni fidem hic sequimur. sed noli quærere miraculum, aut Monothelismi in sepulcro pœnam. paullo ante Heraclius ex hydrope obierat, hinc aquæ illæ in capulo. nam, si Heraclii cadaver in aquas diffuxit, unde caput & capillos dignovit Callinicus? Coronam hanc postea Heracleonas Imp. Matris instinctu, ut popello fucum pietatis faceret, scilicet sepulcri loco religioso ablatam, ad Templum S. Sophiæ detulit. *Libras LXX.* puto precii: quis enim tantum onus capite ferret, si pondus esset coronæ? Magnæ & suavissimæ spei Imperatorem fuisse, filius Eius Constans in oratione ad Senatum, ap. Diaconum, affirmat, sed Novercæ invidia interceptam. Perit enim, ut constanter plerique tradunt, veneno clam per coquos propinato, corruptos opera Martini Novercæ, ejusdemque Sororis patruelis; & si credimus Diacono, Pyrrhi Patriarchæ: 13. Aug. eodem an. Chr. 641. æt. 29. Imperii mense 6. die 2. Zonaras annum unum tribuit, Diaconus tantum menses 4. Circa hæc tempora, florente *Muavia*, sexto Saracenorum post Muhammedem Chalifa, ajunt tantam diversarum Narrationum, Legum, Librorumque, de Gestis & dictis *Muhammedis*, sparsim fuisse copiam, ut ipse Chalifa *Muavias* jussit Doctores omnia sua exemplaria Damascum (ubi tum regiam sedem habebat) comportare, exploratum, quæ servari, quæ aboleri oporteret. Ubi

primum ex CC. Doctoribus sex electi, qui librum *Suna* i. e. *δευτεράριον*, *Traditionum*, composuerunt de dictis & factis, sive *Responsis Oralibus*, *Muhammedis*, continentem universum Jus Muhammedicum, Ceremoniale, Civile, Forense. Hos inter *Suna* Scriptores eminet *Muhammed filius Abi Alhaseni Ismaëlis Abu Abdalla*, *Bocharensis*; vulgo *Albocharius*. Cætera vero Exemplaria omnia, quæ advexerant tot numero, ut CC. Camelos onerassent, in profluentem demersa sunt. Ortæ vero inde postmodum IV. Saracenorum Sectæ: *Melicorum*, quomodo Afri dicuntur; *Asasiorum*, quæ apud Arabes viget & Damascenos; *Alambelorum*, quæ apud Armenos & Persas obtinet; *Buanisiorum*, qua Assyrii gaudent & Alexandrini. ita quidem Joh. Andreas *Confus. Sect. Muh. c. 3.* qui meretur emendari. Fuerunt VII. Viri, qui omnia *Muhammedis*, præter Alcoranum, dicta & facta diligentissime observarunt & ad Posteror propagarunt; quos inter *Abuhureira*, ita ob feliculam, quam tenerrime habebat, & perpetuo, etiam in publicis conventibus, circumgestare solebat, a Muhammede dictus, felicissimæ fuit memoriæ, & reliquis sex Traditionariis palmam præripiens solus 5430. Traditiones ex Muhammede auditas, felicique memoria retentas, postea propagavit, donec tandem literarum monumentis consignarentur. *Sunam* probant Turcæ, rejiciunt Persæ. de ea vide Pfeifferi *Theol. Muham. Exerc. VII. p. 436. 447.* Pokok. *ad Abulfaraj. p. 298. 378.* Gent. *ad Mustadim. p. 577. 578.* Sectarum nomina minus recte exaravit Andreas. *Melici*, sunt *Melkita*, auctore *Malek*, *Ibn Hames*; quæ Secta Viros Doctissimos habuit. *Asasi*, sunt *Schafai*, auctori cognomines, quem ipse Muhammed laudasse dicitur, & de quo Abumanzor apud *Ibn Chalicam p. 292.* *Quod Sol est inter astra Cæli, id Schafaus inter Doctores: Dicit ei, qui confert eum cum dissimili, perinde esse, ac si lucem conferret tenebris.* Porro *Alambeli*, sunt *Henbelia*, ab auctore *Ahmed Ben Henbel*; habet & hæc Secta Viros Doctos. *Bunnisi*, forte *Huanisi*, sunt *Hanifai*, auctore *Abi Hanifa*, cui Bagdadi Collegium *Hanifaum* exstruxit Rex Gielaluddaula, teste Elmacin. *Hist. Sarac. p. 287.* addit Giggæus in *Thef. Arab. Schamrachaus*, qui a placitis Muhammedis nonnullis dissentiant, cætera Muhammedani. Vide Hottingeri *Hist. Or. II. 7. §. 1-5.*



C. VALERIUS LICINIANUS LICINIUS.



QUID ATTINET TE NOMINARE, TE MONSTRUM
ABOMINANDUM GENTIBUS, DEO INVISUM?
SCIENTIAS EXOSUS ET BONAS ARTES
SILENTIO MERERIS OBRUI ÆTERNO.

E N A R R A T I O.



UM Maximinus Imperator officio egressus nullis amplius staret conditionibus, & Licinio atque Constantino multis modis adversaretur, Licinius adfinitate Constantino, ducta ejus sorore Constantia, jam junctus, variis eum cladibus in Illyrico & Thracia fregit, atque ad extrema adegit. Fuga enim elapsus, per Orientem in Ægyptum discedens, ut novas copias cogeret; Tarfi diem inops obiit. Sed cum hoc rerum successu Licinius elatus, Constantinum præcipuis regionibus iniqua imperii partitione excluderet, decretisque de libertate Religionis abrogatis, Christianos horrendum in modum affligeret in Oriente, Constantinus contra suis commodis nollet deesse, dissidio novo suborto, res ferro in Pannoniis ad Cibolim & deinde in Thracia est commissa. Prælio superior Constantinus ad pacis condiciones infidum affinem coëgit, quibus nova provinciarum divisio facta est, qua Constantino cedebatur Occidens; Licinio cum Thracia Oriens. Ab hoc tempore Constantinus filium ejus nondum viginti mensium Licinianum Romæ creavit Cæsarem: sicuti antea Cæsares creaverat duos suorum filiorum natu

majores: Crispum e Minerviana pellice, & Constantinum e Fausta. Ex his Crispum in Gallos misit tumultuantes, & adversus Sarmatarum Regem Raufimodum, qui trajecto Istro Romanos provincias vexabat, feliciter bella gessit. Licinius interim ad paganorum partes delapsus, Martiniano Caesare creato, atrociter omnes, qui Christum profitebantur, cepit divexare: nec prius coërceri potuit, quam Constantinus eum primo terrestri praelio ad Hebrum; deinde navali in Hellesponto profligaret, inque urbe Byzantina, quo profugerat, obsideret, indeque elapsum navigio in Chalcedonem, ubi denuo cxxx millia militum coëgit, persecutus; acie ausum congredi, sic attereret, ut vix triginta millibus ex hostili acie salvis, ultro Byzantii & Chalcedone portis apertis Victor reciperetur. Licinius cum Martiniano in fuga se Nicomediam recepit: sed utrumque, oppido militibus cincto, tamdiu fatigavit, donec se dederent. Martiniano statim vita erepta est. Licinius autem Thessalonicam est ablegatus. Sed & ipsi non multo post, quod res novas moliretur, vita laqueo adempta. Accidit hoc anno a Christo nato 324, postquam annos sexaginta implevisset, & quindecim annos imperium obtinuisset. Natus fuerat in Dacia anno ab V. C. 1016. & a Christi Servatoris nativitate 264. tam vili & humili genere, ut scriptores operæ pretium non judicaverint Parentes ejus, pauperrimos agricolas, nominare. Uxorem duxerat Flaviam Valeriam Constantiam, Constantini Magni sororem, ut supra monuimus. Tantus fuit contemtor literarum & literatorum, ut literas virus & pestem publicam appellaret, expellens omnes doctos Roma, quos per derisionem & barbaram arrogantiam aulicos mures appellare solitus est. Sævitiā ejus experti sunt Viri sanctissimi Basilus, Episcopus Amasenus, Vir Apostolica doctrina clarissimus, ab eo capitis supplicio affectus: Paulus, Neocæsariensis Episcopus, ambarum manuum usu orbatus: Theodorus Dux exercitus, carus initio Imperatori, postea ab eodem cruci affixus, & capite truncatus. His addunt quadraginta milites, qui cum inter aulicos procures magni essent nominis, veritatis confessionem favori & gratiæ Imperatoris præposuerunt. Quare tyranni furor omnes nudatos, & sub brumam Sebastix stagno congelato frigore impositos necari iussit. Cum ita esset, tamen inter nummos in ejus memoriam cufos unus existit, cui impressa sunt tria vexilla cum inscriptione S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. O foeda turpis adulationis reliquix!



HERACLEONAS (a).



Supplementa HENR. CHR. HENNINI.

Heu puer HERCULEO frustra de nomine dictus
 Materno Imperium crimine perdo, gero!
 Discite Justitiam Vos, quos sacra purpura vestit,
 Et vigiles oculos Vindicis esse Dei!

Tetrastichum Historicum.

HERACLEIONAE puero Martina paravit
 Imperium Mater fraudibus atque dolis (b).
 Naribus ast truncis Natum, Matremque resecta
 Mox lingua, exsilii poena secuta fuit (c).

ENARRATIO.



Ine dubio hoc nomen (a) quod aliqui & Heraclonam exarant, boni ominis gratia a Paterno nomine deflexum est. habuit & Fabii nomen, teste Zonara. Parentes Ejus in Heraclio diximus. natus videtur Cpli circa an. Chr. 631. siquidem an. 642. decennis in exilium actus est, teste Zonara. quomodo ad Imperium extincto per venenum fratre Constantino III. pervenerit, & perierit, optime narrat hujus posterioris Filius Imp. in oratione auspicali ad Senatum: ita enim ait apud Diaconum: *Patris mei Constantini, qui me genuit, qui in vita proprii Genitoris, avi mei scilicet Heraclii, sufficienti tempore cum Eo imperavit, post hac vero etiam nimis brevi suavissimam spem Martina, Noverca ipsius, invidia concidens vitaprivavit: & hoc propter Heraclionam, qui ex ea & Heraclio nefarie natus est. Quam Martinam cum Nato vestrum cum Deo decretum jure ab Imperio repulit, ne violaret tam Nequam Roma-*

norum Imperium, valde provida cum esset amplissima vestra & honesta Magnificentia. Propter quod rogo
 Vos, habere Vos Consiliarios, & peritos ex communi Subjectorum obsequio. Ista Constans II. quæ luce
 aliqua egent. Diaconus XVIII. 6. ait: „Anno Heraclii 7. Consul factus est Constantinus Junior, qui &
 „Heraclius Heraclii F., & provexit in Casarem, Constantinum Minorem, Fratrem suum ex Heraclio
 „genitum & Martina, Suidas vero in Heraclio: „Filium suum Constantinum, Cos. fecit Heraclius,
 „& Heraclium Martinæ F. Casarem designavit, Diaconus Heracleonam vocat Constantinum Mino-
 rem, ergo integro nomine fuerit: Fabius Heracleonas Constantinus. hunc ait a Fratre Constantino III.
 factum Casarem, at Suidas a Patre Heraclio. quod vero Constantinus Junior sive III. COS. factus fue-
 rit, notandum videtur. nam Coss. creari desierant. Forte Consul tum notavit Augustæ purpuræ Colle-
 gam adscitum. Certe in Nummis apud Beger. Th. Br. T. II. p. 855. exhibentur imperatoris ornamentis
 & coronati: DD. NN. HERA. ET. HERA. CONST. PP. in aversa facie unius nummi XII. ANNO:
 alterius: VICTORIA AUGG. D. Ergo Constantinus III. circiter quinquennis, Collega Patris factus vi-
 detur, nondum nato Heracleona, unde omnino Diaconi mens est, hunc a Fratre postea factum Casa-
 rem, quod Alii Scriptores fere ignorant. Nefarie natus dicitur, incestis scilicet Patris cum Fratris filia
 nuptiis. Martinæ (b) Matris cum Pyrrho Patriarcha, Monothelismo addictorum & conspirantium in-
 fidiis veneno clam sublatus Constantinus III. vacuum Imperium fecit Heracleona, puero decenni, &
 sub ejus nomine, Martina ipsi. Zonaras: Constantino ita defuncto Martina cum Filio Heracleona Impe-
 rium sibi vendicabant. Diacon. Imperat Heracleonas cum Matre Martina. hinc Monothelismus & ani-
 mis & numero crevit. de Pyrrhi beneficio dubitanter loquitur Zonaras, diserte vero & bis affirmat Dia-
 conus. Cedrenus ait, Heracleona jam imperante, Legatum Constantini Fratris Militibus viris tria
 nomismata distribuisse, unde & hunc beneficii conscium putem fuisse. Sed brevi Veneficos (c) pœna se-
 cuta est. „Cito ipsi, Mater & Natus imperio exciderunt. nam ob Constantini parricidium Senatui in-
 „visa, per seditionem regio solio avulsa est, ipsaque lingua exsecta, Heracleonas decennis adhuc, naso
 „præciso a Senatu relegantur; Pyrrhus item Ecclesia ejectus exsulare jubetur. hæc Zonaras. at Diacon-
 us H. M. I. XVIII. in reb. Heraclii ait: Senatus & tota Civitas Pyrrhum, ut impium, cum Marti-
 na & Filio Ejus repulerunt. & in Heracleona: Eodem anno (primo Heracleonæ) Senatus repulit He-
 racleonam una cum Martina matre illius ac Valentino: (hunc putem illum Constantini III. Legatum, de
 quo supra Zonaras, sed non adjecto nomine:) lingua Martina, & naso Heracleona abscisso, eisque in
 exsilium destinatis ad Principatum Constantem, Filium Constantini, Nepotem Heraclii provehant. hæc
 ille. Martina præcisa lingua, ne populum ad sui misericordiam orando flecteret. at in puero decenni
 causas supplicii quæro: voluerunt forsan eum ita deformare, ne ad imperium revocaretur. placuit post-
 ea Græculis sic deformare truncandis naribus ab Imperio depulsos. exemplum habebimus deinceps in
 Justiniano Rhinotometo, cui inde Græcum cognomen Historia dedit. ne quid dissimulem: putem hic
 intercessisse aliquid sacri odii & religiosæ crudelitatis, quam Orthodoxi exercuerunt contra istos Mo-
 nothelismi fautores. Zonaras hæc ait per seditionem facta, quod credibilis: at Diaconus mox Senatui,
 mox & toti Civitati hæc adscribit. hæc ergo si ordine facta, quasi postliminii jure reversa fuerit prisca
 Senatus auctoritas in exauctorandis Imperatoribus, decernendis illorum pœnis, exsecrandis & honore
 pellendis Pontificibus, qui hoc ævo sibi magnam Reip. partem rapuerant, Imperium in Imperio con-
 dentes. nescio, cur umbratici quidam, & nonnulli Sacri ordinis homines in hac depulsione tantas faci-
 ant delicias. Si Monotheletæ Orthodoxis vices suas deinde reddent, quantæ tragœdiæ? non ita Dul-
 cissimus Servator, qui ultimis pœne verbis Amorem mutuum suis discipulis legavit, & errantibus
 benigne viam monstrari voluit. verum jam dudum fluebant tempora degeneris Christianismi. Hera-
 cleonas & Martina in exsilium pulsi sunt circa Februar. an. 642. & deinde in Cappadocia exsules obie-
 runt. Errat enim Suidas, l. l. qui vult, Heracleonam, quem Heraclium vocat, Martina F. Casarem
 ante Patrem Heraclium obiisse; hunc enim morte Filii audita fuisse in Palatiis Erianis versatum. Con-
 fuse etiam Diaconus ad Eutrop. lib. XVIII. in Epit. Hist. Rom. ed. minima Amstelæd. 1626. p. m. cum
 ait: Defuncto Heraclio Augusto apud Cplim Heraclionas Ejus F. cum Matre Martina regni jura susce-
 pit, rexitque imperium duobus annis. Quo vita decedente successit in loco Ejus Constantinus, Germanus
 Ejusdem, Filius Heraclii, imperavitque mensibus sex. ita ille. vides ultro & nomina & ordinem turba-
 ri, & tempora produci. Pyrrhus Patriarcha, sceleris sive verus sive suspectus minister, exsul in Afri-
 cam pervenit, ubi, si Diacono credimus, „a Patribus redargutus ac persuasus Romam ad Papam Theo-
 „dorum missus est, & ab hoc, tradito Orthodoxiæ libello, receptus. at cum Pyrrhus Roma disce-
 „dens Ravennam pervenisset, ut canis ad vomitum suum reversus est. Quo Papa comperto Theodo-
 „rus, plenitudine convocata Ecclesiæ, ad sepulcrum verticis Apostolorum accessit, & (nota quæso
 solennia insolita, & ut vere dicam, profanissima irarum celestium!) „divino calice expositulato, ex
 „vivifico sanguine in atramentum stillavit, & ita propria manu depositionem Pyrrhi excommunicati fa-
 „cit, aut ut Urspergensis h. l. ait: „Convocatis cunctis Sacerdotibus & Clero, in ecclesia Principis
 „Apostolorum condemnavit Eum sub vinculo anathematis, Heracleona imperante, Muhavias, qui Zo-
 naræ est Mabias, Saracenorum Chalifa, in expugnata Cæsarea Palæstinæ, septem millia Romanorum
 interfecit, testibus Zonara & Diacono.

LXVI.
CONSTANS II.

132



LOTICHIUS.

Cum CONSTATE regis Patre, CONSTANTINE, Secundo,
Quinte, parum Scepbris dignus uterque suis.
Cæditur in mediis CONSTANS a milite thermis,
CONSTANTINE parum mitius alter obis.

HOFMANNUS.

*Successi patrisque mei post tristia fata
Accepi (a) summæ symbola summa rei.
Sed Saracenorum (b) post fracto Marte, cruenta
Balnea (c) non dignæ causa fuere necis (d).*

ENARRATIO.

Post (a) novercam, cum filio ut dictum, pulsos ac in Cappa-
dociam relegatos, a Senatu Augustus declaratus, patri
Constantino successit, ann. C. 642. (b) Muhavias, Cypro
& Arado subjugatis, ann. 649. navali prælio profligavit
Constantem, qui ipse ægre elapsus est, ann. 654. quo etiam
Rhodus subacta & Colossi jacentis æs Judæo cuidam vendi-
tum, onus 900. camelorum. Post hæc, ortis inter Saracenos diffidiis, in Italiam
transgressus, a Grimoaldo Langobardorum Rege cladem accepit: Romam
dein veniens, urbem per 12. dies omnibus ex ære ornamentis spoliavit,

R 3

ne

ne Panthei quidem tegulis exceptis, ann. 663. Inde Sicilia, Calabria, Sardinia, & Africa tributorum rigore exhaustis, (c) ab Andrea Troilo, situla capiti impacta, in balneo occisus est Syracusis, anno C. 668. Imp. 27. Princeps avarus ac sævus, tum in alios claros viros, tum in fratrem præcipue Theodosium, cujus interempti furiis agitato, in somnis illum subinde calicem cruore plenum exhibentem, vidit, & exhorruit, Cedrenus *Histor.* Vid. quoque Paul. Warnefridum *de gestis Langob. lib. 5. cap. 6. & seqq.* Zonaram *tom. 3.* Guil. Tyrium *lib. 9. cap. 20.* Paul. Diaconum *Histor. Miscell. lib. 19.* Alios. (d) Ejus tempore, Czechus Croata, e gente Sclavorum nobilis, regnum Bohemiæ, circa ann. 645. frater vero ejus Lechus, Poloniæ, circa ann. 660. fundarunt, Æn. Sylvius *Histor. Bohem. lib. 1. cap. 3.* Mart. Cromerus *Hist. Polon. lib. 1.* In Gallia, Merovingorum res inclinare cœperunt. In Ecclesia, de controversia Monothelitarum disputationes sustulit Imperator, edito *Typo*, quem rejecit Theodorus Papa, ann. C. 648. & hujus successor Martinus I. hinc CPolim abductus, & in Pontum relegatus. ann. 653. Anastasius *Biblioth. in utroque.* Excepit eum Eugenius I. post quem Vitalianus in *Templa organa Musica* introduxit circa ann. 660. Sabellicus *Ennead. 8. lib. 6.* In Anglia de Paschate disputatum, crevere superstitiones circa eadem tempora, Aimoinus *lib. 4. cap. 34.* Sigebertus *Chron. Alii.*

Additamenta HENR.

CONSTANS II. natus est CPli circa an. Chr. 630. in Nummis etiam dicitur: *D. N. Heraclius Aug.* Parentes dicti sunt in Constantino III. Uxor illi fuit, sed cujus nomen ac genus nondum apparent, ex qua genuit Filios: I. *Constantinum*, qui *Pogonatus* deinde dictus est, & Patri successit. II. *Tiberium*: III. *Heraclium*; ambos a Fr. Constantino postea in Imperii consortium assumptos, & inde rursus dejectos. pervenit ad Imp. fere duodecennis an. Chr. 642. circa Febr. postulante populo, adnitente Senatu. additus fuit *Constans*, ad Avi exemplum, Monothelismo, & hujus zelo inflammatus aliter sentientes & Orthodoxos vehementer ussit & vexavit, hinc lacerandus adversariis, & scelus Ultori Deo pœnas dantem exaggerantibus. Soli Egnatio in *Prr. Rom.* non improbat, si impietatem & avaritiam demas. Nam Martinum Papam Heraclii typo subscribere nolentem, sed qui e contrario illum cum Monothelismo condemnasset in Synodo an. 649. per Theodorum Calliopam, Exarchum, CPolim abripuit an. 653. & inde Chersonam relegavit, ibidem an. 654. mortuum. Maximum Monachum qui ex Africa Romam venerat, facem & tubam Martini Papæ, egregium Catholicæ Fidei propugnatorem, lingua manuque truncatum in exilium deportavit. Anast. in *Collectan. p. 79. 104.* Urspergensis *ad an. 642. & ff. ait*, „Constantem resipuisse, sub Vitaliano Papa convocata Synodo, hæresin abdicasse; misisse B. „Petro Apostolo Evangelia aurata, gemmis albis miræ „magnitudinis in circuitu ornata: quin ipsum post alios „quot annos Romam venientem, obtulisse super altare S. Petri pallium auro textile, toto exercitu cum „cereis ecclesiam intrante, „. Ante prælium navale an. 654. commissum juxta Phœnicen Lyciæ portum, prægressa nocte somniavit se *Thessalonica* esse, quo conjector cladem portendi dixit, quasi ὁ δὲ ἀδελφὸς ὡς ἔδειχεν significatum esset. Zonar. *xiv. 19.* Illis, quæ de Colosso Rhodio tradunt Zonaras, Cedrenus, Aliique, demolitos eum esse Saracenos, oppono verba Plinii *H. N. xxxiv. 7.* *Ante omnes colossos in admiratione fuit Solis colossus Rhodi, quem fecerat Chares Lyndius, Lyssippi discipulus. LXX* (Cedren. habet LXXX. ex Inscriptione

CHR. HENNINI.

ne Ejus:) *cubitorum altitudinis fuit. Hoc simulacrum post LVI. annum terra motu prostratum, sed jacens quoque miraculo est. Pauci pollicem ejus amplectuntur. Majores sunt digiti, quam pleræque statua. Vasti specubiant defraclis membris. spectantur intus magna molis saxa, quorum pondere stabiliverat constituens. XII. annis tradunt effectum CCC. talentis, quæ contulerant ex apparatus Regis Demetrii, relicto mora tadio. Sunt alii minores hoc, in eadem urbe, colossi, centum numero, sed ubicunque singuli fuissent, nobilitatiuri locum. præterque hos, Deorum quinque, quos fecit Bryaxis. hæc Plinius. Ergo Colossus ille Solis maximus dudum jacuerat ultra quinque sæcula, non demum a Saracenis demolitus, aut a Muhavia destructus post 1360. stabilitatis annos, ut loquitur Diacon. in an. 12. Constantis: nec credibile, tamdiu illud æs humi abjectum & neglectum jacuisse, æris maximo usu futuro. itaque de aliis ibidem Colossis forsan intelligenda sunt Scriptorum verba, aut cum Carione dicendum, præde magnitudinem dedisse occasionem fabula. an. 17. imperii Arabes per Muhaviæ Legatos Romanis obtulerunt tributum in singulos dies numismata mille, & equum & servum. an. 26. imperii per Andream Cubicularium expugnavit Amorium Phrygiæ, & 5000. Arabum interfecit; ipse rebellis Sapor equo petulantius exsiliente caput ictu lethali portæ alligit Hadrianopoli, & sic Demetriam Imperatori contulit. Diacon. sic intellige *Victoriam Aug.* in Nummis ap. Beg. *Tb. Br. P. II. p. 855.* si ad Constantem sunt referendi, promissa illic barba conspicuum, & capillis insolito more sursum reflexis. an. 654. mense Martio *Constantinum* F. fecit *Augustum*: & an. 659. mense Julio *Tiberium & Heraclium*, filii, facti sunt *Nobilissimi Cæsares*. Perit ex situlæ allisu in caput, aut pyxidis unguentariæ incussu, aut aquæ ferventissimæ superfusu, in Balneo Daphnes Syracusan. æt. 38. imp. 27. ut Zonar. at Diacon. in *Misc. 26.* & ad Eutrop. an. 28. Vide, præter laudatos, *Annales CPtanos* Manass. Theophan. Cangei *Byzantina*, Cluverium, *Monothelismi Historiam* Gallice editam, & Forbes. *Instrum. Hist. Theol. v. 1-31.**

LXVII.

CONSTANTINUS. IV. POGONATUS (a).



H E N N I N I U S.

Quarto Barba dedit cognomina CONSTANTINO,
 Victa tributa illi gens Saracena dedit.
 Imperii socios cum Fratres ferre nequivit,
 Fractus Bulgaris annua dona tulit.

H O F M A N N U S.

Barba necem patris felici (a) ulciscitur ausu,
 Ast Saracenorum (b) sentio damna brevi.
 Callinicus (c) tamen occurrit cladesque levavit;
 Rem zelo (d) juvi fervidiore sacram (e).

E N A R R A T I O.

SEu (a) *Barbatus*, quod imberbis in Siciliam ad parentis cædem ulciscendam movisset, & promissa barba rediisset, sic dictus, successit ann. C. 668. (b) Mizizium seu Mazentium Armenum, a Siciliensibus legionibus Imperatorem appellatum, classe victum interemit, sed in Heraclium & Tiberium fratres, quos Orientis proceres pariter coronati voluerunt, naribus eorum truncatis, sævus, ann. 669. (c) Spoliis Romanis Syracusis quoque amissis infelix. Qua urbe expugnata Saraceni Byzantio ipsi imminet, ann. 672. sed illa strenue septennium integrum defensa, (quo durante, (d) Callinicus Mathematicus, Græco igne, classem illorum

rum

rum exussit, ann. 673.) pax inira tricennalis & tributum Saracenis impositum est, ann. C. 678. ipse tamen vicissim Bulgaris, in Thraciam irrupentibus, pendere & Mysiam concedere coactus, paulo post. (e) Vid. quæ mox dicemus. (f) Decessit anno C. 685. Imp. 17. Theophanes *ad ann. C. 660. & seqq.* Paul. Diaconus *Histor. Miscell. lib. 19. cap. 8. 13.* Zonaras *Annal. tom. 3.* Cedrenus, Nicephorus, Alii. Sub eo, Pertharis ab exilio in regnum Langobardicum reversus, circa ann. 673. Alachi Duci Tridentino rebeli ignoscit, ann. 682. Paul. Warnefridus *de Gestis Langob. lib. 5. cap. 33. & 36.* In Hispania rem egregie administrat Wamba Gothorum Rex, ab aratro ad sceptrum, miraculo germinantis baculi, vocatus, ann. 672. 674. & 675. Rodericus Tolet. *lib. 3. cap. 1. & seqq.* In Gallia, Ebroinus Major domus, Theodoricum Reg. pro lubitu versat, tyrannumque agit, ann. 680. 685. Aimoinus *de Gestis Francor. lib. 4. cap. 44.* Quantum ad Ecclesiam, Imperatoriis auspiciis habita Synodo VI. Oecumenica, CPolitana III. in palatio, quod *Trullus* dicebatur, Monothelitæ condemnati & V. priora Concilia confirmata sunt, ann. 680. Paul. Diaconus *lib. 19.* Romæ, Donus seu Domnus, Templum ornavit & Clerum distinxit, ann. 677. Agatho *infallibilitatem* affectavit, ann. 678. 680. Platina *in iis, Ivo cap. 4. p. 122.* Leo II. *pallium* gratis dari voluit, *eod. Benedictus II.* impetravit ab eodem, ann. 684. *ut pecunia a Clero Rom. pro ordinatione Pontificis Augustæ potestati debita remitteretur*, hac tamen lege, *ne citra decretum Cæsaris Papa consecraretur*, Sigebertus Gemblac. anno 680. Sabellus *Ennead. lib. 2.* Alii. At Muhtar pseudopropheta Saracenus Persidem occupavit, ann. 682. Bizar. *Rer. Pers. lib. 6.*

Additamenta HENR.

CONSTANTINI IV. quem alii V. numerant, Parentes diximus in *Constante* II. dies, mensis, annus natalis ignorantur, videtur tamen post an. 650. natus, quia a morte Patris an. 668. adhuc erat imberbis. natus est prope CPlim. cognominatus est a Civibus *Pogonatus* aut *Pogonates*, id est *Barbatus*, non tam a longitudine *promissæ barbe*, cum Pater Ejus in Nummis ap. Beger. *Th. Br. T. II. p. 855.* longam & hircinam barbam ostendet, ipse nullam; quam quia, teste Zonara, Byzantio ad tumultum Siculum solvens tenera adhuc lanugine fuerat, e Sicilia vero amplam, sed tamen ætati illi non insolitam, barbam retulerat. unde in effigie hac *Constantis* II. miramur *Constantinum* Patri adjungi nimis barbato. Constantinus Manasses *in Annalib.* vertente Frid. Morello *in Not. in Constantin.* Porphyrog. *de Them. p. 121.* *Parans Mezizii Ducis in lucem classem tener & imberbis Hinc reversus ampla visus est barba decens.* Uxor illi fuit *Anastasia*, ex ea Filii, *Tiberius*, *Cæsar* tactus, sed Patri præmortuus; & *Justinianus*, qui successit. Fratres *Tiberius* & *Heraclius*, videntur vivo Patre *Augusti* facti, si Nummo apud Beg. *l. I. fides*, ubi cum globis crucigeris diademati apparent. nisi spes successionis sic innuatur, non intelligimus, cur Proceres Orientales Chrysolim profecti vociferati sint, statim initio Imperii hujus Imp. *etiam reliquos duos Constantini Fratres* (quos Diaconus ait, *nullam dignitatem habuisse: coronandos esse*, addita lepida contra Arianos ratione; *sicut in Trinitatem credamus, ita etiam Tribus Imp. parere æquum esse.* Constantinus missis Legatis, maxime Theodoro Patricio Colonia, se postulatis eorum, quæ valde laudabat, annuere pollicitus, eos, in Urbem ut ingrederentur, rogavit, inituros cum Senatu consilium, ut coram illis Fratrum proclamatio fieret; at cum hi decepti invitatione Byzantium venissent, eos confestim e patibulo in Syce trans fretum suspendit, quo cæteri metu ad sua trepidi refugerunt: utrique Fratri, ad Imperium deformando, nares præcisæ. Ita Zonar. Diac. Theoph. Hi vero bini, posteriores, Diaconus Theophanem exscribens, narrant deinde an. 14. Imperii, Chr. 681. eosdem Fratres ab Imperio per Constantinum, qui jam solus cum Filio regnaret, dejectos; quæ non coherent. Theophanes ait, „CPlim anno quinto Constantini coepisse oppugnari a „Saracenis, nono pacem initam fuisse, „: eadem sequuntur

CHR. HENNIN I.

Cedrenus & Diaconus. & tamen iidem cum Zonara & Nicephoro *septem annos* vexationis numerant. Saracenorum classem in reditu tempestate disiectam ad Chium sive Mæcam naufragio totam periisse post pacem datam, ait Theophan. at Nicephor. pacem hujus cladis occasione a Barbaris petitam affirmat: quæ itidem contraria sunt. Tributum Romanis in 30. annos pendendum annuum fuit 365000. aureorum, Servi 50. Equi nobiles 50. ut Theoph. at Zonar. 3000. aureorum, servi 8. equi 8. Diaconus, 3000. aureor. servi 50. equi 50. Egnat. vero 3000. aureor. & totidem servor. & totidem equor. habet. *Bulgari* primum in Romanos fines impetum fecerunt an. 677. ab his *Mysia inferior*, quam Imp. illis concessit, etiam hodie dicitur *Bulgaria*. de prima hujus Gentis patria vide illustrem Witsen. *Cof. Amstelæd. Noord-en Oost-Tartarye II. Deel p. 465.* qui accuratissimus hic est omnium. Obiit Imperator, *reverendissimus Catholica fidei defensor* Urspergensis dictus *ad an. 670.* præcipiti lapsu de coenaculi gradibus; ut alii, ex morbo gravissimo, (forte per lapsum illum contracto.) Vide, præter laudatos, Concilia hujus ævi, etiam Recc. Petav. *R. T. I. VIII. 1. & 2.* Cluver. *in Constantino IV.* Forbes. *l. ante l. Baron. ad hos ann.* Cangei *Byzant. Martini. Crusii Turco-Græc. p. 87.* de parte palatii Imperatorii *Trullo*, quia *trullo* sive fornice hemicyclico ornatum fuit, Lambec. *Bibl. Vien. T. VIII. p. 407.* Anno Constantini Pogonati undecimo, Chr. 679. Muhavias Damasci extremum diem clausit, æt. 77. regni 21. Vir bellicosus & in rebus gerendis prudens. Symbolo signi usus est: *O Deus, ignosce mihi!* Literas nullas, ne scribere quidem, ut fertur, norat, magno alias ingenio: unde ferunt Muhammedem aliquando in convivio, uti coram hominibus solebat, orantem dixisse: *O Deus doce Muhaviam scribere & numerare, eundemque a periculis libera!* Ei successit *Jezid*, Filius, otio, luxui, Veneri deditus, religionis cujusvis contemtor, poëta ipse & poëseos amator ac literarum. Symbolum signi fuit: *Deus est meus Dominus.* regnavit ann. 3. obiit Arrani an. æt. 40. Chr. 681. A *Muhtar*, rebeli illo Pseudopropheta, quem *Jezid* ante Persidi præfecerat, *Sopbi* Persarum Reges hodierni originem duxisse dicuntur. *Jezidi* successit *Maruan*, huic *Abdalla Jezidi* F. Vide Strukhuf. *Hist. Sar. Turc. p. 28-34.*

FLAVIUS JULIUS CONSTANS.



TE FORTITUDO AD ASTRA SUSTULIT, CÆSAR,
 CLARUM TRIUMPHIS: SANGUIS AT TUI FRATRIS,
 QUO SPARSUS ES, CONTAMINAT TUAS LAUROS.
 QUID NON MALORUM FERREI LUES SECLI
 PRODUXIT ORBI! RARA GRATIA EST FRATRUM.

E N A R R A T I O.



CONSTANTINUS MAGNUS rebus humanis
 valedicturus, testamento condito orbem Romanum in-
 ter tres filios partitus est: quod consilium ejus a multis
 improbatum est, quia hac distributione factum est ut
 unitas illa atque invicta virtus scissa, plurimum auctori-
 tatis amiserit & roboris. Gallias, Hispanias, & Britan-
 nias, avitam sortem trans Alpes, Constantino natu maximo; Thraciam,
 Asiam, Ægyptum & Orientem Constantio; Italiam cum insulis ejus A-
 fricam & Illyricum & Græciam Constanti permisit. Hi tamen filii tan-
 tum a paterna animi indole recesserunt, quantum ille superiores omnes
 principes, & delicta excipias, quibus fuit adpersus, pietate superavit.
 Neque enim Constantino filio quisquam ad vitam incautior; Constante
 ad indecoras voluptates proclivior; Constantio aut levior, aut ad arro-
 gantiam intolerantior, aut ob impietatem Arrianam magis detestabilis
 fuit. Quam ob causam stabile imperium atque felix esse non potuit. Sed
 de Constante agendum nobis est. Hic postquam anno ætatis suæ vigesi-

S *

mo

mo fratrem suum Constantinum bello superasset, ad ejus partes omnes provinciæ, quas frater tenuerat, accesserunt; adeoque solus imperium tenuit Occidentis. In primis annis justus & strenuus reperiatur. Sed post annorum decursum sive debilitate naturæ, sive amicis suadentibus, animum ad delicias flexit. Ex quo in leves articulorum incidit aggritudines, quæ eum difficilem, morosum, austerum reddebant. Hinc factus est gravis subjectis suis, militibus vero, liberalitate prorsus ommissa, carus esse desiit. Eademque de causa optimates, qui antea ei faverant, amisit. Exorta igitur est contra eum conspiratio inter Centuriones: nec multo post in urbe Germaniæ Augusta Rhetica clandestinis consociorum consiliis factus est Imperator Magnentius, qui tunc beneficio Constantis præerat Rhetiæ. Constans igitur cum ex Pannonia in Gallias abiisset, ac morbi molestias crebris venationibus ibi mitigare studeret, sæpe ad silvas divertebat, & ubique cum formosis pusionibus ludebat & bacchabatur, quorum tenera ætate fruebatur, aut potius abutebatur. Dum illic est animo otioso & curis vacuo, Magnentius, quem Constans paulo ante in Illyria, in tumultu militari, objecto paludamento texerat atque servaverat, cum milites eum occidere vellent, percussores mittit, qui servatori suo mortem inferrent. Hi Constantem ex venatione fessum, in tentorio quiescentem, nihilque tale cogitantem trucidant. Scribunt tamen alii, eum vigilantem, cum percussores adventare sciret, in propinquum templum abiisse, atque insignia Imperii deposuisse; nihilominus tamen ibi ab altari abstractum & cæsum fuisse, anno Imperii decimo tertio, ætatis trigesimo. Erat ingenio præditus & promptus manu: nec ingrata ejus esset memoria apud posteros, si voluptates effugere potuisset. Veram tamen Religionem erat amplexus, eamque, ut & pios doctores, quantum potuit, magno studio defendit. Itaque cum Athanasius Præsul Alexandrinus a Constantio Imperatore iterum in exilium esset ejectus, ille apud Constantem Imperatorem de injuriis Arianorum graviter questus est. Constans igitur his auditis fratri suo Constantino Imperatori per literas significavit, se validum contra illum exercitum esse educturum, nisi Athanasium Ecclesiæ suæ restitueret, & Religionem Christianam persequi desisteret. His minis cessit Constantius. Natus erat Constans anno post Christum natum 320. Sed locus natalitatis ignoratur. Desponsata ei erat Olympias, Ablavii filia; quæ postea Arsaci Armeniorum Regi nupsit.



JUSTINIANUS (a) II. RHINOTMETUS (b).



L O T I C H I U S.

Trux fuerat naris quia JUSTINIANUS obesa,
 Nare fuit merito cassus utraque suo.
 Hem! mutilæ quoties emunxit frustula naris,
 Invisum toties fustulit ille virum.

H O F M A N N U S.

*Fœdera non fausto Saracenica fidere rupi (c),
 Institui Synodum (d), culmine (e) pulsus ii.
 Sed redii (f), truncas nares crudeliter (g) ultus,
 Cum nato (h) perii, Bardanis (i) ense, meo (k).*

E N A R R A T I O.

Il. (a) Pogonati, ex Anastasia Aug. acris quidem, sed præcipitis ingenii, Patri successit, ann. C. 685. (b) *a truncis naribus* cognominatus, ut mox dicitur. (c) Post Iberos, Armenos, Albanos & Medos, opera Leontii, Saracenis ademptos, dum hi inter se dissiderent, pacemque mox tributariam cum Saracenis factam, fœdus a Patre suo cum Bulgaris ictum dissolvit, ann. 687. sed victus, pene solus Byzantium revolavit. Dein, cum e Sclavicis gentibus evocasset 30. mill. armato-

matorum, Saracenicam pacem rupit, qui, implorato perjurii ultore Deo, tabulas pacis ex hasta suspensas, instar vexilli, in acie præferentes, primo quidem congressu inferiores fuere, postea, Sclavorum duce pecunia corrupto, tanta clade affecerunt hostes, ut vix iterum Imperator cum paucis evaderet, ann. 691. (d) Vid. infra. (e) Post quæ, in crudelitatem prolapsus, duobus mancipiis omnia commisit, quare a Leontio pulsus naribusque mutilatus, & in Chersonesum relegatus est, ann. 695. quod idem mox passus Leontius Apſimaro locum fecit, (qui *Tiberius* III. nonnullis appellatur) ann. 698. (f) Decem exilii annis exactis, Justinianus Trebellini Bulgarorum Reg. auxilio Imperium recuperavit, ann. 705. (g) prostratumque Leontium & Apſimarum ac pedibus conculcatum, acclamante populo, *Super aspidem & Basiliscum ambulabis*, una cum aliis supplicio affecit, imo, *quoties truncas emungebat nares, aliquem e Leontii partibus mactari præcepit*, Paul. Diaconus *de Langob. Gestis lib. 6. cap. 12. & seqq.* Postmodum vero, (h) orto de finibus dissidio, Bulgaris ingratus bellum intulit, verum victus, & tertia jam vice vix ipse fuga elapsus est, ann. 707. Tandem immani sævitia in Chersonesi, ubi exulaverat, incolas exercita, ab his classe superatus, ac a Philippico Bardane, capta urbe, (i) una cum filio Tiberio, trucidatus, Heracleonidarum Imperio finem imposuit, ann. 711. Imp. 26. in hoc etiam de Imperio male meritus, quod, Mardaitis Libani & montium reliquorum inſessoribus, pace cum Saracenis facta, (Vid. supra,) amotis, nudavit per imperitiam fines Imperii eosque Barbarorum insultibus patefecit, Zonaras *tom. 3. Cedrenus Compend. Histor. Nicephorus, Beda, Alii.* (k) Sub Eo exulante, Leontius Saracenos ex Africa redeuntes vicit, ann. 698. ut & Apſimarus successor hujus, in Syria & Cilicia per fratrem Heraclium, ann. 702. In Langobardia Ragumbertus Taurin. Dux, Luitperto summoto, regnum occupavit, ann. eod. ejusque fil. Aripertus Pontifici Alpes Cottias donavit, ann. 704. Paul. Diaconus *lib. cit. cap. 28.* In Gallia, Pipinus Crassus universæ Franciæ Major-Domus & Dux Brabantix creatus, sub Clodoveo III. ac Childeberto II. ann. 690. Radbodum Frisium ab Ultrajecto repulit vicitque ann. 692. & 697. Aimoinus *de Gestis Franc. lib. 4. cap. 47. & seqq.* In Ecclesia, CPoli synodo, (quæ Græcis Πενθέκτη, (*Quini-Sexta*) habita, Canones *de disciplina Ecclesiastica* conditi & inter alia, *Clericorum* quoque *conjugium* confirmatum est, ann. 692. quod decretum cum Sergius I. probare noller, dissidio inter Eccles. Orientalem & Occident. occasio est data. Albo Floriac. *in Pontif. 86.*

Additamenta HENR.

JUSTINIANI II. Parentes dicti in *Constantino Pogonato*. natus videtur CPLi circa an. 669. Uxor illi fuit *Theodora, Terbellii*, (Trebellii, Terbellis, Trebellini, ut alii exarant) Bulgarorum Regis F. (an Soror? alii Cagani, Avorum sive Chazarorum R. filiam ajunt, ut Zonar. & Diacon.) in exilio ducta, ex qua susculit *Tiberium Constantinum F.* quem una cum Matre, recepto imperio, an. 705. coronari curavit. Vide Nummos Ejus ap. Beg. *Tb. Br. T. II. p. 857.* & ibidem nota, quod primus in nummis expresserit imaginem Christi, Evangelium præferentis, cruce a tergo prominula, cum epigraphe: *IHS. XC. REX REGNANTIVM*: ipse impius & crudelis. Multarum calamitatum causæ illi fuerunt duo domestici assentatores, nimia potentia διαπορευόμενοι; horum Sycophantarum alter fuit Monachus, nomine Theodosius, cui cum summam tribueret auctoritatem Justinianus, nominavit eum *Generalem*: alter erat Eunuchus, Stephanus Sacellarius, consilia Religionis moderans, etiam Matrem Imperatoris verberare ausus. Successerat Patri annorum 16. adolescens an. 685. initio Septembr. Chersonam in exilium actus an. 695. recepit imperium an. 705. intra illud decennium imperarunt *Leontius*, Urſpergenſi

CHR. HENNIN I.

etiam *Leo* dictus, Patricius, Helladis Rector, sed a dictis Sycophantis in carcerem detrusus, unde elapsus, adjuvante Callinico Patriarcha *Imperator* factus regnavit circiter *triennium*, quo, duce Johanne Patricio & præfecto *Apſimaro* amisit Carthaginem; exercitus re male gesta & pulsus a Saracenis offensionem veritus *Apſimarum* creat Imp. contra Leontium, & *Tiberium* appellat, qui Leontium truncatis naribus in monasterium Dalmatii inclusit. sub hoc 200000. Saracenorum a Romanis in Syria esse occisa scribit Theophanes. *Tiberius* regnavit annos 7. & restituto per Bulgaros Justiniano perit cum Leontio. Justiniano (qui a restitutione annos 6. regnavit,) ætatis anno 45. & Filiolo, frustra sub sacram mentem in Sacratio apprehensa illius columella, se abdenti, per Heliam, Exercitus Ducem, more pecudis capita reſecta sunt, circa Januar. an. 712. Adde laudatis Serr. Diacon. *H. M. I. 20. Urſperg. in hoc Imp.* Nummos, & Recc. Carion. Petav. Cluver. Kipping. Rupert. *in hoc Imp.* de Concilio Quini-Sexto consule Balsamon. *in Pand. Canon. Beveregii, ed. Oxon. p. 154. Spanhem. H. E. N. T. Sec. VII. c. 8. §. 9-11. de Saracenorum rebus hoc Imperatore Strukhuf. H. Sar. Turc. p. 34-39.* LXIX.

FLAVIUS JULIUS CONSTANTIUS II.



HIC EST, HIC ILLE EST, QUEM SUIS VEHIT PENNIS
PIETATE CLARUM FAMA, QUEM PROBAT VIRTUS
HEROA MAGNUM MENTE, VINDICEM FRATRIS
ACERRIMUM, ET FURENTE SORTE MAJOREM.

E N A R R A T I O.

CONSTANTIUS Constantini Magni filius natus est ex Fausta, quam Pater posteriorem uxorem duxerat, in Illyria. Parvæ dicitur fuisse staturæ. Nam Romam aliquando ingressus cum triumpho, cum arcus triumphales esset transiturus, anseris instar cervicem inclinavit: quod factum omnibus spectatoribus ingentem risum movit. Uxores habuit complures, quas omnes valde amavit; imprimis vero summo amore prosecutus est conjugem suam nomine Eusebiam. Hac defuncta aliam nomine Faustina matrimonio sibi junxit, quæ in puerperio mortua est, relicta filia Faustina Posthuma, quam Gratianus duxit uxorem. Ex testamento Patris sui Thraciam, Asiam, Ægyptum & Orientem regendum nactus, in Oriente multa molitus est. Ibi dum toto novennio infelicitè rem gerit adversus Persas, literæ ad eum perlatae sunt, ex quibus intellexit, Vetrannium magistrum militum in Pannonia sibi imperium sumsisse: & Nepotianum, Constantini M. ex sorore Eutropia nepotem, Augustum se in Italia proclamari curasse, atque ad Romam, quam jam Magnentii præsidia tenebant, oppugnandam se convertisse.

S 2 *

Rever-

Reversus igitur Fl. Constant. Gallum patruelem, quia mascula prole carebat, Cæsarem creavit, eique Constantiam sororem, Megaeram quandam mortalem, ut Ammianus vocat, elocavit, & imperium adversus Persas illic locorum commendavit. Vetrannii postea exercitu ad se traducto, ipsoque Vetrannio de dignitate quidem dejecto, sed in gratiam recepto, tribus maximis in Pannonia præliis, in quibus pene numquam amplius Romanæ vires consumptæ, totiusque Imperii fortunæ pessumdantæ sunt, & in quibus nunc primum Christiani contra Christianos pugnaverunt, Magnentium cum utroque fratre ad eas angustias, ut sibi ipsis manus inferrent, redegit. Vix his patratis, adversum Alemannorum reges Gundomadum & Vadomarium, qui crebris excursibus Galliam infestabant, expeditio illi suscipienda erat. Cumque eos ad æquas fœderis renovandi leges traxisset, & interea intelligeret, Gallum Cæsarem in Oriente, post oppressos rebelles Judæos, tetra ac nefanda facinora conari, fastuque elatum & insolentia ætatis provectum, injustas cædes, bonorum publicationes, exilia innocentum decernere, ferroque succinctum noctu per tabernas & compita vagari, & quid de Cæsare sentirent sciscitari, maleque de se locutos interficere, evocatum illum, cum causam in Norico dicere jussus, deprehenderetur multorum criminum reus, subiectum securi ultimo affecit supplicio, comitesque mortis addidit plurimos, quorum consiliis Gallus usus fuerat. Inde a Galliis tumultus novus intonuit. Silvanus enim, peditum Magister, male habitus a Constantio insignia Augustalia Agrippinæ sumsit. Sed brevi oppressus est. Constantius ita seditionibus civilibus extinctis, cum se stolido fastu abripi pateretur, undique ab hostibus externis petitus est. Germani enim, Franci, Alemanni & Saxones, Gallias ingressi, Coloniam Agrippinam ceperunt & deleverunt, Augustodunum oppugnarunt, Lugdunum vastarunt, & ad tres Tabernas in Alsatia confederunt. Sarmatæ Pannonias hoc ipso tempore incurсарunt: Persæ Orientem turbaverunt. Tamen hæc discrimina superavit. Julianum deinde, fratrem Galli, Cæsarem creatum, novaque affinitate, data ei in uxorem Helena sorore, sibi devinctum, adversus Germanos ablegavit, optimo rerum eventu. Adornavit exinde novam in Persas expeditionem. Sed milites seditione mota Julianum proclamaverunt Augustum. Hic initio nomine Cæsaris contentus nihil præterea concupivit. Postea inimicitiis adversus Constantium susceptis bellum ei fecit. Constantius autem paulo post acuto morbo ad radices Tauri montis extinctus, imperium universum Juliano patrueli reliquit.



PHILIPPICUS BARDANES (a)



LOTICHIUS.

Cæsarea pariter de gente PHILIPPICUS ortus
 Crudus ad Imperii sceptrum superba venit.
 Sed tandem caris misere privatus ocellis,
 Et regnis exsul, carcere clausus obit.

HOFMANNUS.

*Heraclicidarum deleui stemma (a) thronoque
 Legitimum populi, non sine fraude, ducem.
 Mox perpeffus idem (b) luce & privatus utraque;
 Sum iusta expertus vindictis arma Dei (c).*

ENARRATIO.

Iustiniano (a) per Heliam decollato, Imperium invasit, ann. C. 711. (b) Post patrem enim cæsum, filium quoque, Imperii jam consortem, e templo abstrahi, & pecudis instar, gutture secto, interim iussit, qui sextus & ultimus ex Heracleonidis fuit. (c) A Bulgaris Thraciam, a Saracenis Asiam vastari passus, ann. 712. a suis tandem excæcatus ac in exilium pulsus est, ann. 713. Imp. altero. Paul. Warnefridus *lib. 6.* & Paul. Diaconus *Histor. Miscell. lib. 20.* Zonaras *tom. 3.* Cedrenus, Alii.

(d) Eo imperante, Aripertus II. Langobard. Rex, ab Asprando victus; in Ticino amne, *pondere auri & fluminis unda oppressus*, periit ann. 712. Sigonius *Hist. lib. 2.* Quantum ad *Ecclesiam*, Philippicus, Joanne Mon. seductore, Monothelitarum errorem amplexus est. Quod vero Sanctorum imagines abolevisset, excommunicavit eum Constantinus Papa, primus Pontificum, qui hæreseos intuitu summæ in terris potestati obedire renuit, ann. 712. hincque Ravennates, Joannem Exarchum sustulerunt, *eod.* Anastasius & Platina *Constantino*, Sigonius *de regno Italiae lib. 2.* Sabellicus, Ado Vien. &c. Onuphrius ipsum Imp. ob despectum imaginum, in suorum odium hincque necem, incidisse refert, apud Platinam citatum.

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

CUM Justinianus II. Chersonitis offensus, quod ab iis insidias sibi factas esse, verene an suspicionis vitio? meminerat, valida in eos classe missa, pæne omnes trucidari iussisset, Octobri mense anno 711. redeuntem classem immanis tempestas naufragio demersit, quo 73000. hominum perierunt. Justinianus tantæ cladis securus, cum id unum ferret ægre, quod in illa Chersonitarum strage parvulorum ab cæde miles abstinuisset, immiti & barbaro animo novam ad illos jugulandos classem eo direxit. Verum tam efferatæ crudelitatis odio commoti Principes *Bardanem*, qui deinde *Philippicus*, & in Num. ap. Beg. *Th. Br. T.* 11. p. 858. *FILEPICUS*, in aliis *FILIPPICVS* & *PHILIPPICOS* in *Cangei Byzantin.* mense Januario anni 712. renunciant Imperatorem. (vide laudatos in Justiniano II. Scrr.) hic natus est iv. Junii CPlī, sed quo anno, ignoramus. Pater illi fuit *Nicephorus*, vetusta origine Pergamenus, Vir primarius. Mater ignoratur, ut & Uxor ac Liberī. Huic privato Monachus Monothelēta Imperium ter prædixerat, Synodi sextæ abrogationem jurejurando interposito stipulatus. Begerus *l. l.* nummum exhibet, in quo hic Imp. diadematus habitu consulari & cum scepro aquilifero in sinistra, cum globo crucigero in dextra conspicitur, quasi respiceret imperiū prænuncium somnium, quo sibi visus esset, caput ab aquila sibi obumbrari. quid si esset habitus triumphalis? Hæc tamen vaticinia imprudenter a Bardane & confidentius Amiciis indicata, & ab his Apfirmaro, sive Tiberio III. enunciata, fecerunt ut Bardanes cæsus, tonsus, ac ferreis vinculis alligatus in Cephaleniam exsul mitteretur, a Justiniano II. restituto revocandus. Itaque dum CPolin rediens Chersonam venit, a miseris reliquiis Chersonitarum, desperatione in virtutem versa, illic novas res molientibus Imp. salutatus est: unde adversus Eum Justinianus misit Maurum Patricium Besum cum expugnandarum urbium instructo. hic cum turres duas prostravisset, factæ sunt induciæ; & Bardanes fuga ad Chaganum perrexit. Cum vero Classis, quia Chazari Chersonitis auxilio venerant, soluta Chersonæ obsidione, re infelicius confecta non auderet redire ad Justinianum, cujus crudelitatem omnes execrabantur, a Chagano Bardanes repetitus est, qui eum reddidit, his legibus: ne eum Bardanem proderent hosti; & ut viritum sibi Chagano, pro reddito Bardane, unum numisma persolverent. Sic infesta classis & Miles CPlin pervenerunt, eamque præoccuparunt, Justinianus vero Damastri, milliario XI I. ab Urbe, a suis militibus, suasu Heliæ, desertus, ab eodem capite truncatus est. Valde culpatur Philippicus, ut hæreticus, adulter, stolidus, ignavus, securus, prodigus. at ego putem nonnihil ex odio hæreticæ pravitatis virtutes illius obnubilari, quas habuit. Nam primo imperii sui anno Armenios expulsos coëgit habitare in Armenia quarta & Melitene, quo forsā respicit *Victoria Aug.* in nummo Beg. *l. l.* In dicendo erat disertissimus, nec prudentiæ expers. At revera fuit victima Odii Theologici, & Papalis arrogantiae. sane Monothelismo favit, & arguitur indixisse CPlī Concilium ex Oriente toto ad evertendum Concilium Oecumenicum VI. Verum ubi exstiterunt acta hujus Synodi? Sed esto, ejecto Cyro Patriarcha per Johannem

Monothelētam substitutum egerit conventum, & contra Monothelētas decreta infirmavit: jussit auferri imagines ex templis ob invalescentem iconolatriciam; sustulerit e porticu Templi CPtani picturas Patrum VI. Conciliorum, an VI. Concilii, a Justiniano II. collocatas: ideone Constantinus Papa easdem in porticu S. Petri debuit reponere, decernens, Imagines non modo habendas in templis, sed & summa veneratione colendas esse? ideone summæ in terris potestati, subtrahere potuit reverentiam & obedientiam, cum Petrus Apostolus I. 2: 13, 18. Regi qualicunque propter Dominum jubeat parere? ideone statim Imperator excommunicandus fuit, nomine Imperatoris, tanquam Hæretici, ad solennia Missarum proferri interdicto, aut publicis scriptis recipi, vel ejus effigiem ære, argento, plumbo, coloribus expressam admitti? ita quod in ipso fuit, & quod ante Constantinum Papam, Onusio ipso ad Platinam teste, ausus erat nemo, ob despectum imaginum, reipsa Philippicum Imperio exsult; unde etiam brevi post, cum ludis Circensibus natalitiis (hinc diem Ejus natalem supra collegimus:) 4. Jun. an. 713. Prasini vicissent, balneo publico Zeuxippi lavaret, & Senatores ac victores Circenses prandio adhiberet, & ab eo merediareretur, dormientem oppresserunt conjurati Rufus Buramphus, primus Stratorum, (qui fere hodie est *Marschallus supremus Aulae*;) & Theodorus Patricius, inde Eum in Oratorium Prasinarum abduxerunt, & nullo animadvertente excæcarunt. sic in carcere emarcuit. sed & hi proximis Sabbatis passi sunt, quod fecerant suo Imperatori, Theffalonicam in exilium missi. Valde deinceps Exccæcatio placuit Græculis, ut ineptos redderent ad munia obeunda, quos præesse nollent. Imperavit ultra 2. annos, Diacon. *H. M. l. xx.* qui ad Eutrop. *l. xviii.* an. 1. mens. 6. at Zonar. habet an. 2. & mens. aliquot. Ursperg. an. 2. mens. 9. quem sequitur Emmius: Alii addunt dies 7. Vide, præter laudatos, Anastas. Niceph. Suid. Theoph. Concil. *T. vi. an. 712.* ex Recc. Blondum, Sabellic. Egnat. Cluver. Baron. *ad an. 712. 713.* Spanh. *H. E. Sec. viii. c. 3. §. 3. n. 3.* Hoc imperante Aribertus, Longobardorum Rex, Alpibus Cortiis donavit Pontificem; solerti ingenio Princeps, dissimulata majestate passim explorare solitus; *quid de se, quid de judicibus populi sentirent; nunquam ostentare Legatis divitias aut rerum abundantiam; ne aliis de se, quam ipse sibi plus crederet.* Varnef. *de G. Long. vi. 25.* Saraceni an. 712. regnante Walide, sive Ulide Africam ad Oceanum usque occuparunt, Emiro sive Almirante, ut corrupte scribunt, i. e. Præfecto cum summa potestate, dato *Muca*. Hinc auspicio *Walidis* Chalifæ, duce *Taricho*, hortatu Juliani Comitis, cujus uxorem Rodericus Visigothus, totius Hispaniæ, ut & Mauritanie Tingitanæ ad fretum positæ Rex, adulterio (Alii: filiam; Alii Sororem stupro) polluerat, transierunt in Hispaniam. unde loco, in quo castra sua primum muniverat *Tarichus*, nomen hæsit: *Gebel Tarich* i. e. Mons Tarichi, & corrupte hodie *Gibaltar*, unde & freto adhæret appellatio. Vide Strukh. *H. S. T. p. 38. 39.* Forbes. *Inst. H. Th. iv. 17. §. 9.* Lucam Tudenf. in *Cbron.* Rod. Ximen. *de Reb. Hisp. l. iii.* Joh. Gothum *xvi. 27.*

FLAVIUS MAGNENTIUS.



MAGNENTIUM QUI CERNIS ÆRE DESCRIPTUM;
CERNIS TYRANNUM: CERNIS AD SCELUS QUODVIS
NATUM, PERIRE PROPRIA MANU DIGNUM,
TOT INNOCENTES CUM PERIRE JUSSISSET.

E N A R R A T I O.

CONSTANTE Imperatore occiso, milites conjurati Magnentium Imperatorem salutarunt. Quæ cum Romæ nuntiata essent, Nepotianus Constantini ex sorore Nepos, qui ante quatuordecim annos Consul fuerat, Imperium arripuit. Sed Heraclides Senator, factionis Magnentianæ fautor, populum decepit, factaque prodicione Nepotianum, simulans se ejus expetere colloquium, obtruncavit. Caput pilo fixum per urbis itinera deportatum est. Sic Nepotianus dies viginti octo saltem Imperatoris nomen habuit. Magnentius igitur dolo Imperator factus, Constantis nomine literas sub illius signo scripsit omnibus, qui vel cohortibus præerant, vel urbibus, eosque statim venire ad Imperatorem iussit; quos omnes in itinere cædi curavit, ne essent qui motum facerent. Constantius tunc temporis in Oriente adversam fortunam in bello Persico experiebatur. Itaque Magnentius ingenti cum exercitu Italiam petiit, & Mediolani aliquamdiu commoratus, fratres suos Decentium & Desiderium Cæsares fecit, & cum exercitu ad Hispaniam occupandam, & ut Gallias tuerentur, dimisit. Tota enim Italia & A-

frica jam erant sub Magnentii imperio. Constantius in tanto Imperii discrimine copias undique colligit, imperium defensurus, & Gallum patrualem Cæsarem facit, eumque in Oriente relinquit. Ipse cum exercitu in Europam revertitur, ut fratris cædem ulcisceretur. Sed ne Roma civili bello vexaretur, misit ad Magnentium qui ei nunciarent, si vellet arma deponere, Constantium ei Gallias concessurum. Verum non parente Magnentio, septuaginta millia hominum adversus eum duxit. His cum exercitu triginta millium Magnentius occurrit, cum quo Constantius ad Mursum in Pannonia acerrime conflixit. Et si autem victor fuit Constantius, tamen in eo prælio vires Romanæ ita ceciderunt, ut peregrinæ gentes, quæ postea in Italiam & Galliam infusæ sunt, reprimi non potuerint. Cæsa sunt enim in eo prælio ex duobus illis exercitibus contrariis supra 54000 præstantissimorum militum. Constantius cum ex tumulo, quem conscenderat, planitiem totam cadaveribus repletam vidisset, ingemuisse fertur, & iussisse cæsos omnes sepeliri, & vulneratos & ægros curari ac conservari. Interea Magnentius cum reliquiis cladis in Italiam fugit, ubi ad Ticinum Constantii duces vicissim fugavit. Sed cum a Romanis in urbem non admitteretur, in Galliam transcendit, ibique per fratres novum exercitum comparavit. Sed priusquam dimicationis aleam iterum subiret, legatos misit ad Constantium, rogans per eos, ut omissis provinciis Ducis titulo militare sibi liceret. Legatis nihil responsum est. Quod ubi Tyranni exercitus cognovit, plerique milites se Victori adjunxerunt. Magnentius itaque spe deceptus misit sicarium, qui Gallum confoderet; ut illo cæso Constantius, relictis rebus Hesperia, cogeretur Orientem petere propter Persas. Ubi hæc consilia fuerunt detecta, rursus Constantio se opponere statuit: sed magno prælio victus est. Tamen non succubuit, sed prælium instauravit. Tertio victus Lugdunum aufugit, ibique vires adversus Constantium reparare voluit. Sed illic a Constantii copiis obsessus amicos quosdam suos, quorum fides ei erat suspecta, occidit, & fratrem Desiderium vulneravit. Inde sibi manus intulit mense Imperii quadragesimo secundo. Hic finis fuit hominis perfidi, ingrati, & seditiosi. Decentius frater ejus ipse etiam laqueo vitam finivit: sed Desiderius ex vulnere revocatus ad Constantium accessit, veniam impetravit, & ab eo liberaliter exceptus est.



ARTEMIVS ANASTASIUS (a) II.



L O T I C H I U S.

Corripit Imperii fasces ANASTASIUS *Alter*;
 Dissimilis Proavis mente fideque suis.
 Excidit Imperio tandem, claustrisque receptus
 Cum Monachis duram fert miser inde necem.

H O F M A N N U S.

*Gustavi (b) fasces, sed mox ego tondeor (c), atque
 Bulgariam infidam (d) sentio, gesto crucem.
 Tum Saracenorum devicta Hispania (e) durum
 Suscepit collo promeruitque jugum (f).*

E N A R R A T I O.

Secretariorum (a) sub Philippico princeps, huncce Imperio male parto, male gesto, male exuit, ann. C. 713. (b) paulo post & ipse paulo molliori fortuna eodem exuendus. Urbe namque ad obsidionem præparata, cum classem contra Saracenos, duce Joanne Diacono, misisset, hoc Rhodi trucidato, miles rebellis Theodosium Quæstorem Augustum creavit, qui, Urbe capta ac direpta, Artemium (c) in Clericum tonderi, & Thessalonicam deportari curavit, ann. C. 715. Imp. 2. cum vero

is Justiniani II. exemplo (d) ad Bulgaros postea confugisset, ab iisdem Ledni Isauro traditus est. *Historia Miscell. lib. 20. Zonaras Annal. tom. 3. alii- que Auctores supra laudati.* Sub eo (e) Saracenis & Mauris, in ultionem stupratae a Roderico Rege conjugis, a Juliano Com. evocatis, praelio cruentissimo cecidit Rodericus, ac una omnis Gothica Nobilitas, & Hispania jugum Saracenicum subiit, ann. 714. Rodericus Tolet. *lib. 3. cap. 17.* (f) In Francia, post patrem Pipinum, Carolus Martellus Major-Domus fuit, eod. Paul. Æmilius.

Additamenta HENR. CHR. HENNIN I.

ANASTASII II. Imp. (qui boni ominis gratia hoc nomen assumpsisse videtur, antea *Artemius* dictus:) genus valde obscurum. Cpli natus creditur, Patre cive humili; Mater & Uxor & Liberi Ejus ignorantur hactenus. Fuit Vir omni doctrinae genere eruditus, & in rebus gerendis versutissimus, teste Zonara. ad Imperium pervenit per conspiratas suarum factionum partes ex cœcato Philippico, scilicet per Constantinum Papam excommunicato: licet politico stratagemate voluerit cædis inscius videri, punitis, jure talionis, illius sceleris administris. factus est Imperator ipso Pentecostes festo 5. Jun. an. 713. & frequentissima populi concione coronatus in magna Ecclesia Cpli. Uti artibus Papæ everfuserat Philippicus, ita *Anastasius* vicissim huic palpari. hinc statim missis Constantino Papæ Legatis confitebatur, se assentire VI. Synodi Canonibus; ac proinde Romæ Petrus Dux. Philippici portans imaginem, ob quam Romani seditionem moverant, eam sponte abiecit. Hoc ævo morem video invaluisse, ut ex Diacon. ad Eutrop. l. XVIII. colligo, *effugiem Imp. in Ecclesiam introducendi.* porro, literis per Scholasticum Patricium & Exarchum Italiæ missis, Papæ scripsit, „se fautorem & „defensorem Catholicæ Fidei; & Sancti VI. Concilii „lii prædicatorem, „ scilicet manus manum. plura non addo. notæ regnantium artes. Patriarcham Johannem, ut non Orthodoxum, amovit, & Germanum, a Constantino Pogonato quondam castratum, revocavit. Bellis infelix fuit, quia Exercitus corrupti seditionibus proximorum Imp. licentiam frænari ægre ferebant Saraceni dūce Musalma incursionibus Romaniam, deprædationibus Galatiam vexabant. itaque missis ad Walidem in Syriam Legatis, qui hujus consilia specularentur, simulabat, se quietem & pacem quærere Anastasius. Cum audisset in Phœnicia a Saracenis Alexandria eo vectis ligna peti ad fabricandas naves, quibus Cplin obsiderent, ipse Urbem muniavit egregie, ac horrea regalia instruxit frumentis; civibus imperavit, de comætu sibi prospicerent in triennium; qui re arctiori essent, emigrarent. porro classarios ire jussit in Syriam armatos igne marino, ut apparatus Saracenorum incenderent, præposito Johanne, Diacono magnæ Ecclesiæ & Generali Logotheta. nimirum hic Imp. captabat quovis modo Cleri gratiam: Jussit & Provincialium naves Rhodum convenire, & inde in hostem navigare. convenerant omnes: jubentur navigare; at classarii, insensu Imperatori, quod navales copias parum commode tractasset, imperium detrectabant; & Johannem, eorum contumaciam pro imperio severius castigantem, maledicta in Imperatorem, Papæ & Cleri mancipium, congerentes statim per seditionem confoderunt, partim domum, partim Byzantium, omisso ulteriore progressu, reverfi. hi iram Imp. veriti, in transitu Adramytti, Theo-

dosium Imp. fecerunt invitum, de quo deinceps dicemus. His Artemius cognitis classem parat, Urbem custodia munit, ipse (satis imprudenter) Nicææ Bithyniæ metropoli hærens. At Theodosius Cplin versus progressus semestribus praeliis Artemianos fatigavit, & tandem proditione quorundam per murum Blachernium admissus in Urbem, diripiendam permisit seditionis & auxiliaribus suis Gotthis Græcive, Germanum Patriarcham novellum ac Principes pro Artemio stantes constrinxit vinculis: Imperatorem ipsum, (gravi prius praelio apud Nicæam victum, ut Diacon. l. l. at in *M. H. & ap. Zonar.* legitur ultro, rebus suis diffusus, Urbe Cpli capta, sine praelio, perfusus a Theodosianis, salutis spem ostendantibus, se dedidisse:) Nicææ se tradentem, data illi fide, nihil mali futurum, pactaque ab eo salute, ejurato prius Imperio, tonderi Clericum, Presbyterum ordinari & Thesalonicensem in claustrum, tantum non pro exsule, secedere jussit. mos hic novus Reges per obtrusum Monachismum exauctorandi postea sæpe in usum venit, & transiit etiam ad Francos & alia Regna. Coacta hæc Imperii abdicatio contigit an. Chr. 714. (vel 715. ut Petavius colligit *R. T. I. 8:3.*) mense Septembr. nam, ut plerique tradunt, Imperavit annum 1. mens. 3. at tempus videtur non satis certum. Ursperg. ad an. 714. ait: *Anastasium regnasse an. 3. quosdam vero libros habere; Philippicum regnasse an. 2. mens. 9. Anastasium vero an. 1. mens. 3.* Petavius l. l. Cluverius, Hofmannus biennium integrum Ei tribuunt. nam, si Theophani credimus, translatio Germani Patriarchæ Cplin contigit indict. xv. quæ incidit tum in an. 715. Vide, præter laudatos. Platina in *(Constantino Papa, Baron. ad hos an.* sed valde super hoc Imp. Papæ mancipio pro more delicias facientem Hoc imperante obiit anno regni 14. *Ulid sive Walid*, Saracenorum Chalifa, Abdimelechi successor, filius (sive *Muhavie*, nam paulo confusior hic est Chalifarum ordo: consule Forbes. *Inst. H. Th. IV. 17. & 18.* sive) *Abedramonis*, ex stirpe *Marannia*, conditoris urbis metropolis & imperii *Marocci* in *Mauritania*; & qui primus adscivit nomen *Emir-el-mumenin* i.e. *Principis credentium* vel *Orthodoxorum*, quod Græci corruerunt in *αμειρομνηνς*, Latini in *Miramolinum*. vide Scalig. *Canon. Isag. l. III. in Not. ad Dynast. Arab. Scenit.* Forbes. l. l. IV. 15. §. 23. & 18. §. 3. 4. Hotting. *Hist. Or. II. 6. p. m. 450-452.* Primam originem hujus tituli inquit Patricid. *H. Eccl. p. 294.* hodie eodem gaudent Imp. Maroccani Fessanive, eodem modo, ut in Anglia, Francia, Hispania Reges audiunt *Defensores Fidei, Christianissimi, Catholici*. sub Walide; Principe Incluto, Saracenis accessit Africa litoralis ad mare Mediterraneum, interior Libya, Mauritaniæ & Hispaniæ. Strukh. *H. S. T. p. 38. 39.*

THEODOSIUS III. (a).



LOTICH IUS.

*Tertius exfulibus regimen THEODOSIUS armis
Pace bona, sed non gessit in Orbe diu.
Caussa, lubens siquidem cedit diadema LEONI,
Et vitam Monachos inter inermis agit.*

HOFMANNUS.

*Invito (b) diadema datum est, quod ponere rursus
Mox (c) statui, veritus te, Leo (d) magne, nimis.
Cœnobium (e) ingressus placidè hîc cum prole (f) quievi,
Et placuit cunctis plus ΥΓΙΕΙΑ (g) bonis.*

ENARRATIO.

A Dramyttenus (a) gente. (b) Obtrusum sibi a rebeli exercitu, ut diximus, Imperium, ann. 715. (c) deposuit, vertente anno, (d) metu Leonis Orienti præpositi, (e) & cœnobium ingressus Ephesi, (f) una cum filio, quem Leo captivum fecerat, reliquum vitæ tranquillius exegit. (g) Moriens vocabulum hoc, quod *Sanitatem* Latinis notat, tumulo suo inscribi iussit. Theophanes *ad ann. C. 707. & seqq.* Paul. Diaco-

Diaconus *Histor. Miscell. lib. 20. cap. 26. & 32. Nicephorus Breviar. Zonaras tom. 3. Cedrenus Hist. Compend. p. 173. Alii.*

Additamenta HENR.

THEODOSIUS III. natus obscuro loco, nam & Parentes Ejus ignorantur, *Adramyttii*, quæ est urbs Æoliæ litoralis, sive Myfiæ majoris, Melæ 1. 18. (olim *Pedafus*, Plin. *H. N. v. 30.*) vel Lydiæ, Scylax *Peripl. p. m. 88.* hodie Turcis *Edremi*, nautis Italis *Landemiti*, ex corrupto *L' Adremiti*. Ex Uxore, cujus nomen hæcenus ignoratur, filium sustulit, itidem ignoti nominis, qui paria Patri fata habuit. fuerat antea publicorum vectigalium exactor. A Classariis Anastasio II. rebellantibus obiter & quasi in transcursu per ludicrum 19. Aug. 716. ut putat Paul. Merula in *Thef. Temp. Belgico, ad h. an.* renunciatur Imperator. ille quidem fugam in montes latebras quæsiuit, ut purpuram vitaret, at isti inventum vi ad eam coegerunt. Zonara teste fuit Vir quidem bonus honestæque vitæ, sed ignavus (Diacono, *iners & idiota*,) & ad rerum administrationem, regni præsertim, minime idoneus. at Egnatio; *non pœnitendum Imp. egisset, si distinctius illi per Leonem & Cononem* (Zonaras ait: *Leo qui & Conon.* male itaque ex uno duos facit:) *Orientis Præfectos licuisset.* quin imo, *post obitum*, fama est, ipsum *miraculis inclaruisse*, Cedreno teste. Rationem, cur Iconolatri adeo laudetur, suppeditat Diacon. *ad Eutrop. l. xviii.* „quia mox a regno suscepto in regia urbe Cpli imaginem illam venerandam, in qua „sanctæ Synodi erant depictæ, & quæ a Philippico „fuerat dejecta, pristino in loco erexit, „taceo, ut Hæreticos idiota hic odio habuerit, nempe hos, qui Iconolatriam non probabant. Dux Orientis Leo, ab Artemio Saracenis oppositus, Ejusque partes secutus minime probans a Classariis seditiosis factum per vim Imperatorem, Artemioque suppetias laturus, suffragantibus quoque Armeniis, mox Cplin festinavit, & obiter Nicomediæ Theodosii filium cum instrumento regio captum Chrysopolin abduxit. Pater autem conspicatus suas vires tanto impares fastigio, Leonis vero virtutem Saracenis terrori, Exercitibus vero reverentiæ esse, pertæsus belli civilis, de consilio Senatus & Patriarchæ Germani, per hunc Eundem a Leone, qui tum temporis Chrysopoli erat, accepta fide, nihil in se filiumve consultum iri gravius, & Ecclesiam sine perturbatione servandam, semet ultro ipse purpura exfuit, ac ipse & filius in Monasterio Ephesi reliquum vitæ tranquille exegerunt, Pater Deo gratias agens, quod, „ex tam alto præcipitio adeo leniter ac il- „læsus descendisset, olim in purpura servus, „tantum „non vinctus, nunc liber sui que juris, „Filius professus, „sibi potius, quam aliis imperare, se discere, „Diacon. errat, cum *l. l.* ait, *defuncto Theodosio successisse Leonem.* facta est abdicatio, si Rupertus *ad Befold. c. 15. p. 591.* recte putat, circa 25. Mart. an. Chr. 717. Vide hic porro Varnef. *H. L. vi. 36.* Anastas. Bedam *de rat. Temp. Cluver. in Theod. iii. Baron. ad h. an.* Hoc imperante, teste Diacono *l. l.* *ita Tiberis fluvius inundavit, ut alveum suum egressus multa Romana fecerit exitia civitati, ita ut Via Lata ad unam & semis staturam excresceret, atque S. Petri usque ad Pontem Milvium aqua descendentes contingerent. mansit autem diebus vii. donec, agentibus Litaniis crebras civibus, octavo demum die reversa sunt.* Musalmas (al. Musaldas, vel Malsamas:) Saracenus Pergamum cepit. nam cum oppidani, instinctu Magi cujusdam, dissecato mulieris civis partui vicinæ utero foetus extracti

CHR. HENNIN I.

sanguine dexteram inunxissent manicas, eumque foetum in cacabo coxissent, nefariæ impietatis pœnas iusto Dei judicio victi exsolverunt, narrante Diacono *H. M. l. l.* Quoniam Hispania in Saracenorum potestatem pervenit, paullo altius de ea quædam repetemus. Hispani sub Tyriis & Carthaginiensibus fuere usque ad an. ante Chr. 214. Hinc incipit Romana dominatio, usque ad an. Chr. 409. quando a Romanis, Vandalis, Alanis, Suevis, Visigothis direpta est: an. 476. Romano Imperio extorta est & cessit plane Gothis Suevisque. initia regni Suevo-Gothici variant, annis 407, 411. 443. diversi diverse assignant. Suevorum regnum defuit an. 585. stetit 177. annos. hinc Gothi soli regnant: aut verius Cintila an. 621. primus Hispaniæ monarcha fuit, pulsus omnino Romanis. Hispani ipsi Gothorum Reges incipiunt numerare ab Athanarico; male quidam ab anno 343. sub Constantio. melius Alii ab anno 5. Valentis, ætæ 407. Hi Gothi erant oriundi ex Scandia sive Germania magna. Reges Gothi succensi æmulatione post tot victorias nomen *Flavium* Principum Romanorum assumsunt, non vero ob sanguinis communionem: *Catholici* titulus *Recaredo* in Concilio Toletano III. concessus putatur; alii ad Alfonso, Regem Legionis, Pelagii Generum, an. 734. referunt, quod Arianismum eradicarit. destructum est hoc Regnum an. 713. non, ut Alii, 712. Saracenis Maurisque ex Africa trajicientibus Julianus Mauritanæ Tingitanæ Comes eos sollicitarat. causa, libido Roderici Regis in Juliani Uxorem, sive Sororem, sive Filiam, diversa enim hic tradunt Hispani, deflagrans. putidum est enim commentum, tantæ calamitatis causam arcescere a Palatio illo Toletano, tamdiu semper clauso, seris pluribus munito, contra Procerum voluntatem aperto. Auspex expeditionis fuit Walid, & qui huic successit, Chalifa Zulcimin, qui Aliis Suleiman, Abdimelech F., sive, ut Alii, Walidis Fr. Dux fuit Tarichus. Rodericus maximo Exercitu coacto patrelem suum Enecorem, sive Ignicum, misit contra Saracenos, qui sæpius infelicitate congressus interneccione deletus est, Taricho urbes, vicos, agros late deprædante, & ingenti cum captivorum turba in Africam redeunte. Mucas, Africæ Emiras ad Zulciminum salutandum veniens ei Hispaniæ res narravit: hoc ille nuncio, imperii in immensum propagandi cupiditate incensus, Tarichum majoribus copiis jubet rursus trajicere in Hispaniam. trajicit & Rodericum post obstinatam octo dierum pugnam vincit, infinito cæsorum numero, suorum tantum 20000. extinctus omnis equitatus Gothicus, fractæ vires Hispaniæ, 14. mensium spatio, Opasio, Sibilæ Metropolitano, populos ad deditionem cohortante, pacta Sacrorum Christianorum libertate, tota subacta est. Hæc concinnavimus ex Isidor. *Chron. Blondell. Geneal. Franc. Chifflet. Vind. Hisp. Rod. Santio Hist. Hisp. ii. 37. Rod. Tolet. de reb. Hisp. ii. 1. & iii. 17. Marinæo Siculo de reb. Hisp. l. viii. Vafæo Chron. Hisp. c. 15. Andr. Resend. Epist. ad Ambros. Moral. & hujus Epist. ad Resend. Didac. Saavedra Coron. Goth. Alfonso a Carthagina Anaceph. c. 47. Mich. Ritio de Regno Hisp. lib. 11. Luca Tudens. ap. Baron. ad an. 713. Strukh. *H. T. S. p. 39. 43. Paulo Hachenberg. Nobil. Controv. ex Hist. Hisp.**

LEO III. ISAUROS (a).



LOTICHIUS.

Exstitit in plures atrox LEO *Tertius* annos,
 Arma movens ipsis pæne nefasta Deis.
 Namque sacros ritus simulacraque sacra profanat,
 Turpibus hinc alvi fæcibus, ecce! perit.

HOFMANNUS.

Virtute (b) *Imperium* nactus, *virtute* (c) *guberno*,
Pello hostes (d), *templis* & *simulachra* (e) *sacris*.
Pontificum hinc iræ (f), *via Francis* facta (g), *tumultus*
Italici (h), *quos dum vindico*, *fata* (i) *vocant* (k).

ENARRATIO.



Gente, (a) *Imperatorum Isauridarum* caput, (b) inter familiares
 adscitus Justiniani, atque ab eo Abasgis domandis in Alaniam mis-
 sus, extinctoque ipso & Philippico excæcato, Orienti Rector da-
 tus ab Artemio, hoc amoto, favore militum ad Imperium emer-
 sit, ann. C. 716. (c) animi inprimis magnitudine & fortitudine
 inclytus. (d) Suleimanis Caliphæ classē, urbem gravi obsidione
 prementem, ingenti prælio commisso, incendit ac dissipavit: O-
 marumque successorem ejus ad reditum compulit, ann. 718. 720. dum interea
 missu ejus Paulus Chartularius Gregorium, qui in Sicilia fasces corripuerat, vicit
 T neca-

necavitque. (e) Postea invalescente imaginum in sacris usu ac veneratione, edictum *de iis abolendis* promulgavit, ann. 724. (f) quæ res ei *Iconomachi* nomen & ingentes Ecclesiæ turbas peperit. Ob id enim a Gregorio II. *ad juvandam rudis plebæ memoriæ*, illas posse retineri censente, ac decernente, conventu in Laterano coacto, excommunicatus, ann. 726. Romæ insuper Italixque proventibus privatus est, qua occasione Romani, relicto Imperatore, se Pontifici submisere, ann. C. 730. nec juvere multum hujus per Siciliam & Calabriam reditus vicissim ab Imperatore retenti, ut quem Saraceni crebris excursibus a justa ultione retraherent. Sic novus in Occidente dominatus surrexit, quem insigniter stabilivit Gregorius III. omnibus imaginum oppugnatoribus, nova Synodo a communione exclusis, ipsoque Leone solemniter detestatione damnato, ann. 732. (g) inito insuper cum Francis foedere, quo Romanam (h) Italiamque a Græco imperio abscindere parabat. Nec successus defuit. Classis namque contra Italos missa ab Imperatore, in mari Adriaco, tempestate disiecta ann. 735. sicque Imperium Romanum ad Francos mox translatum est. Vid. infra. (i) Obiit, ann. C. 741. Imp. 24. m. 2. præcedente ingenti terræmotu, quo Constantinopolis & Asia intremuit. Paul. Diaconus *Histor. miscell. lib. 21. cap. 9-13. 23. 26.* Paul. Warnefridus *de Gestis Langobard. lib. 6. cap. 49.* Zonaras *tom. 3.* Cedrenus, Sigonius *de Regno Ital. lib. 3.* Blondus *Dec. 1. lib. 10.* Alii. (k) Ejus principatu, Luitprandus Ansprandi fil. Langobardorum Rex Ravennam, Paulo Exarcho ademit, sed Venetorum astu mox iterum amisit, ann. 727. In Hispania, post cladem Roderici, de qua supra, & Westgothorum regnum deletum, Astures soli Cantabrique contra Saracenos invicti hæctenus perstiterunt. Hos itaque Pelagius, ex regio Gothorum sanguine, ob vim filix suæ a Præfecto Saraceno illatam, contra Saracenos excitavit, atque Rex ab iis assumptus, prælio contra hostes victor, dynastiam alteram Regum Asturiæ & Legionis condidit, ann. 717. Garcias dein Ximinius, Gothus itidem, Navarræ & Suprarbiæ Rex factus est, ann. 724. In Francia Carolus Martellus res egregie gessit, ann. 717. & seqq. cum Luitprando amicitiam coluit, atque ab eo adjutus Saracenos ab Eude ex Hispania evocatos ingenti prælio vicit, ann. 725. contra eosdem felix, ann. 731. coërcuit porro Saxones, ann. 723. Suevos & Bojos, ann. 727. Frisios, ann. 734. iterumque Saxones ann. 740. Fredegarius *Append. ad Gregorium Turon. cap. 106. & seqq.* quo ipso *Christianissimi* titulo illum donavit Gregorius III. Baronius *Annal. tom. 9. p. 125. 131. & 132.* sicut paulo ante Alphonfus, gener Pelagii præfati, Saracenis attritis ac Christianismo reducto, *Catholici* cognomen emeruit, ann. 738. Valsæus *Chron. Hispan.* In Polonia, floret Venda regina, Craci II. soror virgo, circa ann. 730. & Ritigero, Germano principe, superato, se in Vistulam præcipitat, circa ann. 740. Michovius *Histor. Polon. lib. 1. capp. 5. & 7.* Cromerus &c. Quoad res *Ecclesiæ*, Imaginum negotium acriter ferbuit. Luitprandus donationem Alpium renovavit, circa ann. 725. Inas West-Saxonum in Anglia Rex, regnum suum Papæ fecit vectigale, quaque domo iussa pendere aureum nummum S. Petro, qui *denarius Petri* hinc dictus, ann. 727. Polydorus Virgilius *lib. 4. p. 118.* Henr. Huntingdon. *Histor. lib. 4.* Alii. Circa eadem tempora floruit Joannes Damascenus, in aula Damascena clarus, imaginum strenuus propugnator: Beda item Presbyter, qui Ceolvulfo Northumbriæ Regi Historiam suam dedicavit, ann. 731. Vid. eum *Historiæ Eccles. præm. & lib. 5. cap. 24.*

CONSTANTINUS(a) V. COPRONYMUS (b).



L O T I C H I U S.

Tu quoque non modico sævisti tempore *Quinte*
 CONSTANTINE bonis pestis acerba Viris :
 Indomitus ferro sed dum grassaris & igne,
 Ecce! peris morbo, scilicet igne sacro.

H O F M A N N U S.

Defuncto genitore (c), ejus vestigia (d) pressi,
 Et castâ (e) colui relligione Deum (f).
 Principe me Exarchos (g) pepulit præclarus in armis
 Aistulphus, Francos jam nova scepira (h) manent (i).

E N A R R A T I O.



I Eonis (a) fil. (b) Quod sacrum fontem ventris onere, cum infantulus baptizaretur, fœdaverit, sic cognominatus: ut ex caballarum æstimatione sordium *Caballinus*. Ab adversariis tamen hæc conficta censent alii, ut cui etiam dogmata blasphema tribuerunt, a quibus constat eum fuisse alienissimum. Sic venerandum B. Mariæ nomen ab Ecclesia illum expellere voluisse, scribit Theosterictus: cum tamen Patres Concilii, ejus jussu contra Imagines convocati atque ab illo approbati, eam vocent *inculpatam & supergloriosam Deiparam Dominam* &c. (c) cui successit, ann. C. 741. (d) Iconolatras graviter insequutus, (e) Synodo convocata Constantino-

poli, ann. 754. Monothelitas denuo damnavit, Imaginumque in sacris usum omnem sustulit, *eo quod Christus non tantum humana, sed & divina natura constet: Divina autem pingi non possit; Humana, cum sit exaltata, prout & Sanctorum, coloribus exprimi nequeat*, Zonaras tom. 3. & Cedrenus *Histor. Compend.* V. quoque Chemnitium *Exam. de Imagin.* (f) Hinc magnæ subditorum parti exosus, dum bello Saracenico distinetur, Artabasdum affinem suum, adnitente Anastasio Patr. rebellem sensit; sed tandem victum captumque excæcavit, Anastasio severe itidem punito, ann. 743. Saracenos dein in Asia superavit ac in Assyriam usque persequutus est, ann. 746. Bulgaros quoque coërcuit, ann. 763. hæc in Oriente. (g) In Occidente vero, pulso Eutychio, ultimo Exarcho, Ravennam aliasque urbes occupavit, & Exarchatui finem imposuit Aistulphus Langob. Rex, ann. 752. quem idem, a Pipino Caroli Martelli fil. postmodum Papæ Stephano II. cedere coactus est, ann. 755. a Constantino, missa Legatione & egregiis muneribus (inter quæ *Organum musicum* in Occidente hucusque nunquam conspectum) ad Pipinum Reg. frustra repetitum. (h) Pipinus hic, Carolomanno fratre monasticam vitam amplexo, Franciæ regnum affectare cœpit: igitur Zacharias Pontifex, ejus opera, adversus Langobardos & Imperatorem usus, Childericum III. Franciæ Regem ultimum è Merovingis, regno exui, utpote in luxum & inertiam jam diu Francorum Regibus prolapsis, & Pipinum inungi jussit, ann. præfato, 752. (i) Obiit Constantinus, ann. 775. Imp. 34. m. 3. Theophanes, *ad ann. C. 733. 754.* Paul. Diaconus *Histor. Miscell. l. 22. cap. 12. & seqq.* Zonaras tom. 3. Cedrenus, Nicephorus, Alii. Sub eo, Abugepher Elmantzur Califa Seleuciam reædificatam *Bagdet* vocavit, ann. 762. In Hispania, fuso Juzapho a Froila Alfonsi fil. Miramolino Babylonio regnum illud vestigale esse desiit, circa ann. 757. Vassæus *Chron.* In Francia, Pipinus Carolovingorum dynastiam erexit, Parlamentum instituit, Pontifici se gratum præbuit, ut dictum. Ejus successor, Carolus fil. à rebus gestis *Magnus* appellatus, ut videbimus, a quo *Carolidarum* seu *Carolovingorum* familia nomen & auspicia duxit, Desiderium, qui Aistulphum excepit, ultimum Langobardorum Reg. quod Pontifici gravis esse non cessaret, ad deditionem compulsus, in Galliam misit, ac Langobardicum regnum delevit, ann. 774. & universa Italia, dempta Neapoli, cœterisque quæ Siciliam spectant, potitus, coactaque Romæ synodo, *Patricius* creatus, ac lege cautum est, *ne quis, nisi a Carolo laudatus, probatusque accipiat Episcopatum*; ann. 775. Eginhardus *Vita Caroli.* In Hungaria, altera Hunnorum dynastia, sub Ducibus incepit, ann. 744. Jornandes *de Rebus Goth.* Turci, è Caspiis portis eruperunt, ann. 764. Paul. Diacon. ubi supra. In *Ecclesia* continuata Imaginum lis; Constantinus, a Monachis irritatus, in primis Andrea Calybite, in Iconolatræ acrem se præbuit Monachisque conjugium imperavit, ann. 765. Romæ, post Gregorium præfuit Zacharias, de quo diximus: hunc Stephanus II. itidem supra memoratus excepit, qui primus *humis portatus est & plumbo signare* cœpit, ann. 755. Platina *in eo.* Ejus successor Paulus I. dein Stephanus III. Constantinum II. Papam exussit, Cæsarem excommunicavit, decretisque Synodi illius abrogatis, Imaginum cultum stabilivit, ann. 768. Anastasius *Biblioth. in eo*, & Marian. Scotus *ad ann. 767.*



FLAVIUS VALENS.




PRÆFERT VALENTI CHARTA, NOMEN INVISUM
 SUPERIS ET ORBI, QUEM PREMIT FERA MENTE.
 DEUS SUPERBUM SEQUITUR ULTOR A TERGO,
 VORANTIBUSQUE DELET IMPIUM FLAMMIS.

E N A R R A T I O.

F L A V I U S V A L E N S Imperatoris Valentiniani fuit frater. Hinc necesse non est ejus genealogiam repetere. Natus est in Pannonia anno 328 post Christum natum. Uxorem habuit Albiam Domitiam, vel Dominicam, callidam & astutam feminam, sed hæresi Arianæ addictam: adeo ut etiam marito blandimentis suis persuaserit, ut a vera religione deficeret, & Arianismum amplecteretur. Ex ea suscepit filium, & duas filias: Galetem in primis pueritiæ annis emortuum; Anastasiam & Carolam, quæ postea nupsit Procopio tyranno. A fratre Valentiniano imperii consortium accepit, Orientalibus provinciis ad Illyricum usque præfectus, retinente sibi ipsi Valentiniano reliquas, quæ in Occidente erant sitæ. Ut vero Valentinianus orthodoxiam juxta Symbolum Nicænum pie professus est, ita Valens, ut diximus, perfidiæ se dedit Arianæ, & Catholicos acerrime divexavit. Cui impietati dum in Asia incumbit, Procopius Cilix, Juliani cognatus, collectis in ipsa Constantinopoli per absentiam utriusque Imperatoris copiis, regia occupata, se magno favore populi Augustum professus, auxiliisque Gothorum

rum & consiliis Eugenii eunuchi tota Bithynia potitus, tantas in angustias redegit Valentem, ut in Galatiam reversus, de imperio consilia ageret deponendo. A ducibus tamen suis confirmatus, postquam copias ex Germania subsidiarias evocasset, prælio cum Procopio in vicinia Sardium congressus, voce Augusti, quam tesseram militibus suis dederat, sæpe cum magno clamore ingeminata, exercitum hostilem ad se traduxit. Procopium sui milites e fuga retractum ad supplicium produxerunt, & crudelissime necaverunt. Quo facto Marcellus quidam, Procopii cognatus, agens cum militibus apud Nicæam, tyrannidem arripuit; sed & ille captus & occisus est. His e medio sublati Chalcedonem cepit, & muros ejus diruit, quod Procopii partibus adhæsisset, & se contumeliis affecis-
sent. Exinde bella difficilia gessit contra Gothos, cum quibus sæpe dubio Marte pugnatum est. Miserat quidem ad eos oppugnandos Trajanum ducem præstantissimum cum validissimo exercitu. Sed res cecidit prorsus infelicitè. Nam Trajanus a Gothis victus & profligatus est. Interea ipse Constantinopoli commorabatur, exspectans eventum belli, quem, ubi rumor rei infelicitè gestæ ad eum pervenit, impatienter tulit, ignaviam & timiditatem Trajano objiciens, ac si Vir summus male functus fuisset officio. Deinde ipse contra Gothos expeditionem suscepit, sed pari fortuna. Namque Gothi, missis frustra ad Valentem legatis, qui de pace cum eo agerent, ex insidiis equitatum ejus aggressi sunt & vicerunt, peditesque in angustias coegerunt & trucidarunt. In hac clade desiderati sunt multi præstantes viri, tertia vix parte exercitus fuga elapsa. Ita desertus a suis armigeris neminem habuit, qui eum tueretur. Adeoque sagitta vulneratus in casam quandam munitam deportatus est. Qua obsessa, cum qui intus essent, valide se defenderent, tandem Gothi ignem injecerunt, ac ignorantes Imperatorem ibi esse, ipsum imprudentes cremarunt. Id hostibus nunciarunt qui ex incendio fugientes capti sunt. Ita vitæ male actæ, & injustæ sævitæ, quam adversus Orthodoxos exercuerat, pœnas dedit. Extinctus est anno 378. ætatis 50. cum imperasset annos quatuordecim, menses quatuor, dies novem.



LEO (a) IV. PORPHYROGENNETUS (b).



L O T I C H I U S.

Nequitia Patribus LEO *Quartus* in ordine suppar,
 Nec dignus mica laudis in Orbe fuit.
 Qui dum torpet iners & inania pleraque tractat,
 En! simul igne sacro non sine febre perit.

H O F M A N N U S.

Patris avique (c) acrem sectati, Numine, zelum,
Afflante, in pictos sæviit ira Deos.
Post sex Imperii effluxos feliciter (d) annos
Deposui vitam (e) non sine laude meam (f).

E N A R R A T I O.

LEO (a) Constantini V. jam vivo illo consors Imperii, Patri successit ann. C. 775. (b) quod puerulus *purpuram* induisset, sicut & pater, id cognominis nactus. (c) Utriusque ingenium retinuit Leo, & venerationem Imaginum mysticam idololatriam ratus, eam in aulicis ipsaque conjuge Irene damnavit. (d) Nicephorum fratrem cum sociis rebellibus oppressit, ann. 776. Telericum Bulgarorum Regem, a suis pulsum, in fidei communionem, ac affinitatem, elocatâ ei Irenes Aug. consobrinâ, assumpsit, ann. eod. Saracenorum in Syria Amiras quinque, & 6. mill. Arabum

bum occidit, ann. 779. (e) Obiit, post coronam è templo Sophiæ sibi impositam, febris correptus, ann. C. 789. Imp. 5. Paul. Diaconus Aquileg. qui tum floruit, *Hist. Misc. lib. 23. c. 3.* Zonaras *tom. 3.* Cedrenus *p. 185.* (f) Sub eo, Carolus Francorum Rex, contra Saxones multa præclare gessit, eosque destructis passim illorum idolis ad fidem adegit, Witekindo Rege ad socerum Danum profugo, ann. 776. in quo bello qui fortem navassent operam, Nobiles creavit, ac de publico sanxit alendos. Idem Saracenos in Hispania devicit, ann. 778. Eginhartus *Vita illius*, Regino, Marianus Scotus, Alii.

Additamenta HENR.

Isauridarum Imp. Genealogiam jam dudum enarravit Elias Reufner. in *Genealogico Romano p. m. 96. 97.* natus est, ut quidam volunt, juxta CPlin, in villa, cui *Porphyre* nomen, unde nonnulli arcessunt quoque *Porphyrogeneti* cognomen. Diacon. *H. M. xxii. 2.* ait natum viii. Kal. Febr. Indictione iii. anno Imperii Paterni ix. ergo 25. Jan. an. 750. Mater ei fuit *Irene*, filia Chagani, i. e. Chami sive Chani seu Principis Cazarorum, seu Avarum, in Taurica Cherfonefo, ubi & hodie Tatai Crimenses ac Precopenfes suos Chahanes habent: vide Leunclav. *Pand. Hist. Turc. num. 3. p. m. 198.* (Zonar. xiv. 24. *Chazariam* circa Danubium ponit, a Scythis Avaribus, & horum vicinis Chazaris habitam. Theophan. *p. 264.* ait esse eosdem, qui post *Turci.*) Nomen *Irenes* ex baptismo habuit, nam Leo Isaurus eam Christianam fecit, ac Constantino F. collocaverat an. 16. imperii, Chr. 732. *Chazaræ* nomen illi a Gente populari est, (unde & ipse *Leo* quandoque *Chazarus* cognominatur.) *Helena* quidam addunt ob dignitatem & omen, quasi dicta fuisset *Helena Chazara Irene*. Fratres habuit 1. *Nicephorum* & 2. *Christophorum*, a Patre an. 769. 3. April: factos *Nobilissimos Cæsares*: 3. *Nicetam*, eodem die factum *Nobilissimum Puerum*: 4. *Anthimum*, an. 773. 18. April. (Alii 1. Maj.) factum a Patre *Nobilissimum Puerum*: 5. *Eudocimum*, an. 776. 14. April. a Fratre Leone creatum *Nobilissimum Puerum*. at hi omnes postea artibus imperioissimæ Irenæ. Viduæ Leonis hujus, sub specie conjurationis, tonsi, sacerdotes per vim creati, & in Monasterium intrusi sunt; deinde tres priores, ejusdem Furie infernalis artibus, per Fratruelem Constantinum VI. excœcandi. Uxor illi fuit *Irene Attica*, a Patre illi data an. 770. & coronata Augusta in Triclinio Palatii 16. Kal. Jan. Hæc mulier fuit vera Erynnis, profundæ ac immensæ in regnando libidinis, simulandi ac dissimulandi artifex, jus & fas, sacra, profana, sanguinis jura, matris nomen, regnandi gratia violans, sed Iconolatris laudatur, ob restitutam scilicet Iconolatricam. Hoc fatum habuere omnes Principes Iconomachi, ut ab Iconolatris Historicis depingerentur nigerissimo carbone, quamvis fulserint suis virtutibus; e contrario autem Iconoduli & Xylolatæ Principes, licet omnibus vitiis cooperti & infames, summis in cœlum laudibus confecerentur. Hinc ista Cerberi infernali spuma pronus in mendacia Græculus Iconolatra Suidas cum sociennis desput, & allatrat hujus Leonis Patrem Constantinum, ut *versutam pardalim, de serpentino semine aspidem atrocem & serpentem volaticum, eximium organum Præceptoris Diaboli, Veneris cultorem, humanarum hostiarum immolatorem: Magum, Daemonum invocatorem, Antichristum, Blasphemum, Hæresum omnium Patronum, Atheum, Monstrum, Neronem; nam Copronymi & Caballini, calumnias, ut minores, omitto.* Cur autem hæc ex Styge sputa Eum petiverunt? Suidas ait, quia lege fanciverat: 1. *ne quæ Sanctus diceretur.* 2. *ne eorum Reliquiæ colerentur.* 3. *ne Sanctorum intercessio peteretur, ut pote inanis.* 4. *ne quidem Maria: 5. quæ post partum ceteris mulieribus esset equalis.* O gemmæ veræ Fidei! vivat memoria optimi Imp. qui ob hanc patitur! putrescat memoria Iconolatrarum Calumniatorum! at *Irenes*, Ulyssis illius stolati, & immoderatæ ambitioni donantis favorem Iconolatricæ, perfidæ illius Furie, parricidium in Filio perpetratum, quale Cœlum ipsum & Natura omnis cohortescit; laudat tamen, o dedecus & pudor Christianismi! purpuratus Annalium Conditor Baron. *ad an. 796. n. 8.* Tantum imagines possint suadere malorum! ex hac Erynnide *Irene Leo IV.* insulit *Constantinum* filium, qui illi successit. At quia *Leo* in reprimendo Imaginum cultu, qui jam parum ab Idololatria differebat, Patris & Avi vestigia sequebatur, hinc itidem ab Iconolatris & Xylodulis memoria Ejus laceratur impudentissime & malignissime. hoc faciunt Zonaras, Cedrenus, Diaconus, cæterique Imaginum adoratores. Verum

CHR. HENNIN I.

vituperari a talibus tali de causa, est laudari! miror autem imprudentiam & obtusa pectora quorundam, qui puriora sacra sequuntur, & tamen Græciam mendacem secuti Imp. Iconomachos audent contemnere; nollem talia excidisse optimo Bœclero in *Reb. Sac. ix. & x. p. 29. 30.* quibus atrociora ne quidem Jesuita Petavius *R. T. l. viii. 6.* habet. *Leo IV.* coepit imperare anno æt. 26. Chr. 775. 14. Sept. Cum Constantinum F. petente populo, ipso Paschatis festo, 14. April. an. 776. Imperii consortem coronaret & declararet, probe gnarus instabilitatis & perfidiæ mortaliū, prius non est suffragatus, quam publice jurati promitterent Senatores, Milites & omnis Populus, *Se nulli, quam Sibi, Filio, & Sui progeniei parere velle.* At o fluxa fides Græculorum! imo vero nullius religionis vinculis perfidia, ambitio, regnandi libido compesci potest, ut apparuit, dum quidam Nicephorum, Leonis Fr. ad invadendum Imperium hortantur, deinde a mitiore Imp. Tonsura & exilio Cherfonam tantum multati. Jam audi venena odii facti: Amorem Cleri, quo eum sibi conciliare initio studebat, vocant hypocrisin; Liberalitatem Ejus vocant prodigalitatem; Victoriæ ab Arabibus & Saracenis reportatæ insultantibus, hos tantum irritant. Gestis adde, quod an. 778. Jacobitas Syros magna copia in Thraciam transtulit per Colonias, ne Saracenis paterent. an. 779. potentissimum Arabum exercitum sub Asacho, vindicandæ cladis cupidine accensum, qui a Madio, Manzuris F. missus Dorilæum usque insultabat, non vi, sed prudentia, subtrahendo undique commeatu, & in urbes conveſto munitas, re infecta & amissis aliquot millibus coegit retrocedere. hinc an. 780. Madius Arabum Dux vehementer sæviit in Christianos passim per Syriam. *Leo IV.* Imaginum adoratores obstinatos quosdam Aulicos & Monachos cædit & in carcerem conjicit, totidem inde Martyres Iconolatris. eodem anno Ithumas ab Aarone Madii F. & Duce in Asiam mittitur cum 50000. at eum Ithuman devicit, Ejusque Fratrem jugulavit Michaël Lachanodraco, Leonis Dux. Mors Leonis IV. incidit in 8. Sept. an. 780. æt. 30. causa ab Iconolatris affertur, quia gemmarum studiosus radiantem lapillis coronam, in Majori Ecclesia a Mauricio olim dedicatam, (*Dicite Pontifices, in Templis quid facit aurum?* quæsit olim Gentilis poëta, & ego cum illo:) inde detrahendam suo capiti imposuit. hoc sacrilegium poenam divinitus statim esse secutum; erupisse ex capite carbunculos, hinc natam ardentem febrem, quæ brevi Eum extinxerit. Medici hic multa quærere possunt, sed taceo. imo boni Iconolatæ, ut nostra quoque ætas talia portenta vidit, venenis illitam coronam ei tradere potuerunt, non ignara Irene, regni cupidâ, quæ coronam deinde sacrerrimam ambitione retulit in Templum. scilicet Marito parceret, quæ regnandi libidine percita, Filium ipsa suum excœcatum necavit! interim carbunculos tacent Zonaras & Ursperg. Videant vero Iconolatæ eadem fata Pauli iv. ap. Platinam. Diacon. *l. l.* Regni an. 5. dies 6. Zonaras an. 5. numerant. sed facilis est putatio. Adde laudatis omnino Spanhem. *Hist. Imag. & H. E. N. T. Sec. viii. c. 7. & 9.* & Cluver. *Saracenorum Res sub Omare II. Jezide II Evelide*, (sub quo an. 730. Malfamas ingentibus copiis Caucasia claustra ingressus primum omnium cum *Turcis*, qui & *Unni Tenzazita* i. e. Gentiles tunc vocabantur, intra eos montes degentibus, ferocissimis populis, cruento utrinque prælio per integrum diem dimicavit, donec tandem nox, victoria incerta, eos dirimeret.) Jezide iii. Muhammede Abubala, Abedela, (vel Habdalla,) Madio, Mose, Chalifis; vide apud Strukh. *H. S. T. p. 41-59.* Forbef. *Inst. H. T. b. IV. 17.* Turcarum initia & progressus (qui an. 762. Portis Caspiis effusi Armeniæ primum incubuerunt) ap. Strukh. *l. l. p. 45-50.* Forbef. *l. l. iv. 19.* Leunclav. *Pand. H. T. n. 22.* *Hist. Musulm. l. i. Carion. Chron. in Romano Juniore; Boxhorn. H. U. ad an. 755. p. 417-428.* Aliosque.

CONSTANTINUS (a) VI. & IRENE mater (b).



L O T I C H I U S.

Cum CONSTANTINO, qui *Sextus*, Mater IRENE
Fæminea tractat mascula sceptrā manu.
Mox a Matre suis Natus privatur ocellis,
Ista sed exilio bestia digna suo est.

H O F M A N N U S.

Irene sacras simulachra reduxit (c) in ædes.
Privavit natum (d) lumine utroque (e) suum.
Ipsa a Nicephoro (f) tandem depulsa (g) rebeli est,
Occiduis surgunt dum nova regna (h) plagis (i).

E N A R R A T I O.

Elius (a) Leonis IV. rogatu Procerum a patre, sub initia statim regiminis, in consortium adscitus, eo defuncto, (b) una cum matre, ut testamento patris cautum erat, successit adhuc impubes, ann. C. 780. (c) Synodo Nicææ hanc in rem coacta, Imaginum cultum restituit, socerique Constantini corpus effossum publice cremari, ac cineres in mare spargi iussit, ann. 787. (d) Qui Sclavos Græcia ejecerat, ann. 783. postmodum vero matre ab administratione remotâ ann. 788. victus a Saracenis, ann. 789. quo

quo primus Aaroni tributarium reddidit Imperium, & Bulgaris, ann. 795. (e) Ipsa brevi restituta, ut sola imperaret, filium excæcavit, quinto post anno eodemque die, quo patruis ille suis Nicephoro, Christophoro & Nicetæ, velut affectatæ tyrannidis reis, idem supplicium intulerat, ann. 797. Hinc morte consequutâ filii, mater sanguine illius recuperatum solium denuo insedit, ipso Sole 17. dierum tenebris tam tetrum averfante scelus, ann. C. 798. Nec pœna emanfuit diu. (f) Nicephorus enim Logotheta ab exercitu Imperator salutatus, primo Irenem absconditos thesauros indicare coëgit, (g) dein a gubernaculis remotam in ins. Lesbum relegavit, ubi mœrore animi, fassa suis se peccatis id meruisse, contabuit, ann. C. 803. Imp. 23. Theophanes *Chronogr. ad ann. C. 773. & seqq.* Paul. Diaconus *Histor. Miscell. lib. 23. cap. 14. & seqq.* Zonaras *tom. 3.* Cedrenus, Alii. (h) Dum hæc in Oriente geruntur, in Occidente Carolus Saxones devictos, anno quo diximus, & Westphalos superatos ann. 782. in Flandriam transtulit, ann. 785. Britannos domuit, ann. 786. Tassilonem Bojorum Ducem, Desiderii generum, in cœnobium detrussit, an. 788. Vilzos & Frisios, ann. 789. Austrasios ann. 792. Hunnos item Avaresque contudit, hosque in deditionem accepit, ann. 795. Romanos porro itidem a Papa in fidem recepit, ann. 796. Saxones perdomuit, ann. 798. aliaque egit, quibus ad Imperatorium culmen viam sibi stravit, mox conscendendum, ut videbimus, ab Imperatoribus Orientis, (quorum res in deterius labi indies cœperunt, donec a Turcis Imperium illud penitus eversum est, sub Constantino Palæologo, ann. 1453.) ad Carolum, & successores ejus, Occidentis Imperatores, nos conversuri. (i) Interea, Nordmanni seu Dani, Angliam invaserunt, ann. 787. & vastârunt, ann. 793. Wilh. Malmesbur. *de gest. Reg. Angl. lib. 1. cap. 2.* Quod Ecclesiam concernit, Synodo Nicænæ, qua Irene *Imagines SS. adorandas* sanxerat, ab Hadriano I. Pontif. Rom. approbatæ, opposuit Carolus Francorum Rex Francofurtanam CCC. Episcoporum, in qua, *eorum usu historico approbato, adoratio damnata* & Synodus Græcorum destructa, insuper *ut Christus etiam juxta carnem verus Dei filius diceretur*, sancitum est, ann. 794. Vid. Concil. Gall. *tom. 2. p. 193.* In Germania Episcopatus varii, Bremensis, Osnabrugensis, Mindensis, alii, ab eodem instituti, circa ann. 794. Cantus in templis ordinatus &c. Aventinus *lib. 3.*

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

CONSTANTINI VI. Parentes in Leone IV. diximus: Irenes vero nescimus. natus est in domo purpurea, ut vocat Diacon. l. l. sive villa Porphyra ad Urbem CPlin, an. 771. 14. Jan. unde ipse Porphyrogenetus, non confundendus, ut sæpe fit, cum ejusdem nominis, etiam Leonis (Philosophi) F. Imperatore doctissimo, & libris editis claro, qui imperavit an. 912. 959. Irenes patria fuerunt Athenz. æquus hujus natalis fuerit circa an. Chr. 750. Constantini VI. Sponsa fuit ann. 782. conciliante, sed simul fidem Matre, invito licet Filio, violante, Rotrudis, Caroli, tum adhuc Francorum Regis, Filia. Uxor I. fuit Maria (ab Amniacognominata Diacono:) ex Armeniis oriunda, quam a Matre coactus duxit Nov. mense an. 788. ex hac sustulit, si Recentiores quosdam sequimur, Filium, anonymum, unâ cum Patre ab immani Avia oculis privatum. hujus Maria filiam quoque puto Euphrosynam, (alteram postea Michaëlis Balbi Imp. Uxorem :) quæ artibus Avia a prima ætate in Monasterium seclusa est. Zonar. in Mich. Balbo. hanc postea, Irenes artibus & sophismate politico, fastidivit, & in Monasterium detrussit, duxitque an. 795. II. Uxorem Theodotam, Matris Cubiculariam. hinc Monachorum Platonis & Theodori Studitæ iræ, ob conniventiam scilicet Tarasii Patriarchæ in his nuptiis. at ego sub hoc monachali zelo latentes vulpeculæ Irenes agnosco artes, sic Filio apud plebem facturæ invidiam. ex Theodota (Theodate, Theodora Aliis:) sustulit Leonem F. qui octo mensium infans, 1. Maj. 797. (an venenodnam Pater ab Irene Matre 17. Aug. eod. an. post exoculatus, 20. Aug. ipse periit:) obiit. Decennis erat Constantinus VI. cum Pater moreretur. hinc sub Ejus, & tutorio nomine, ex testamento Patris, Irene, quæ vivo Marito non fuerat Iconolatricæ addicta, administravit sola, maxime ex consilio Stauracii Patriicii. hic ut sibi factionem pararet & Papæ Romani favorem, manibus pedibusque Iconolatriam restituit. Sic totos decem an-

nos dominata est. tandem an. 790. Filius pertæsus Gynæcocratæ & infinitæ Stauracii potentæ, Militæ favore adjutus, ægre tamen emancipatus est a furiosa regnatrice Matre. Sic solus imperavit circiter 13. menses, cum Matrem, maximo cum suo malo, Augustæ dignitati in integrum restituit. hæc enim Furia impulsu suo fecit, ut Filius juveniliter immodiceque potestate usus in odium & invidiam veniret, unde caprata occasione Eum immani scelere, ut diximus, e medio sustulit, postquam fere ex Erynndis illius arbitrio & cum illa iterum imperasset annos circiter sex. laudandus hic est candor Petavii R. T. l. viii. 6. ubi ait: Hoc parricidium in Irenes laudem traxere Graculi quidam; sed quam invisum Deo fuerit, 17. dierum horrenda caligo testata est. potuisset istis Græculis addere suum Baronium. dehinc Irene sola imperavit ab anno 797. usque ad an. 802. 31. Octobr. cum Nicephorus Logotheta Imperator per suas factiones creatus Irenem ægrotantem, satis delusam, thesauris emunctam, in Monasterium, quod ipsa in Insula Principis exstruxerat, & deinde, ne vicina res novas moliretur, sub custodia Lesbum relegavit, ubi mœrore misera nondum vertente anno periit, ultra 50. annos ætatis provecta, 21. annos circiter impotente dominatu grassata. (Zonaras ait, Carolum M. jam Imp. sub extrema Irenes tempora, missis Legatis nuptias Ejus ambuisse, nec illam abhorruisse, nisi Actius, Eunuchus graciosus, nuptias istas, quas suis destinatis impedimento fore videbat, disturbasset.) ipsa (non filius, uti Hofmannus vult:) Aaroni tributarium reddiderat Imperium. Vide Scr. in Leone IV. laudatos, & adde Forbesc. *Ins. H. Th. viii. 10. 11. & 12.* Res Aaronis Chalifæ, qui 23. annis præfuit, & Nicephori tempora (mortuus an. 808.) attingit, habet Strukh. *H. S. T. p. 59. 60. 61.* Forbesc. *l. l. IV. 17. §. 17. 21.*

FLAVIUS VALENTINIANUS II.



VERO SACRATAM NUMINI PREMIS TURBAM,
AUGUSTE, FRUSTRA. NON ERIS REUS VOTI.
MATRI QUID AURES COMMODAS DEO INVITO?
MOX OCCUPABIT DIRA MORS QUIESCENTEM.

E N A R R A T I O.



VALENTINIANUS II. Patrem habuit Valentinianum I, matrem Justinam. Pater ejus repentino sanguinis vomitu vix exspiraverat, cum milites filium, quatuor tantum annos natum, pronunciarent Augustum, & fratri Gratiano, & Severa genitum, Valentique patruo adjungerent. Quod Gratianus peregre reverfus agre tulit, acriter in milites hujus creationis auctores invehens, sumto etiam supplicio de præcipuis fraternæ salutationis auctoribus, quod se, qui Imperator esset, non consentiente, alium elegerent. Tamen non recusavit, quo minus fratrem Imperii consortem haberet, eumque ipse Collegam adscivit, & Imperium cum eo divisit ita, ut ille in Oriente, Valentinianus in Occidente imperaret. Hic quia quadrimus adhuc puer fuit, cum ad Imperii fastigia adscenderet, nihil notu dignissimum in Imperio gessit, nisi quod instinctu matris Arianis faverit, & Orthodoxos persecutus sit. Quare Maximus, qui imperium arripuerat, ei per literas significavit, ut paternam fidem servaret, neque Ecclesiis molestus esset: alioqui se coactum iri, bello ipsum reprimere. Valentinianus adhuc adolescens

V *

non

non ausus resistere matri, sibi tamen metuens a Maximo, Ambrosium Episcopum rogavit, ut pacis sequester fieret. Sed legatio hæc fuit frustra. Maximus enim comiter quidem excepit legatos, iisque placide respondit, & fœdus ante ictum renovavit: sed ut audiit, legatos Alpes transiisse, statim cum exercitu insecutus, inopinanti Valentiniano supervenit, qui assumpta matre fugit Thessalonicam, deinde in Orientem ad Theodosium properavit. Causam ejus suscepit Theodosius, ductaque ejus sorore Galla, & victo ad Aquileiam Maximo, atque ad supplicium cum filio Victore raptο, Gallias Valentiniano reddidit, cum omnibus iis, quæ Maximus obtinuerat, monens eum ut relictis Arianis Orthodoxorum fidem sequeretur, & a persecutione illorum abstineret. Postquam Theodosius Constantinopolin esset reversus, Valentinianus ex Italia in Gallias sese contulit: quas post interitum Maximi circiter quinquennium rexit, ut scriptum reliquerunt Socrates, Sigonius, Ignatius, Paulus Diaconus, Pomponius Lætus. Interea Arbogastes natione Francus, magister militum, qui a Gratiano Imperatore Comitum locum in aula, ob insignia merita, magnamque belli peritiam, consecutus fuerat, eundemque gradum Valentiniano invito retinuerat, potestate ita abuti cepit, ut omnia ex suo arbitrio Imperatorem facere vellet. Valentinianus id sibi non ferendum ratus, aliquando stricto gladio eum adortus est, sed impeditus ab aliis eum post Comitatu amovere conatus est. Arbogastes ergo animo ad vindictam intento captavit eum perdendi occasionem, quam brevi obviam statim arripuit. namque eum apud Viennam strangulari curavit. Accidit id anno Christi 392. die 15 Martii. Magno existimamus huic malo fuisse quod Matris pessimæ feminae monitis obtemperavit. Namque ejus instinctu in Italia orthodoxos persecutus est, & Arianos suis sedibus restituit, capitali supplicio constituto, si quis hoc impedire vellet. Ambrosium quoque Mediolanensem Episcopum, Virum sanctissimum, voluit Arianis hæreticis cedere. Quare irarum plenus collecta manu levis armaturæ templum, in quo tunc erat Ambrosius, obsedit, atque illum sacris prodire foribus jussit. Sed Antistes negavit id se facturum, neque templum suum deserturum: si vellet se occidere, introiret, & si ita videretur, e medio tolleretur. Hujus viri constantiæ cessit Valentinianus, & quem tunc persequabatur, postea in magno habuit pretio, & Parentis loco dilexit.



CAROLUS (a) I. MAGNUS (b).



L O T I C H I U S.

Magne, tuas æquet quæ, *CAROLE*, gloria laudes?
 Magnus enim, si non Maximus, omnis eras.
 Cæsareos inter primus tu Teuto Monarchas
 Implesti meritis astra solumque tuis.

H O F M A N N U S.

Carolus aſurgit Francorum è ſanguine *Cæſar* (c);
 Et vocat *Hesperias* ſub ſua jura (d) plagas.
Sacra (e) fovet, *leges* (f) condit, ferit acriter *hoſtes* (g):
 Hinc meritò triplici nomine *Magnus* ovat (h):

E N A R R A T I O.



Pipini (a) II. fil. qui rebus jam ultra 30. annos geſtis clarus, filioque Pipino Italiae, & Ludovico Aquitaniae Regibus creatis, ann. 781. jam præcipua Occidentis Imperii regna vel hæreditate, vel bello obtinebat, adeoque ipſa re Imperator erat, (b) *Magni* à poſteris, (c) & *Auguſti* titulum, à Leone III. Papa, acclamante populo Rom. ſibi oblatum admisit, atque ab hoc ut *Occidentis Imperator* coronatus eſt, ann. 800. rerum maximarum & inſolitarum exordiis nobili. (d) Fruſtrato ſpe nuptiarum Irenes, quibus Imperii utriuſque opes copulari potuiſſent,

tuisent, cum Nicephoro I. de Imperii limitibus, Venetis in utriusque medio liberis relictis, convenit, ann. 803. (e) Vid. jam dicta, dicendaque: quibus addē maximam bonorum partem Ecclesiasticis & pauperibus testamento legatam. (f) Langobardicas LL. recensuit, & sanctiones Eccl. complures *Capitularium* nomine evulgavit. (g) Lescum Poloniæ Reg. cæcidit, ann. 804. quo & Saxones, eorum terrā Obotritis Vandalis concessā, in Galliam transtulit, Danos Frisiā depulit, ann. 810. Slavosque in Pannonia domuit, ann. 811. (h) insuper Helmstadio, ann. 806. Dresda, ann. 808. Hamburgo, ann. 809. &c. conditis inclutus. Obiit, ann. C. 814. regni Francorum 47. Italiæ 42. Imp. 14. Princeps adeo literarum deditus studiis, ut plerisque sui ævi eruditis haberetur major, ac primus Academiam Parisiensem excitavit, maximis in Græcæ & Latinæ lingg. studium impensis. Eginhardus *de Vita & Gestis Caroli M.* Rhegino, Marian. Scotus, Adelmus in *Annal.* Alii. Ejus amicitiam Nicephorus I. Michael I. & Leo V. Imp. Orientis ultro expetivere, suspectam habentes illius potentiam, ut proin Græcis proverbio diceretur: *Francum amicum habeas, vicinum ne habeas*, Ivo Carnut: ut alia omittam. In Italia Pipinus obiit, ann. 811. regni 30. Bernhardo fil. successore, Sigon. *de Regno Italiæ lib. 4.* In Dania floret Gotricus, Gormonis, qui incredibilia patrasse dicitur, filius, circa ann. 810. Saxo Gramm. *Hist. Dan. lib. 8.* In Ecclesia, pelluntur ex Asia Christiani, ab Aharune Mahdis fil. Damasci Califa, qui Nicephoro I. victo Græcis tributum extorsit, ann. 806. Elmacin. *Hist. Sarac. lib. 2. cap. 7.* In Occidente, Carolus M. Archiepiscopos & Episcopos instituit passim, quod *Investituram* dixere, a Leone III. juramentum fidelitatis accepit, Textus Dominicales ordinavit, ann. 806. & Liturgiam Romanam seu Gregorianam, pro Ambrosiana, subditis imperavit, Concilio Turon. ann. 812. Eginhardus ubi supra.

Additamenta. HENR. CHR. HENNINI.

DE Carolo M. jure possis dicere: *Cui non dicitur Hylas?* Lubet tantum hic indicare meliores Scriptores, ex quibus Historia Carolina optime hauriri potest. Genealogiam, Majores, Uxores Concubinas, Liberos, Posteriores recensent Elias Reufin. *Geneal. Rom. p. 123. Basilic. Geneal. p. 185.* Micræl. *Synt. Hist. II. 5. §. 2. & 3. Serr. Hist. Franc. T. II. post dedicat.* Bessel. *ad Eginhard. c. 2. p. 17. Nic. Gilles Annal. Franc. f. 10. Bucelin. Genealog. Germ. Not. p. 12. seq. & 47. Putean. Hist. Insubr. l. III. p. 181. Hunger. in Cuspinian. p. 86. Chr. Matthias Theat. Hist. l. IV. p. 495. Reinecc. in Append. ad Albert. Stad. p. 6. Pont. Heuter. *Rer. Burg. l. I. p. 11. Bert. Rer. Germ. II. 2. Crus. Annal. Suev. P. P. l. I. p. 16.* Alii. *Gesta & vitam Ejus*, præter omnes Historiæ & Chronologiæ sive Universalis sive Particularis Germanicæ & Francicæ Auctores, Annales ac Chronicarios mediæ ævi quarumvis fere Gentium, qui sparsim ad an. 742-814. res Caroli attingunt; ex professo singillatim persecuti sunt Einhardus, sive Eginhardus, Caroli M. Scriba adjuratus, Archicapellanus, sive Cancellarius, (cujus cum Imma, Caroli F. matrimonium jucunda fabella descriptum, otiosi Monachi Laurishamensis est somnium in *Chron. Laurish. ad an. 805.* ap. Freher. *Rer. Germ. T. I. p. 62.* unde in cæteros manavit:) *de vit. Carol. M.* in quem exstant præclaræ & bonæ frugis plenissimæ notæ Melch. Goldasti, & Joh. Frid. Reinhardi, (quæ male vulgo Præfidi Frid. Besselio adscribuntur: vide *Dedicationem Reinhardi ipsius*;) Ansegisus, Caroli Alumnus, *de ead. vita Caroli M.* quem MS. apud Amicum vidi; Turpin. *de Gest. Carol. M.* Annales Francor. Fuldenfes ap. Freh. l. I. T. I. Paul. Æmil. Veronensis, *de reb. gest. Franc. l. III. Sigon. de Regn. Ital. l. IV. Aventin. Annal. Boj. l. IV. Lehman. Chron. Spir. III. 28. & seqq.* & passim in illo opere, Petav. *R. T. I. l. VIII. 7. & 8.* ibique laudati, Cluver. Cario, Boxhorn. Rupert. in *rebus Caroli M.* Joh. Joach. Frantzii *Historia Caroli M.**

una cum Eginhardo, auspiciis Bœcleri edita, Argent. 1644. 4. Spanhem. *H. E. N. T. Sec. VIII.* exeunte, & ineunte IX. passim; Ejusd. *Hist. Imag.* passim; Ejusd. *Exercit. de fide Collatione vel Translatione Imperii in Carol. M. facta per Leon. III. Rom. Pontif. contra Baron.* (qui & ipse in annis Caroli, bona pauca, perversa plurima, Pontifici ut placerent, quas scripsisset fabulas, habet:) & *nuperos Hyperaspistas* Forb. *Inst. H. Th. VII. 10. 11. 12.* ut taceam tot alia philoponemata Aliorum, qui de *Sacris seu Religione, Statuta, Patria, Lingua* &c. Caroli M. separatim commentati sunt. Unus instar omnium esse potest Joh. Bœcler. in *Commentar. de reb. Sec. a N. Chr. IX. & X.* Argent. 1656. 4. p. 1-49. (qui liber optimus, & ex ipsis Fontibus derivatus, servatis scaturiginum lymphis, verbis inquam Scriptorum illius utriusque sæculi, recenset res Imp. Germanicorum a Carolo M. ad Ottonem III. ubi habes: *Caroli M. Annotationem. Temporis: Elogium: Statum Imperii Carolini, sive ea, quæ ad Reip. notitiam pertinent regnante Carolo: Imperatoris titulum, sive de translatio in Carolum Imperio Romanorum: de Rebus bellogestis, excerpta quædam: Imperatores CPanos* (ubi vellem, non adeo facilem mendacibus Græculis odiiq. causas malas habentibus fidem habuisset;) *Externa Imperia & Dominationes: Ecclesiastica: Literas, Artes, Inventas: Memorabilia alia.* Obiit Carolus M. Aquisgrani æt. an. 72. ibidem sepultus: natus an. Chr. 742. non Ingelhemii, ut vulgo ajunt, sed in *Thuringia ad stuvium Unstrut*, quod Bœclerus non debuit nescire, ut ex verbis ipsius Caroli M. in donatione reperta inter chartas MSS. Traditionum Abbatæ Fuldensis factarum, ap. Christoph. Brower. *Antiq. Fuldens.* Primus omnium clarissime docuit deus Germaniæ nostræ Reinesius *Variar. Lect. II. 16. p. 257.* Fuit ergo Germanus patriæ, lingua, Majoribus, moribus. Desinant itaque Galli nugas vendere, dum obtorto collo Eum sibi rapiunt!

LUDOVICUS (a) I. PIUS (b).



L O T I C H I U S.

Magna Patris magni soboles LUDOVICUS habenas
Imperii forti suscipit, ecce! manu.
Si quis Marte, Toga, decus & Pietate meretur,
Marte, Toga, in primis hic Pietate valet.

H O F M A N N U S.

*Post patrem sceptrum tenui, sacrisque dicatas
Auxi ades donis muneribusque piis (c).
Ingratam expertus sobolem (d) non simplice damno,
Curarum & vite sum satur, ajo, mea (e).*

E N A R R A T I O.



Aroli (a) M. ex Hildegarde Sueva, filius minimus natus, præmortuis Pipino & Carolo, patri successit, ann. C. 814. cum jam Aquitaniæ Rex fuisset, ab ann. C. 781. (b) ex liberalitate in sacros ordines sic cognominatus. (c) Cæterum, Sorabos Sclavos repressit, ann. 816. Pipinum fil. Aquitaniæ Regem creavit, ann. 817. Bernhardum Italiæ Reg. ob divisionem rebellem, victum luminibus orbavit, ann. 818. A Normannis vexatus, ann. 820. Lotharium fil. suum Franciæ Regem & Imperii consortem creavit, ann. 822. quo ipso Liudevitum Sclavum rebellem Pannoniâ fugavit,

fugavit, Britannos coërcuit, ann. 824. (d) Cum vero, post Hermengardis obitum, ex qua Lotharium, Pipinum & Ludovicum filios jam habebat, Juditham Guelpho Sueviæ D. genitam, consanguineam suam duxisset, ac in Carolum Calvum sibi ex ea natum propensior videretur, Bernardum quoque Com. Barcinon. adulterii cum Augusta suspectum ferret, filiis cæteris in patrem insurgentibus, Pipinus, illo comprehenso, Juditham cœnobio inclusit. Sed Imperator altero statim anno, ope Germanorum, Imperium recepit: dum vèro in Pipini contumaciam animadversurus, illum Treviris custodiri jubet, ille suorum ope elapsus improvise excursu paternas copias fregit, persuasisque susurronum instinctu fratribus, scelerata sumuntur arma, quibus filii, adscito in consortium Gregorio IV. patrem deponere Imperium adigerent, ann. 833. Verum restitutus Imperator, anno sequente, consultores Lotharii omnes, intra 9 septimanas, dirapeste: postmodum Pipinum præcoci letho, ann. 839. absumptos vidit: hincque instigatu Judithæ inter filios regiones divisit, e quibus Ludovico novis motibus Germaniam concutiente, contra illum profecturus, obiit curis confectus prope Moguntiam, ann. C. 840. vitæ 64. Imp. 28. de bonis literis, quas, excitata Corbejensi in cœnobio schola, propagari jussit, optime meritis, cætera *magis Princeps pius, quam felix pater*. Aimonius *de Gestis Francor. lib. 4.* Theganus *de Gestis Ludovici Imper.* Auctor *Vitæ Ludovici* apud Pith. Flodoardus *Histor. Rem.* Nithardus *Histor. lib. 1.* Regino *Chron. lib. 2.* Adelmus, *Annales Fuldenses*, Otto Frising. Gotfr. Viterbiensis, Alii. (e) Eo imperante Orientis Impp. fuere, Leo V. Michaël II. Balbus, & hujus filius Theophilus. Saraceni Cretæ occupatæ nomen *Candiæ* imponunt, ann. 823. In Anglia, Egbertus Occidentalium Saxonum Rex, tota Insula potitus, *Angliæ* nomine, regnum in posterum insigniri jussit, ann. 827. Wilh. Malmesburiensis *de gestis Regg. Anglor. lib. 2. cap. 1.* Picti vero a Scotiæ Rege ejecti sunt ann. 838. Idem *lib. 1. cap. 3.* In Polonia, patruos suos veneno interemit Popielus a muribus postea devoratus, ann. 823. Mart. Cromerus *de rebus Polon. lib. 2.* Quod ad *Ecclesiam*, aucta illa tum accessione Daniæ ac Sueciæ, & Haraldus quidem Danus, ab Ansgario, Moguntia baptizatus est, ann. 825. Synodus dein Aquisgranensis habita, *de restauranda disciplina Eccl* leges tulit, ac *Christianissimi* elogio Imperatorem exornavit, ann. 836. qui Saxonem quendam virum doctum, Scripturam S. Germanico carmine transferre jussit, ut legi ab omnibus posset. Circa eadem tempora floruerunt, Rabanus Maurus, Ansgarius Hamburgensis, Haymo Halberstadiensis, & Fridericus Ultrajectinus, Episcopi, quorum hic, Frisia ab Arii dogmate liberata, immixtis a Juditha, in cujus mores liberius invecus fuerat, percussoribus, sanguine suo altaria conspersit. Claudius item Taurinensis, qui *cunctas Basilicas suæ diœceseos picturis atque imaginibus nudavit*, circa ann. 820. P. Massonius *Hist. Gallie.* Romæ Paschalis I. incio Imperatore electus, se excusavit, ann. 817. Valentinus successor, *pedes primo osculandos præbuit*, ann. 817. Hunc excepit Gregorius IV. *Festi omnium SS. auctor*, cujus supra meminimus, Vid. Platinam & Anastasium Bibliothecar. *in iis.*

L O T H A R I U S (a) I.



L O T I C H I U S.

Degener a Patribus virtute LOTHARIUS arma
 Fratribus & Natis intulit ipse suis.
 Turpiter hinc victus Monachorum claustra subivit;
 Quid monstri? Monachus Cæsar an esse potest?

H O F M A N N U S.

Imperium (b) sorte accepi: post maxima bella (c),
Queis Franci vires interiere poli:
Cænobium (d) tandem ingressus, mihi sceptrum quieti?
 Dixi, imo hæc sceptris anteferenda meis (e).

E N A R R A T I O.



Il. (a) natus maximus Ludovici Pii, a patre R. Italiæ creatus, ann. C. 822. Saracenos grassari passus est, ann. 829. & 835. (b) Ex divisione a patre facta, cui successit, ann. 840. (c) cum ex æquo provincias cum fratribus dividere nollit, funesto bello, quo Francici Imperii conciderunt opes, exorto, ab ipsis victus, ann. 841. & 842. regna divisit, atque ipse Lotharingiam, (ab illo dictam) provinciam Narbon. & Italiam cum Imperii dignitate retinuit, ann. 843: quæ omnia postea filio Ludovico excepta Galliæ parte, quam possidebat, alteri filio Lothario concessa,

concessa, tradidit, (d) & cœnobium Prumiense ingressus, (e) eo ipso anno obiit, videl. C. 855. Imp. 15. Nithardus *Hist. lib. 2. 3. & 4.* Hermannus Contract. Sigebertus, Rob. Gaguinus *Hist. Franc. lib. 5. cap. 1.* Flodoardus, Alii. Ejus tempore, Theodora Theophili vidua, pro Michaële III. filio adhuc puero, Orientem rexit. Italiam Saraceni populantes, repressi a Ludovico Lotharii fil. 851. In Germania vicit Ludovicus Sorabos, ann. eod. Galliam infestam tenent Normanni, ann. 845. In Anglia, Cantium & Northumbria Pontifici vectigales redduntur ab Edelvulfo, ann. 847. & 855. In Polonia, Piaſtus, Crusvicensis civis, *miraculo crescentis mulsi & carnis porcinae*, Princeps gentis electus, quintæ in illa dynastiæ originem dedit, ann. 842. Vid. Auctores supra laudatos. In Ecclesia, quam Bulgari auxere, ann. 845. Godescalcus Mon. quod *Prædestinationem & Reprobationem dari, nec Christum pro omnibus mortuum esse*, doceret, a Rabano Mauro Mogunt. & Hincmaro Rem. Episcopis damnatus est, ann. 848. Usserius *Historia Godescalci*. Romæ, Sergius II. primus Pontificum nomen mutavit, cum prius *Os porci* diceretur, ann. 844. Post eum Leo IV. Episcopatus publice vendidit, ann. 847. Hunc excepit Johannes VIII. nomine Johanna Papissa, ann. 854. sicque Vetus & Nova Roma tunc muliebre Imperium passa est, Vid. Petrum Megerlinum Chronologum celeberr. *Disquisitione Chronol. de Johanna Papissa*.

Additamenta HENR. CHR. HENNIN I.

LOTHARIUS I. Matrem habuit *Hermingardim*, Saxonica stirpis, *Ingrami*, ut putatur, Andium, sive, ut alii putant, Saxonis Principis Filiam. Miror judicium illorum, qui hunc Imp. culpant, quod noluerit ex æquo Provincias cum Fratribus dividere. noluit enim vires Imperii partim frangi, ac dignitatem ejus enervari. sub finem vitæ tamen, tædio, ut videtur, rerum humanarum, aut nimia indulgentia, sed solœcismo politico, inter Filios partitus est regna. Ab hac autem prima, per victores Fratres Lothario Imp. extorta, Imperii Francici divisione, quæ contigit ann. 843. *Regnum Germaniæ* sive *Francorum Orientalium*, a *Francis Occidentalibus* penitus distingui cœpit; ita ut hereditate in posteros propagari posset. Licet enim sub *Carolo M.* & *Ludovico Pio* plures essent Reges; summa tamen rerum unus potiebatur, qui assumpto quidem libera voluntate Socio Imperii, jubere cæteris, quæ publica utilitas postulabat, poterat, nisi quatenus scelus Filiorum *Ludovici* adversus Patrem, juris illius harmoniam conturbavit. Jam vero omnino Tria Regna ex ipsa publici Tractatus formula observantur. si quid a Tribus Fratribus communi nomine gestum reperitur, illud ut a Sociis, foedere, amicitia, pacto junctis profectum est. exempla vide in *Annal. Bertinianis* ad ann. 844. & 851. *Lotharii* hujus pietatem studiumque Religionis impense laudat *Servatus Lupus Ep.* 108. & in *Epitaphio* *Rabanus Maurus*, ubi *memorandum Casarem, magnum Principem atque pium*: Idem in libello *de Anima* Eundem commendat propter Sapientiæ Artiumque amorem. Fuit porro, ut ex Gestis colligi datur, callidus ad ferendas discordias, ambitiosus, bellicosus, sed a Fortuna destitutus. Scilicet Deum neglectæ ab ipso Paternæ reverentiæ ultorem expertus est. Vixit annos 60. teste *Epitaphio*, ergo natus fuerit an. 795. obiit III. (in *Epitaph.* est II.) *Kal. Oct. an.* 855. sexto die ab ingressu in Monasterium; (non post annos 8. vitæ Monasticæ, ut male habet *Krantz. Saxon.* II.

27.) *Boeclerus de rebus Seculi IX. & X. p.* 97-125. persequitur post *Annotationem temporis, Elogium*, (in quo tamen paullo plus salis politici desiderarem:) *Statum Reip. Excerpta rerum gestarum, Impp. CPTanos æquales, Externa Imperia & Dominationes, Ecclesiastica, Literas & Artes, Memorabilia alia*; indicatis ubique fontibus. consule & *Lehmann. Chronic. Spir.* III. 39. & 40. *Schurzleisch. Diss.* 3. quæ est *de divisione Imperii Karolini*, & *Diss.* 4. quæ est *de Regno Austrasiæ*. Rebus Externis adde *Kenethum*, Scotorum Regem, qui ob Remp. editis præscriptisque legibus tam civilibus, quam ecclesiasticis constitutam in primis celebratur. Specimen earum dabit curioso *Boxh. H. U. ad an.* 842. *p. m.* 477. De *Gottescalci & Hincmari* (al. *Ingmari*, it. *Igmari*;) *Remensis* controversiis circa *Prædestinationem* accurate & per compendium egit *Forbes. Inst. Hist. Theol.* VIII. 3. §. 17-20. & 4. §. 2. & 3. *Sergius II.* male dicitur nomen mutasse, quia nominabatur *Os porci*; hoc enim nomen fuit Gentile, quo Papæ non solebant uti, sed prænomine, quod ex fonte baptismi tulerant. hoc vero *Os porco* sive *Buccaporco* huic fuit *Petrus*, quo per superstitionem quandam erga Apostolum Petrum reverentiam uti Papa noluit, uti nec ullus hætenus eo usus est. Secuti morem Successores mysticas rationes popello obtrudunt. nec tamen necessario nomen mutant Papæ electi; uti docent *Hadrianus VI.* & *Marcellus II.* Vide omnino *Montacut. Orig. Eccl. part. I. p.* 113. & qui hic omnia accuratissime digessit, *Mayer. de Elect. Pont. Rom. c.* 7. §. 2. De *Papissa Johanna* omnia erudite concinnavit *Spanhem.* libro *de Joh. Papissa*, cujus compendium exhibet *H. E. Sec. IX. c.* 8. adde *Boxhorn. l. l.* *Forbes. l. l.* VII. 12. §. 14. & 15. *Merulæ Tijdt-Tbrezoor ad an.* 853. *Rupert. ad Syn. Befoldi min. c.* 17. §. 3. De rebus Saracenorum & Muhammedismo hujus ævi confer *Strukhus. H. S. p. m.* 72-76. *Cent. Magdeb. IX.* 15.

FLAVIUS HONORIUS.



MAGNI PARENTIS CURA TE REI SUMMÆ
PRÆESSE JUSSIT STRENUUM ET MANU FORTEM.
SED NEGLIGENTEM PROH DOLOR TUI, PRINCEPS,
TE PENE PRAVI PERDIDERE TUTORES.

E N A R R A T I O.

HONORII Pater fuit Theodosius Magnus. Mater Placilla. Natus est A. C. 384, die 9 Septembris. Soror Placidia, ex posteriore Theodosii M. uxore Galla nata. Uxores duæ, ambæ Stiliconis filia. Prior erat Maria, quæ repentina morte obiit, antequam in domum Imperatoris deduceretur. Posterior dicta est Thermantia, quam Stilico Pater luctu finito ei despondit. Sed etiam repentina morte extincta est, antequam Honorio copularetur. Unde factum est ut nullam sobolem reliquerit. Nam ambæ sorores antequam nuptiis & concubitu ejus potirentur, ereptæ sunt. A. C. 343. a Patre Theodosio Augustus appellatus fuerat: licet Pater mortuus, quia nondum erat maturus imperio, Stiliconem ei adjunxerit tutorem. Postea ex testamento Patris etiam Occidentis Imperator factus est, ut in historia Arcadii videre est. Varius in genere vitæ fuit. Gladiatoria certamina Romæ prohibuit, infensus populo, qui monachum Telmatium sibi dilectum lapidibus obruebat. Ignarus & negligens in gubernatione imperii, adeo ut literis, quas suo nomine scribi jubebat, nondum lectis subscribere soleret. Statim turbæ in

in Imperio exortæ. Namque Radagaisus Gothorum Rex exercitum 200000 militum in Italiam duxit, atque in Venetam regionem, Æmyliam & He-
truriam transiit. Stilico hosti adventanti nequaquam se objiciebat, quod
eæ regiones essent patentioribus campis, in quibus parvis suis copiis ab
immensa illa multitudine timebat. Sed cum Radagaisus Florentiam jam
obsidione premeret, Fesulani montis jugo, urgente undique timore, con-
cluditur. Ubi cum fame & siti ejus milites conficerentur, Stilico ipsum
aggreditur, & salvis suis omnibus centum millia hostium trucidat. Non
diu post Alaricus, qui antea apud Theodosium ductor exercitus contra
Eugenium fuerat, Italiam ingressus est. Sed Gothi a Romanis oppugnati
cedunt initio: paulo post sumtis animis victores Romanos potiori virtute
prosterunt. Hinc in rabiem furoris excitati Romam contendunt, cun-
cta, per quæ ierant, igne ferroque vastantes. Urbs toto biennio circum-
fessa ab iis capta est Kalendis Aprilis, anno 18 Honorii, anno V. C. 1164.
A. C. 410. Expugnatam urbem statim devastant, plurima monumenta
proflus admiranda incendunt, multosque Principes viros variis subdunt
suppliciis. Postea velut Imperium Romanum irridentes Imperatorem fe-
cerunt quendam nomine Attalum, quem una die tanquam Imperatorem
fecerunt procedere, altera vero servili habitu ministrare. Die tertia in-
stante Gothi sponte discesserunt ab urbe. Inter hæc moritur Alaricus.
Tunc Gothi Regem Ataulphum Alarici affinem constituentem Romam
redeunt, & quæ nondum erant vastata, perdunt & destruunt. Exinde
auferunt secum Placidiam Honorii sororem, quam sibi Ataulphus apud
forum Cornelii conjugio sociavit. Hanc feminam divino judicio velut ob-
sidem ac pignus huic barbaro Regi tradidit. Nam illius juncta conjugio,
multum Romanis profuit. Posthæc Stilico Honorii focer filio Eucherio
regnum quærere ausus est. Is cum tutor esset constitutus imperii occiden-
tis a Theodosio Magno, immemor beneficiorum a Theodosio in se col-
latorum, immemor etiam adfinitatis cum Honorio, hac ambitione in-
gentia Reip. mala intulit. Sed ubi Imperatori hæc patuere, jussu ejus
interfectus est. Filius quoque ejus Eucherius, primum fuga elapsus, po-
stea obtruncatus traditur. Vicit deinde Constantinum tyrannum, ejusque
filium, ut & Attalum in Africa tyrannidem arripere conantem, & bre-
vi post Heraclianum Italiæ litora devastantem. Cum ita annos triginta
duos cum Patre, tredecim cum fratre, & quindecim cum fratris filio
Theodosio imperasset, febri correptus est: ad quam accedente hydrope
mortuus est Romæ A. C. 423. ætat. 44. nullis relictis hæredibus.



LUDOVICUS (a) II.



LOTICHIUS.

Entheus in Musas LUDOVICUS, fortis in arma,
 Pace bonus, meritis consiliisque gravis.
 Post vitam plenis in mundo laudibus actam,
 Implevit tumultum non sine laude suum.

HOFMANNUS.

*Ad Christum adduxi Sclavos (b), Saracena (c) repressi
 Agmina, Adelgisum (d) puniit ira mea.
 Decessi improlis (e). Me Principe, scemina partum (f)
 Edidit insolitum, (g) Dania cœpta regi est. (h)*

ENARRATIO.



II. (a) Lotharii, de quo jam supra aliquid, Imperium administrare, defuncto patre, cœpit, ann. C. 855. postquam Saracenos in Apulia vicisset ann. 851. (b) Dalmatas & Sclavos per Methodium ad fidem perduxit, ann. 862. ut & Bohemorum XIV. duces, circa eadem tempora: quibus ut sacra vernaculâ linguâ fierent, Papa concessit. (c) Saracenis Capuam & Beneventum eripuit, ann. 866. (d) Adelgisum vero Ducem, a quo combûstus fuisset, ni illico urbe se cessurum jurasset, duce Engilberga conjuge, persecutus ditione exiit, ann. 872. (e) Mortuo Lothario

thario fratri titulo, non re cum successisset, sine Imperii hærede decessit, ann. C. 875. Imp. 20. Ado Vienn. *Chron.* Rhegino *ad ann.* 872. Sigonius *de Regno Italiae lib.* 5. Mart. Cromerus *Histor. Polon. lib.* 3. Sigebertus, Marian. Scotus, Otto Frising. Leo Ostiensis, Alii. (f) Eo imperante, Johanna Papissa partu periit, ann. 856. Antoninus Archiep. Florent. *p.* 2 *tit.* 17. *cap.* 1. §. 7. successore Benedicto III. quem excepit Nicolaus I. *auctoritatis Pontificiæ & cælibatus in Germania ac Gallia* acerrimus vindex, ann. 858. resistente tamen ei strenue Hulderico Episc. Augustano. Hadrianus dein II. Talari Episcopi filius uxoratus, Lothario, ob divortium cum conjugē, ex amore pellicis Valdradæ dimissa, fatalem Eucharistiam dedit, ann. 868. Platina *Vitis Pontif.* (g) Daniæ, regni perantiqui, Principum certa series, ab Ivaro seu Inguaro, hoc tempore floreante, initium sumpsit, Ericus Pomer. *in Rege* 75. (h) Cæterum in Oriente tum Basilius I. Macedo, Russos convertit, ann. 866. Zonaras *Tom.* 3. Apud Saracenos, Caliphatu diviso, Abasidæ Bagdadi; Tolonis vero, qui a Babyloniis defecit, posterī, in Ægypto sedere cœperunt, ann. 869. In Hispania, Alfonsus III. Magnus Saracenos sternit, ann. 874. Anglia a Danis vastatur, *et* Norwegi, tyrannidem Haraldī fugientes, in Islandiam, duce Ingolfo, migrant, ann. 874. & *seqq.* Snorro Sturleson *Chron. Norveg. & Island.* In Germania, Ludovicus Germanicus, fil. Ludovici Pii, post victum jam olim Lotharium fratrem, Abotritosque, Sorabos ann. 851. & Sclavos Bohemos ann. 869. & 872. domuit, Nithardus *Histor. lib.* 2. & 3. Hollandiæ Theodoricus I. Comes datus Normannos pepulit, ann. 863. Jac. Meyer *Annal. Flandr. lib.* 2. Quantum *ad Ecclesiam*, Alfridum Angliæ Reg. coronatum *Filium adoptivum* Papa vocavit, ann. 872 a quo usque ad ann. 1538. quo Henricus VIII. Papale jugum excussit, fluxere ann. 666. Rugii conversi, ann. 875. & supplicationibus publicis formula addita est: *A furore Normannorum libera nos Domine*, circa ann. 855. In Oriente, Synodo Constantinopoli indicta, quam *Oecumenicam VIII.* appellari volunt, Photius, qui Ignatium Patr. dejecerat, *depositus hicque restitutus: Imaginum item cultus*, quem Bardas sustulerat, denuo confirmatus est, ann. 869. & 870.

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

Ludovicus II. qui & Junior dicitur, Matrem habuit *Hermengardim*, Hugonis Comitis F. Uxorem *Engelbergam*, si verum nomen tradit Reusner. *Geneal. p.* 124. aut *Angeldrudam*, nam & hoc nomen traditur, aut, si Carioni *Chron. p.* m. 515. hic accuratissimo credimus, *Luitgardim*, Etichonis Welfi F. ex qua unicam reliquit filiam *Hermengardim*, quam dein Carolus Calvus despondit Bosoni Principi, Richildis Uxorī suæ Fratri, attributa ei *Provincia* cum titulo *Regis*, ex qua uxore hic suscepit *Ludovicum* Italiæ Regem, deinde a Berengario excoecatū. Obiter notandum, a multis intricari, a quibusdam plane omitti res *Ludovici II. Imp. & Ludovici Regis Germaniæ*, qui illius Patruus fuit; imo hunc Germanicum a novitiis nonnullis haud apte dici *Secundum*, quippe qui *Germaniæ* a Francia Neustrica separatæ *Rex primus*, at *Imp. Romanorum* nunquam fuit. Cuspin. *h. t.* Schurzleisch. *Diff.* 37. §. 7. f. Annus nativitatis hujus Imp. forte erit 822. anno enim præcedente Pater Uxorem duxerat. An. 844. Romæ die S. Trinitatis (al. 13. April. festo Paschatis:) Romæ Rex Italiæ a Sergio II. P. M. coronatus est: a Patre in Imperatorii nominis consortium assumptus est Aquisgrani 25. Decembr. anni 849. Filium Ariadneum in hujus Imp. rebus distincte narrandis, nec cum cognomine Patruo Germanico confundendis, præstant *Annales Bertiniani & Metenses*, ex quibus præcipue Bœclerus *de reb. Sac. IX. & X. p.* 125-160. hujus Imp. res concinnavit, *Annotationem Temporis, Elogium, Quæ ad Reip. notitiam pertinent, Excerpta de reb. gestis, Imp. CPianos, Externa Regna & Dominationes, Ecclesiastica, Literas & Studia, Memorabilia, & Epitaphium,*

quod Mediolani sepulcro Ejus in Ecclesia S. Ambrosii inscriptum legitur. Imp. hic excelluit eruditione liberali, pietate, comitate, & beneficentia: ingenii dexteritate valuit ac celeritate consiliorum. Laudes texunt *Epitaphium*, & *Annal. Metens.* *ad an.* 874. Sub hoc Imp. nimis, quam debebat, connivente, Omnipotentia Papalis clam palam, per fas nefas crevit. Tum arrogata & exercita potestas solvendi jurisjurandi, Cent. Magdeb. IX. 7. Tum non solita honorabilitate, sicut Episcopi Romani Reges consueverant in suis Epistolis, sed cum malitiosa interminatione, sed a modestia sedis Apostolica antea inauditis maledictionibus scribebatur ad Principes. Ann. Bertin. *ad an.* 865. Tum quæsitum jus in Temporalia, ut vocant, Regum; hinc audax illa Hadriani II. Epistola ad Carolum Franciæ R. de non attrectando Lotharii regno: *Quod si quis presumeret, non solum per sua Auctoritatis ministerium infirmaretur, verum etiam vinculis Anathematis obligatus, nomine Christianitatis privatus cum Diabolo locaretur.* Ann. Bert. *an.* 869. Nec arcano regnandi consilio caret corona Regia Italiæ ultro & quasi propria ac superiore sui ipsius, ut Papæ, auctoritate Ludovico II. a Sergio II. imposita. Notant hanc audaciam Anastas. Bibl. & Ado Vienn. *ad an.* 844. De Saracenis adde Strukhus. *H. S. p.* 75-77. Drechsler. *Chron. Sarac.* an. 870. qui notat, Turcas, a Persis in auxilium evocatos contra Saracenos, ab eo tempore semper Asiæ incubuisse. Fazell. *Rer. Sicil.* II. 1. Hottinger. *H. E.* IX. 2. §. 4. De causa Photiana accurate & ordine agit Forbes. *I. H. T.* VII. 12. §. 12. & 13.

CAROLUS (a) II. CALVUS (b).



L O T I C H I U S.

Imperio paucis vix *Calvus* præfuit annis
 Francigenis quondam CAROLUS ortus Avis.
 Mantua qua magno de Vate Marone triumphat,
 Toxica per Medici pharmaca raptus obit.

H O F M A N N U S.

Conscendi culmen (c), caput & diademate (d) cinxi,
Sed pompa Imperii non diuturna (e) fuit.
Cæsara vix bimum, medicastri enectus Apella (f)
Fraudibus, exhibui, Scepstrigerumque brevem (g).

E N A R R A T I O.



Il. (a) minimus natu Ludovici Pii, ut vidimus (b) à rariore capillatio cognominatus, (c) conciliato sibi Johanne IX. qui eum *Christianissimum* appellavit, majori natu fratri Ludovico Germaniæ Reg. Imperium præripuit, (d) & Romam ingressus diadema accepit, ann. C. 875. Ludovico interea totâ penè Galliâ potito, qui tamen mox deprecantibus Francis ultro abcessit, & paulo post morbo extinctus est. (e) Post Carolomanum enim fratris filium elusum, Bosonem dein affinem suum Provinciæ Regem, ac Papiæ, Guidonem Spoleti, & Berengarium Forojulii Duces creatos, ut Italiam in fide retineret; victus a Ludovico, Ludovici præfati filio, & thesauris suis spoliatus, ann. 876. (f) a Sedechia Judæo Medico pulvere veneno temperato peremptus est, ann. C. 877. Imp. 2. Aimoinus *de Gestis Francor.*

Francor. lib. 5. alique supra ex parte numerati. (g) Sub eo, in *Ecclesia*, Bertramus Presbyter, contra Paschasium Radbertum in *Eucharistia tropum* esse, scripto ea de re Calvi jussu edito, defendit, ann. 876. Bertram. de *Corp. & Sang. Dom.* Joanne Scotto, Erigena, Imperatori gratissimo, ei adstipulante, Matth. Westmonaster. *Flor. Hist. Angl.* Romæ præfuit Joannes IX. a quo ad Leonem IX. usque per annos 150. fœdissimos homines insultasse sedi Pontificiæ, discas ex Baronio ann. 897. n. 4.

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

Carolus Calvus Matrem habuit Juditham, Guelfi, Altorfii Comitis F. Natus est in Germania 4. Jun. an. 792. (Alii verius an. 823. ponunt, Annon. IV. 109.) Uxores habuit I. *Richildam*, II. *Hermintrudem*. reperio modo hanc, modo illam (quod sapius lego;) Bosonis Provinciæ Regis Sororem appellari. ex illa volunt natos binos Filios, in pueritia aut infantia extinctos, quorum hinc nomina ignorentur: ex Hac IV. (al. III.) Filios *Ludovicum*, qui sub cognomine *Balbi* successit in Imperio; *Lotharium*, immatura morte Patri præreptum, quem ideo alii silent; *Carolum*, Ducem Aquitanix; & *Carolomanum*, qui puer Sacris initiatus, mox arma prætulit, a Patre captus & excœcatus, at custodia elapsus, Moguntix obiit an. 871. Filiam reperio *Juditham* nominari, primum nuptam Edelulfo, Anglorum Regi, incestatam a Privigno Ethelbaldo, qui, si credimus Simeoni Dunelmensi de *Gest. RR. Anglor. ad an. 855.* etiam illam viduam duxerit in matrimonium; at Paullus Æmilii Veronens. de *reb. gest. Francor. l. III.* in *Carolo Calvo*, ait, „dum a morte Mariti ad Patrem reditura „esset, intercepta a *Baldino Arduenna Saltuario*, „qui captus excellentis ac nobilissimæ formæ amore, „& ipse pulcherrimus, nec ignobilis, illam, volentem „an invitam, certe non consulto patre Carolo, toro „sibi junxerit: amentiam hanc Francorum armis puniri potuisse, & *Baldini* excidio exercitum coactum, „at precibus mulieris, cum infecta res reddi non potuisset, animum paternum motum, ex hoste & prædone sanguinis sui Generum salutavisse, *Brandia*, „quam Comitatum instituerit, donatum, „Judicio Patris Ludovici Pii hic Carolus regnum Franciæ fortitus est an. 840. Imperium vero anno Regni Francici 37. Chr. 375. Vid. *Acta Electionis* apud du Chesne *Serr. Vett. H. Fr. T. II. p. 458. & seq. p. 876.* Coronatus est Romæ 25. Decembr. in Templo S. Petri Vaticano. ad Imperii annos adde menses 2. dies 7. ut computat Reusner. in *Geneal. p. 125.* obiit an. ætat. (ut verius videtur) 54. aut 55. febre, aut dysenteria, (forte maligna, adeoque febre huic conjuncta:) in itinere, aut, quod magis tradunt, Mantuæ, 6. Octobr. atrox dati veneni fama a nonnullis imputatur Carolo Ludovici Germanici F. qui Judæum illum Medicum (Imperatori ob medicam an magicam artem mire & familiarissime dilectum:) corruerit, ut remedii loco pulverem mortiferum propinarit. Sigon. de *R. It. l. V. ad an. 877.* ait, quod ab isto pulvere assumpto Imperator montem Ciniisum adscenderit; „ubi vero ad locum, qui *Brios* dicitur, venerit, quod ingravescentis morbi magnitudine & veneni sævitie conflictatus *Richildem* uxorem, quæ apud Mauriennam erat, acciverit, in cuius complexu undecimo die animam efflaverit, „in tugurio, ut habent Ann. Bertin. ad *b. a.* Multi de veneno silent, ut Ann. Fuld. ad *b. a.* & Alii: at Æmilii *l. I.* ait, „non tradi ab Auctoribus, quo sollicitatore corruptoreque „id scelus perpetrarit Hebræus, neque sæviturne in eum sit, ut domesticis magis insidiis, quam externis, petitus oppressusque Calvus videatur, „Idem Æmilii, secutus fidem Annonii, videtur suspicari conspirationem primorum Regni, quorum magnitudo nefarium scelus memoriamque obscuravit, & impunitatem tulerit dederitque. Principem hunc multiplex adversitas per omnem vitam exercuit, cujus tamen ma-

gnam partem sibi consciverat ipse; varius in consiliis, actu infidus, ambitione præceps, & per hæc non raro sævus; adeo ei in consuetudinem venerat, mala malis redimere, ut sciens volensque a cordatis agendi rationibus subinde elaberetur: iudice Boeclero de *Reb. Sac. IX. & X.* qui *p. 161-172.* persequitur *Annotationem Temporis, Elogium, Quæ ad Statum Reip. pertinent, Excerpta de rebus gestis, Ecclesiastica, Literas & Studia, Memorabilia, & Epitaphium:* (quod est in ecclesia S. Dionysii: nam aliud in Mantuensi Monasterio illi positum erat. du Chesne *l. I. II. p. 660.* ibi enim exuvix ejus aliquamdiu requieverunt, donec an. 894. Parisios transferrentur. Vide Annal. Bertin. ad an. 877. *Cario Chron. in hoc Imp.* aliter, nescio quos secutus.) Puteano *Hist. Insubr. l. IV. p. 248.* fuit „Princeps propenso in Literas animo, ad quem, „quicquid eruditionis illo sæculo fuit, tanquam „ad Mæcenatem confluit, „quæ forsitan hauserit ex Epistola Herici Monachi, qua *Vitam S. Germani, Episcopi Antissiodorensis* carmine scriptam *Carolo Calvo* dedicavit. Apud Barth. *Adv. XLVI. 21.* occurrit *Carmen* seu *Ecloga* Hugbaldi, Monachi Benedictini Elvonenfis, in laudem *Calviti*, cujus omnes voces a C incipiunt, *Carolo Calvo* non sine laude dedicarum. adde Aventin. *A. B. l. IV. p. 357. 358.* Cetera fuit Princeps vanissimæ ambitionis, qui appellari se jussit *Imperatorem & Augustum omnium Regum cis mare consistentium*; qui Fratri Germanico minabatur, se *Rhenum exsiccatum multitudinem equorum, & occupaturum omnem Germaniam:* Annal. Fuld. ad an. 876. Ibidem ait, ab eo, Imperii gratia, *omnem Senatuum Populi Romani Jugurthino more corruptum.* Certe largitionibus Imperium erit, & hujus gratia Auctoritatem Imperatorum profluit, eamque Papæ quasi subjecit. Unde Sigonii flosculus: *l. I. Hinc titulus Imperatoris Augusti posthac sincerum Pontificis beneficium esse, annique Imperii a consecratione Pontificia repeti cepti.* at hi tamen Sigonii & Baronii ad an. 876. §. 9. flosculi partim foetent, partim marcent. Vide insuper Annal. Metens. ad an. 875. & 877. & *Acta Confirmationis Caroli Calvi* ap. Petr. Pichæum in *Vett. Francor. Annalib.* & du Chesne *l. I. II. p. 467.* in quibus Papa adulandi prudentissimus scenæ suæ mirum in modum servavit. Porro hic Imp. *Exactionem Normanis tribuendam* instituit, ut a regno recederent. Vide Constitutiones & Capitula Ejus ap. Goldast. *Const. Imp. T. III.* du Chesne *l. I. II.* Sirmondi *Capitula Caroli Calvi.* Fuit alias satis tenax juris sui in Ecclesiastica, Ann. Bertin. ad an. 876. Æmil. *l. I.* ait: *Impotentia superbiæque a Suis infimulabatur, & quod contentis patriis moribus, cultu in externos ritus degenerasset. Dalmaticam indutus prodibat, per sæpe cum corona diademateque serico, cum Veteres Reges nihil a cæterorum ornatu differrent.* De Controversia Eucharistica hujus ævi vide Forbes. *I. H. T. XI. 18.* Spanhem. *H. E. N. T. Sec. IX. c. 10. §. 2-7.* *Cario l. I.* hic animadvertit originem Capetinx Regiæ stirpis, quæ hodie in Galliis rerum potitur, a *Widichindo* illo Saxone, quem contra Normannos evocarat Carolus Calvus, & Andibus præfecerat (oriundum a *Widichindo* illo *Caroli M. Adversario*,) a cuius *F. Ruperto*, (Duce Francorum contra Normannos sub Carolo Calvo,) *N. Ruperto*, Pronepote *Hugone* natus est *Hugo Capetus*.

FLAVIUS CONSTANTIUS III.



HUNC FAMA JURE LAUDAT INTEGRUM VITÆ,
 SCELERISQUE PURUM, MARTIO BONUM BELLO.
 SED MERITA FACTIS GLORIA IMPERATOREM
 DESTITUIT, ATQUE CAUSA MORTIS EXISTIT.

E N A R R A T I O.

FLAVIUS CONSTANTIUS, Illyricus e Panæ-
 so urbe Cadiæ, vel ut alii volunt, ex Naïso mediterræ-
 nea Daciæ urbe, multis obitis jam inde a Theodosii
 Magni temporibus muneribus militiæ, Honorio Impe-
 ratori adversus Constantinum, aliosque tyrannos nova
 molientes strenuam operam navavit. Idem postea Go-
 thos Narbona expulit, & in Hispaniam fugavit; intercluso com-
 meatu navium, & peregrinorum usu commerciorum. Magistrum utriusque mi-
 litæ in Consulatibus describunt Fastorum instauratores ex Prospero Aqu-
 ranico. Consulatum enim primum gessit A. V. 1166. collega Flavio
 Constante. Alterum cum Honorio A. V. 1169. Quo ipso cum Galla
 Placidia, Honorii & Arcadii sorore nuptias celebravit. Nam cum ipsa
 initio id recusasset, habens animum alibi deditum, Honorius eo ipso
 die, quo Consulatum iniit, sororem arreptam Constantio in manum
 dedit, & ejus jussu connubiale sacrum magno cum splendore & pompa
 celebratum est, ut auctor est Olympiodorus. Sed in alia abeunt Cassio-
 dorus, Marcellinus, Prosper & Idatius; qui nuptias istas rejiciunt in

X 2 *

Theo-

Theodosii septimum & Palladii consulatum, hoc est, in A. V. 1160. Quicquid sit, ex hoc conjugio Honoria & Valentinianus III postea Imperator, nati sunt. Hujus Honorii meminit Olympiodorus; de filio ipsi mox agemus. Tertio Consulatu, quem gessit collega senior, juniore A. V. 1172. in consortium Imperii assumptus, & anno sequenti mortuus est, ut scribit Prosper. Sed Idatius in Chronico, qui mortuum statuit in tertio Consulatu, Agricola & Eustathio Coss. anno etiam ante, hoc est, Monaxio & Plinta Coss. Imperatorem appellatum esse vult. A Prospero stat Cassiodorus. NOBILISSIMUM CÆSAREM describit nummus apud Octav. Stradam. Sed tamen Imperatorem fuisse Olympiodorus & Rescriptum Constantii, a Baronio ex vetusto codice descriptum & publicatum, plus satis demonstrant. Septimo Imperii mense extinctum fuisse Olympiodorus memoriæ prodidit; qui adjicit, morbum contraxisse ex ingenti dolore & ægritudine animi, quod Theodosius Junior Honorii voluntatem in eo in Imperii societatem adsciscendo improbasset; quodque ipsum quoque pœniteret suscepti Imperii, jamque ob catenatas regiminis curas, & laborum impedimenta semper obo rientia & recurrentia sibi ademptam videret eundi redoundique quo & quando vellet libertatem; neque ludicris, quibus se oblectabat, operam vel tempus dare Imperatori permetteretur sine dedecore & infamia nominis sui. Adeo verum est hominem privatae sortis in hoc regibus præstare, quod multo licentiore vitæ genere delectentur, edentes, bibentes, dormientes, ubi lubitum est, tuti quoque ab aliorum insidiis, quando homini contempto quis est qui velit dare damnum aut malum? Libet imaginem ejus, quantum licet, ob oculos ponere, ut vultu quoque innotescat, quem tot res egregie gestæ celebrarunt, & notum omnibus gentibus reddiderunt. Fuit ergo subtristi ac tetrico vultu, ingentibus oculis, sublataque cervice, & plano capite: inclinans se turpiter omnino in e- qui, quo vehebatur, collum, & sic oblique huc illuc torquens oculos. Jucundus tamen jocosus & festivus in conviviis reperiebatur; integer, sanctus, moderatus, & abstinens, multaue fama ob pecuniæ contemptum celebratus, antequam Placidiam uxorem duceret. Sed uxor luxuriæ dedita sic totum mutavit, ut vix cognosceres eundem esse, qui tot tantaque frugalitatis & abstinentiæ dederat specimina. Hinc factum est, ut sensim in alia quoque vita prolapsus multos bonis suis per injuriam exueret. id quod idem Olympiodorus scriptum reliquit.



LUDOVICUS (a) III. BALBUS (b).



H E N N I N I U S.

Cui vitium linguæ dederat cognomina *Balbi*,
 Successor Patris Rex LUDOVICUS erat.
 Diviso regno, non gestis nobilis ullis,
 Ostensus terris in tumulum rapitur.

H O F M A N N U S.

*Non diuturna magis nato mihi sceptrum (c) fuere,
 Imperio ostensus, non quoque fructus (d) eram.
 Heu! quam clausa arcto est humana potentia gyro,
 Quam facili lapsu culmina summa ruunt!*

E N A R R A T I O.

Philippus (a) Calvi, (b) e sermonis vitio cognomen nactus, (c) a Joanne Româ profugo, quod Balbo contra Crassum fa-
 veret, in Galliâ coronatus, patri successit, ann. C. 878.
 (d) Post pacem cum patruale Ludovico Germaniæ Rege his
 legibus factam, ut Lotharii quondam regnum ex æquo
 possiderent, Italia in ambiguo esset, quoad Caroloman-
 nus & Carolus fratres Ludovici conventui possent interesse, nulla re me-
 morabili gestâ, decessit Compendii ann. C. 879. Imp. altero, non sine ve-
 neni

neni suspicione. Aimoinus *de Gestis Francor. lib. 5.* Regino *ad ann. 878.* Marian. Scotus, Sigebertus, Rob. Gaguinus *Histor. Francor. lib. 5.* Alii.

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

Ludovicus Balbus ex Hermintrude, quam male nonnulli faciunt Bosonis Sororem, natus est, circa annum 825. ut per conjecturam putare licet. Uxores habuit duas: I. *Ansgardam*, inconsulto & invito Patre in matrimonium assumptam, & hinc ab Ejus latere divortio divisam; unde nonnullis tantum pro Concubina habetur, & Filii ex ea *Ludovicus* ac *Carlomannus* pro Naturalibus, seu Nothis. tradita ei deinde est II. *Adelheidis*, quam decedens gravidam reliquit, enixam postumum *Carolus*, *Simplicem* dictum, Franciæ Regem, Peronæ in custodia extinctum 7. Octobr. an. 926. (Alii a moriente Patre in cunis relictum volunt. Aimon. v. 42. Chron. Floriac. fragm.) sub quo tutorio nomine Fratres *Ludovicus* 3. annos (verius aliis xxviii. Rex Franciæ, ab an. 879. usque ad an. 881. quo, venabulo aprum in venatu premens, intortæ fortuito aliunde hastæ vel teli vulnere periit:) & *Carlomannus* fere 6. annos (aliis verius xxix. Rex Franciæ, qui an. 884. equo puellam fugientem persequens, ostioque humili caput equi incurrentis impetu illidens Turoni periit:) regnarunt. Valde intricatæ sunt res hujus *Balbi*; conabimur tamen eas extricare. Male eum poni in serie Imp. recte ait Petav. *R. T.* I. 8: 10. Idem jam olim Mutius (qui tamen nomina & res non nihil confundit:) *Histor. l. II.* de hoc annotavit: *Balbi nomen Imperatorium vertitur in risum, nec scribitur in albo Imperatorum.* *Annales Fuldenses, Bertiniani, Metenses;* *Chronica Laurebambense, Australe, Urspergensse*, aliaque idonea Monumenta semper ut de Rege tantum loquuntur, nulla mentione Imperatorii nominis. Solus Barouius *ad an. 878. §. 13.* Johannis Papæ *Epistolam* 87. adfert Ludovico scriptam, cum jam, ut ait, *insulas Imperii suscepisset ab Ecclesia Romana.* At purpuratus hic Sacerdos hypothesei servit. Errori vulgari causam dedit, quod a *Johanne Papa coronatus* dicatur Trevis sive Tricassibus 7. Id. Sept. an. 878. Aimonio v. 37. Sed regia fuit hæc, non Imperatoria corona, jurejurando adacti *ad Ecclesiæ defensionem.* Scilicet observo ex hujus ævi Monumentis, libenter Reges, superstitione invalescente, Pontificiam coronationem, etiamsi ante a Suis Flaminiis coronati essent, (ut *Balbus* erat ab Hincmaro Archiepiscopo Remensi solennibus cærimoniis Compendii 6. Id. Decembr. an. 877.) denuo admisisse, ac per occasionem petisse. Sic Idem Balbus, testibus Annalib. Bertin. *ad an. 878.* „per *Missos* Suos rogavit eundem Papam, ut *Uxorem* „in *Reginam* coronaret, nec tamen obtinuit. „Cur *Reginam*, & non *Imperatricem*, si *Balbus* erat *Imperator* coronatus? Illud equidem verissimum, Johannem Papam Balbo faventem in eum transferri studuisse *Imperium*; at ideo a Romanis vexatus & coactus est Urbe excedere, Sigebert. *ad an. 878.* hinc ad Balbum profectus (opera Bosonis Provinciæ Regis usus, cum quo occulta de Regno Italiæ in eum transferendo consilia agitabat: *Annal. Fuld. ad an. 878.*) anno integro apud Ipsum hæsit. adde *Annal. Fuld. ad an. 878.* Notandum quoque, hoc ævo distincta fuisse *Regnum Italiæ & Imperium in Italia*; *Rex Italiæ* erat *Carlomannus*, idem *Bavariæ* Rex, *Ludovici Germanici* F. ut docent Ejus Diplomata Lombardis data, teste Sigon. *de Regno Ital. l. v. ad hos annos.* de *Italia* a Saracenis vexatæ *Imperio* fluctuante & ambiguo, in hoc rerum transitu, nota verba Conventus Turonensis, *capitulo 2. & 3. ap. du Chesne T. II. p. 476.* ubi pacti sunt *Ludovicus Balbus & Ludovicus Ludovici Germanici* F. *cap. 2.* hoc modo: *de Regno vero, quod*

H Ludovicus Imperator Italiæ habuit, quia necdum ex illo aliqua divisio facta est, quicunque modo illud tenet, ita teneat, &c. cap. 3. De Regno Italiæ, quia modo nulla ratio esse potest, omnes sciant, quia partem nostram de illo Regno & requisivimus & requirimus, & Domino auxiliante requiremus. ita Illi, quæ ex superioribus facile intelliguntur. Ut ad Regnum Franciæ perveniret, Richildis noverca & Proceres irati erant prius conciliandi. Hæc tandem Compendium venit, & Ludovico attulit pignora Regni, quæ obiter ex *Annal. Bertin. ad an. 877.* notari merentur: 1. *Præceptum* (*Sigonius tabulas*, scilicet testamenti:) *per quod Pater Ejus Illi Regnum ante mortem tradiderat*: 2. *Spattam* (sive ut *Latinus Sigonius Ensem*;) *S. Petri, per quam Eum de Regno investiret*: 3. *Regium Vestimentum*: 4. *Coronam*: 5. *Fustem ex auro & gemmis*: (quem *Sigonius Scaptrum* reddit.) Notari quoque merentur *Acta primæ Coronationis Regiæ* Compendii factæ *l. l. Ann. Bert. & ap. du Chesne l. l.* ubi 1. *Petitio Episcoporum de conservandis Privilegiis & defensione Ecclesiarum.* (Nota hic Cleri artes & gliscentem *πρωτεζουσιαν*.) 2. *Promissio Regis Balbi*. 3. *Benedictiones super R. H Ludovicum factæ*. 4. *Sacri Olei infusio*. 5. *Impositio Coronæ*. 6. *Sceptri traditio*. Notanda & *Promissio Regis* scripta, data *Compendii 2. Kal. Decembr.* adeoque quatuor dies ante ipsa Coronationis sollemnia. item notandæ *formule Benedictionum, Commendationum, jurata fidei*, quibus si addatur *Epistola Hincmari Remensis*, qua Regem Electum monet & instruit apud du Chesne *T. II. p. 475.* habebis statum Regni Francici eo ævo. Proceres coactus est indulgentia demereri. Fuit Princeps infelix: & si credimus *Ann. Metens. ad an. 878. simplex, mitis, pacis, justitiæ & religionis amator.* At *Chron. Vetus* apud du Chesne *T. III. p. 359.* miro cognomine eum vocat *Nihil-fecit*. Obiit, ut videtur, quinquagenario major, 10. April. ipsa Parasceve, an. 879. (ut recte putat ex *Aimon. v. 39.* & ex eclipsibus prægressi anni 878. colligit *Petavius l. l.*) non vero 880. ut *Fragm. Ecclesiæ S. Quintini* ap. du Chesne *T. II. p. 483.* Regni tempus alii ajunt an. 1. mens. 3. dies 5. alii biennium, alii triennium, ut videlicet computant aut a morte Patris, aut a Coronatione Compendiensi, aut Pontificia Trecenti. Quid ergo? Vacavit, fluctuavit, in interregno hæsit Imperium, toto triennio, Parriculis mutua invidia singulis sibi illud destinantibus. Vide de rebus *Balbi* *Boecler. de reb. Sec. IX. & X. p. 173-181.* ubi tantum habet *Annotationem Temporis, Elogium, Statum Reip.* (in quibus nonnihil desidero solitam Viri acrimoniam & curam majorem:) & *Ecclesiastica*; *Adon. Vienn. ad hos annos*, *Frodoardi Hist. Remens. Æmil. l. III. in hoc Rege*, qui tamen minus bene *Augustum* dixit, & caute legendus est, quod ad nonnulla. Ex Synodo Trecenti habita an. 878. testibus *Ann. Bert. ad h. a.* apparet *Excommunicationes* versas fuisse in tela Arcanæ dominationis & Sophismata Politica; easdemque tamen opus habuisse confirmatione Episcoporum Provincialium. de causâ utriusque *Hincmari, Laudunensis & Remensis*, consule *Spanhem. H. E. N. T. Sec. IX. c. 7. §. 8.* & *Laudunensis ipsius Reclamationem & Proclamationem.* De *Photii & Ignatii diffidio* CPlī, immiscente se alienis *ἀλλοτριοπικτικῶν* Papa, vide breviter *Forbes. I. H. T. VII. 12. §. 13. & 14.* Hoc tempore inchoatur ab an. 878. *Historia Gelrica.* Vide rerum *Gelric. Serr. Aquilium, Pontanum, Slichtenhorsium, Merulam.*

CAROLUS (a) III. CRASSUS (b).



L O T I C H I U S.

Sceptra gerens primis CAROLUS feliciter annis
 Miscuit audaces fortis in arma manus.
 Tandem pauper, iners, desesque ætate senili,
 Nomen ab ignavo corpore Crassus habet.

H O F M A N N U S.

Corporis atque animi languor (c), Normannaque (d) pacta,
 Imperio miserum me pepulere (e) meo:
 Basilius Russos (f) Macedo dum discere Christum,
 Et sacros ritus, & pia jura docet (g).

E N A R R A T I O.



Illius (a) minimus natu Ludovici Germaniæ Reg. nepos
 Ludovici Pii ex filio, & Caroli Calvi, ex fratre: defuncto
 Balbo Italiæ regnum occupavit, atque a Joanne Pontif. ut
 hic Romæ tutus esse posset, coronatus est, ann. C. 880. (b)
 Amole corporis dictus est Crassus, seu Grossus. (c) Postquam
 Crassi & fratrisejus favore nixi Ludovici Balbi filii Bosonem
 Burgundiâ, & Hugonem Lotharingiâ expulissent, ann. eod. & 881. Norman-
 nisque is Belgium vastantibus, ann. eod. Frisiam concessisset; Godefrido duce
 eorum, datâ in uxorem Gisela Lotharii fil. ad Christianismum perducto, ann.

882. Zuentibaldum dein Slavum Austriam vastantem repulisset, ann. 884. aliaque passim satis bene gessisset: corpore simul animoque languere cœpit. (d) Accessit, quod pacem a Normannis Parisios obsidentibus, eâ conditione mercatus est, ut Neustriam in posterum sibi haberent, ann. 887. quam prius Ludovico Balbi minori filio dederat. (e) Itaque Germanorum iram incurrit, atque a subditis desertus Imperioque exurus, eo necessitatis adactus est, ut stipem flagitaret. Tandem impetratis ab Arnulfo, quem e Carinthia accersitum Francofurti Regem elegerant Germani, paucis Alemanniæ ad vitæ necessarios usus locis, paulo post in ignobili quodam Sueviæ vico decessit, ann. C. 888 Imp. 8. mens. 6. Aimoinus *de Gestis Francor. lib. 5.* Otto Frising. *Chron. lib. 6.* Abbo *de obsid. Lutetiæ lib. 2.* Martinus Polon. *Chron. ad ann. 877.* Alii. (f) In Oriente tum Basilius adhuc I. præfuit, Russiæ ad fidem perductæ gloria inclytus, cujus initium sub Ludovico II. factum præmonuimus. (g) Croatæ & Servii prodierunt, ann. 886. Sigonius. Quoad *Ecclesiâ*, Joannes Erigena, quem Bertramo adstipulatum, de sensu verborum S. Cænæ, diximus, Monachorum instinctu, discipulorum graphiis confossus est, ann. C. 883. Matth. Westmonasteriensis ubi supra, & *Chron. Norimberg. p. 172.* Romæ Joanni IX. qui *Indulgentias contra Infideles primus promulgavit*, veneno primum tentato a quodam suo propinquo, dein malleorum ictibus confecto, ann. 881. successit Martinus II. qui Formosum Portuensem Episc. ab antecessore, cujus vitia libere reprehenderat, loco motum restituit ann. 882. Eum excepit Hadrianus III. ann. 884. qui *Pontificem designatum sine præsentia Regis aut legatorum ejus consecrari posse* statuit. Ipsi suffectus Stephanus V. qui purgationem, *quæ candenti ferro & ferventi aqua fiebat*, tollere Moguntinum jussit, ann. 885. Sigonius *de Regno Ital. lib. 5.* Idem Symbolo Nicæno, propter Photium Patr. *Spiritum S. e Filio procedere* negantem, addi voluit, *Filioque, Baron. Annal.*

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

Caroli Crassi Mater fuit Hemma, ex Hispaniæ Proceribus oriunda, quæ Ratisponæ extincta est apoplexia an. 876. Coronatus est ipso natali Christi die, sic ut inter mortem Balbi & Crassi coronationem intercedant pæne 9. menses. male multi annum 879. alii 878. pro initio Imperii assignant, uti facit Panvinius, a 4. Id. April. an. 879. qui & coronationem Romanam rejicit ad an. 881. Illud certum, quod non statim ab obitu Balbi ceperit Imperatorium nomen. De Eo Imp. videndus Aventin. l. iv. late, Cario in *Crasso*, Rupert. *ad Befold. Synops. c. 17. §. 6.* Boecler. *de reb. Sac. IX. & X. p. 182-195.* ubi habes *Annotationem Temporis, Elogium, Statum Reip. Imperium CPtanum. Externa Regna & Dominationes, Ecclesiastica, Literas & Studia, ac Memorabilia.* de Saracenorum rebus adde Strukhuf. *Hist. Sarac. p. 77.* dominabantur late in Sicilia, Fazell. *Rev. Sic. Decad. Post. vi. 1.* Floruit tum in Anglia Elfredus, seu Alwredus, Princeps laudatissimus & eruditus. Will. Malmesb. *de Gest. RR. Angl. I. 4. de Ordaliis sive Judiciis* hoc sæculo & ævo usitatis eleganti libello egit Becmanus. Si Aventino credimus lib. iv. p. 356. *Primus (Crassus) annos Christi Servatoris nostri omnibus Epistolis, libellis, diplomatibus addidit. Posthac id usque ad nostrum ævum hætenus observatum est, quæ tamen cum grano salis sunt accipienda, si credimus Schatenio Hist. Westfal. I. II. & III. passim.* Hic Imp. ab Ita-

lis vocabatur *Malferito*, i. e. vehementer tactus, graviter afflictus, quod ineptissime vertunt Italismi imperiti *Male feriatas*, & hoc etiam barbaro sensu, Reinef. *V. L. I. 4. pro insubido, stolido.* Excidit Regnis & Imperio mense Nov. an. 887. cum Triburias vel Francofurtum comitia indixisset. Primi obsequium exuerunt Franci, Saxones, Boji & Alemanni. Brunner. *Hist. Bav. I. VII. p. 271. 272.* ubi de Eo: *Credi poterat, duas ipsum inter se Fortunas partitas, ut qui paullo ante inter felices felicissimus, idem inter miseros miserimus diceretur.* vide & Putean. *Hist. Insubr. I. V. p. 287.* Sepultus est in *Angia divite*, vulgo *Reichenau*, Insula Rheni prope Constantiam. Epitaphium ibi Ejus tale instauravit Christophorus Episc. Constantiensis: *Carolus Crassus, Rex Sæviæ, Pronepos Caroli Magni, Italiam potenter intravit atque devicit, Imperiumque Romanorum, ubi Cæsar coronatus, obtinuit; ac mortuo Fratre Ludovico universam Germaniam & Galliam jure hereditario acquisivit; demum animo, mente & corpore deficiens, ab Imperio, sane magno cum Fortune ludibrio, dejectus, a Suis omnibus postpositus, humili hoc in loco sepultus jacet. Obiit anno Domini D. CCC. LXXXVIII. Idib. Jan. ibidem & hæc incisa:*

*Pannones & Cimbro diverfo Marte subegit
Carolus, a crasso corpore nomen habens.
Sed bene quas Juvenis Regni tractarat habenas,
His iterum Senior dispoliatas obit.*

A R N U L P H U S (a).



L O T I C H I U S.

Suscipit Aufonios ARNOLFUS in ordine fasces
 Bella ciens acri non inhonora manu.
 Sed sacra dum vetitis defœdat templa rapinis,
 Phtiriasi foetens turpiter, ecce! perit.

H O F M A N N U S.

*Guidonem (b) pepulit, cum prole (c), & mœnia cepit
 Roma (d) urbis, factò cui lepus (e) auctor erat:
 Passus Agiltrudis (f) sed fraudem, qua ulta maritum est.
 Hungaria (g) sonuit nomen in Orbe recens (h).*

E N A R R A T I O.



Arolomanni, (a) Ludovico Germanico geniti, ex concubina nobili, filius, Caroli M. abnepos, a Germaniæ proceribus patruo ejus Crasso iratis, ad Imperium evectus est, ann. C. 888. Miseranda rerum facies, *ex Caroli M. nobilissima stirpe nullum superesse legitimo procreatum matrimonio, qui summam Orbis capeſſat dignitatem.* Et quidem Imperium tum turbulentum admodum. Ex Principum enim in Gallia, ubi Odo Parisiorum Com. Carolo Simplici, Ludovici Balbi ex Adelheida (quam Ansgardâ repudiata duxerat) filio posthumo, regnum præripere conatus est; Burgun-

Burgundiâ, ubi Rodolphus Hugonis Abb. ex fil. Conrado nepos, se Regem fecerat, & Italiâ, ubi Guido Lamberti fil. Dux Spoletanus, cum Berengario Duce Forojul. de regno contendebat: dissensionibus, occasionem sibi sumpserunt Nortmanni Hungarique in provincias Imperii irrumpendi. Quorum illi Arnulphi copias magnâ ad Mosam strage jam profligaverant, cum Arnulphus, animoso in pectore illata versans damna, illos ad Tiliam amnem aggressus, tam atroci prælio devicit, ut vix cladis nuntium iis reliquerit, ann. 891. Suentibaldo dein Sclavo in Pannonia Hungaros, contra Bohemos rebellantes, immisit, quo pacto via illis in Germaniam facta, ann. 892. (b) porro Guidonem Berengario pullo Italiæ Regem in fugam conjecit, ann. 894. (c) altera inde vice contra Lambertum filium hujus in Italiam profectus, quod a Formoso Papa coronatus minus ex sententia ejus imperaret, (d) peragratâ Italiâ, urbem Romam obsessam, (e) occasione lepusculi versus urbem fugientis, exercitus parte cum clamore sequente, primus post Gothos vi cepit, ann. 896. (f) Tandem ab Agiltrude Guidonis vidua veneno petitus, languens paralyti in Germaniam rediit, longaue dissolutus ægritudine, quam mores uxoris non parum auxere, obiit ann. C. 899. sub fin. Imperii 12. phthiriasi consumtum scribunt, Luitprandus *Histor. Langobard. lib. 1.* & Sigebertus *ad ann. 900.* Vid. quoque præter supra citatos, *Gesta Normann. ad ann. 890.* Andreæ Presb. Ratisbon. *Chron. Bavar.* Joan. Cuspinianum *de Cæsaribus*, Conradum Abb. Ursperg. *ad ann. 888.* Radulfum de Diceto *Abbrev. Chron. ad ann. 902.* Alios. (g) Ungari seu Ugri sub eo primum contra Bulgaros a Leone VI. Philosopho Imp. Græcorum evocati occurrunt, ann. 889. apud Zonaram *tom. 3.* ab Arnulpho dein contra Bohemos adhibiti, ut diximus. (h) In Hispania, Sanctius Abarca primus Rex Aragoniæ & Pampelonæ (Pompeiopolis) illam auxit, ann. 885. In Gallia, inclinatur familia Carolina, per tutelam Odonis: hoc tamen mortuo, Carolus Simplex, Ludovici Balbi fil. ab ipso Odone Proceribus commendatus præesse cœpit, ann. 898. *Ecclesiæ* quod attinet, *erat seculum sui asperitate ferreum, boni sterilitate malique exundantis deformitate plumbeum, proh pudor, proh dolor, tot monstra visu horrenda*, exclamat Baronius, *fuisse intrusa in sedem Angelis reverendam.* Certe Romæ in Formoso non parum virtutis, sed & is cum Sergio de Papatu certavit, ann. 891. ejus vero cadaver effossum, mutilatum & in Tiberim abjectum a Stephano VI. successore est, ann. 896. Sigonius *lib. 6.* At conversa Bohemia, cum Borzivo (qui Moravici regni sceptrum primus ad Bohemos transtulit) per Methodium, concessus a Formoso Moravis, linguæ vernaculæ in Sacris usus, ad vocem de cælo auditam, *Omni Spiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ei*, ann. 894. Oxoniensis item Academiæ in Anglia ab Alvredo Rege fundatio ann. 895. mœsticiam non parum minuerunt, Aventinus *Annal. Bojor. lib. 4.* Æneas Sylvius *Histor. Bohem. lib. 13.* & Polydorus Virg. *lib. 5.*

Additamenta H E N R. C H R. H E N N I N I.

Arnulfi Mater fuit Litovinda, nobilis Carinthia. fuerat prius Marchio Styriæ & Carinthiæ, quam Imperator, & novo exemplo, Patru Curator legeretur. de Illius gestis, Uxoribus, Concubina, Liberisque tam legitimis, quam naturalibus accurate satis Cario *Chron. l. iv. in Arnulfo*, quamvis Genealogia illa suas habeat controversias. creditur per Filios Conditor Stirpis Palatinæ & Bavaricæ, item Andechianæ, ex qua posteriore orti deinceps Domini Istriæ, Meraniæ, & Voithlandiæ. cepit regnare ab abdicatione Crassi an. 887. annos 12. mens. 1. dies 19. Anni autem in figura Christinæ Reginæ subjecti initium sumunt a morte Crassi. dies mortis fuit 3. kal. Decembr. ut habent Regino & Annal. Metens. *ad an. 899.* Sepultus primum *Oetingæ* juxta Patrem, teste Regi-

none *l. l.* translatus deinde Ratisponam, ac humatus in S. Emmerani Monasterio, uti suspicatur Otho Frising. vi. 13. exstat ibi in choro Ejus Epitaphium, quod refert du Chesne *T. II. p. 585.* & Bœcler. *de Reb. Sac. ix. & x.* qui p. 196-212. habet quoque *Annotationem Temporis, Elogium, Statum Reip. Excerpta de Rebus Gestis, Externa Regna & Dominationes, Ecclesiastica, Literas & Studia, & Memorabilia.* Addendi præter Annales & Chronica istius ævi Aventinus *l. iv.* passim, Rupert. *ad Besold. Synops. min. c. 17. §. 7.* Megiser. *Annal. Carinth. lib. vi.* passim. Fuit bellicosus, liberalis, religionis propagator, magnificus ædificator; sed asperior in vindicando, inconstantior in deliberando.

LXXXIV.

FLAVIUS ANICIUS MAXIMUS.



JUCUNDA TE VINDICTA JUVIT, AT CONJUX
HAC USA EADEM MOX TIBI NECEM DIRAM
PARABIT. ECCE SÆVUS IRRUENS HOSTIS
SUPERBA ROMÆ MOENIA ATQUE TE PERDET.

E N A R R A T I O.



S EQUUNTUR in Occidente fungi verius quam prin-
cipes, cum ut cito nati sunt, ita cito perierint. Legi-
mus in floridis veteris poetæ:

*Consules fiunt quotannis, & novi proconsules.
Solut aut Rex, aut poetæ, non quotannis nascitur.*

Quod certe de bonis principibus verissime dictum est: nam inertium & malorum uberrimus est proventus & annona perquam fecunda. Sed eo redeamus. Valentinianum Imperatorem, de quo supra locuti sumus, Flavius Anicius Petronius Maximus (sic enim nummi ejus nomen præferunt, quod sciunt antiquorum monumentorum periti) Patricius Romanus, ex illius Maximi filia, quem tyrannide occupata Theodosius Magnus debellaverat, in campo Martio per milites Aetii occidi curavit, quos ad hoc negotium conduxerat. Valentinianus enim turpi libidine Maximi uxorem, annulo mariti deceptam, vi stupraverat, & stolidam temeritate sinistra manu sibi dextram amputaverat, id est, Aetium ex falsa delatione Maximi una cum ejus amico Boëthio præfecto Prætorii

Y *

neca

necaverat, & omne occidentalis imperii præsidium hac agendi ratione removerat. Milites igitur Aetii in vindictam Ducis sui insurgentes, Valentinianum in campo Martio trucidarunt: eoque sublato, nemihe resistere auso, Anicius sibi imperium cepit, statim palatium ingressus cum satellitibus, uxoremque Imperatoris Valentiniani Eudoxiam invitam duxit. Sed hæ nuptiæ illi exitio fuere, garrulitate, quo vitio homo futilis laborabat, occasionem præbente exitus tragici & tyrannici digni. Namque dum blanditias facit Eudoxiæ novæ conjugii, & ab ea voluptatem suam explere conatur, inter mutuos amplexus impudenter dicam an imprudenter ei aperuit, Valentinianum suo consilio & opera per Aetii satellites esse occisum. Illa his verbis perculsa studium vindictæ in commodum tempus differt. Quod ubi maturum visum est, occulte nuncios cum ingentibus muneribus ad Gensericum Vandalorum Regem Carthaginem mittit, qui orent, ut venire properaret ad tristem Valentiniani cadem ex fœdere nuper inito ulciscendam, nec pateretur se vivere turpi matrimonio implicitam, urbemque Romam quantocius ab indigna Maximi tyrannide liberaret. Gensericus statim animum intentum habens in tantas opes, & Imperii Romani majestatem, quod omnes gentes longe infra se positas videret, non dubitavit annuere precibus Eudoxiæ. Relictis ergo rebus omnibus, omni mora amputata, armata cum classe & copiis magnis Romam de improvviso venit. Cives igitur ingenti pavore correpti confestim ex urbe in loca tutiora profugiunt. in qua trepidatione Maximus etiam fugam capeffens, a Romanis primum lapidibus petitus, deinde dilaniatus & membratim dissectus in Tiberim abjectus est die septuagesimo septimo, postquam tyrannidem arripuerat. Sic periit ille horrenda morte: nec sustinuit esse dominus, ut ait Sidonius, quia non sustinuerat esse sub domino. Gensericus rex tertio inde die Romam omni præsidio vacuam, nullo adversante ingressus, a Leone quidem Episcopo & Eudoxia flecti se patiebatur ne urbem incenderet: sed tamen eam totam per quatuordecim dies diripuit: neque privatas tantum civium domos spoliavit, sed etiam Sacrarum ædium donaria auro gemmisque ornata, nonnulla etiam aurea vasa e templo Hierosolymitano a Tito allata rapuit, eaque una cum Eudoxia & duabus ejus filiabus Placidia II, & Eudoxia III, multisque millibus captivorum in Africam secum asportavit, & Eudoxiam III Valentiniani filiam natu majori filio suo Honorico uxorem dedit. Placidiam III postea Constantinopolim misit, eam Olybrio, ex Romana clade perfugo, suo tempore elocaturus. Eudoxiam vero Valentiniani viduam sibi retinuit.



L A M B E R T U S (a).



Supplementa HENR. CHR. HENNINI.

LAMBERTUS rapuit sibi nulla lege dicatos
Imperii titulos auspice Pontifice.
Res Italas igitur Furor & Discordia vexant,
Hæ Sæcli poenæ desipientis erant.

Tetraftichum Historicum.

LAMBERTUS gessi patriam (b), Imperiique coronam (c),
Hanc Papa, ast illam dat Pater ipse mihi.
Perque vices variæ Sortis jactabar ubique (d),
Ultorem mea mors testificata Deum est (e).

ENARRATIO HENR. CHR. HENNINI.



Atus (a) erat Avo cognomine, Patre *Guidone*, (*Widone*, *Udone*, *Vidone* Aliis :) qui ad Longobardorum Reges genus referebat, & Caroli Crassi amicitia, quia Eum inter Proceres Italiae circa obtinendum Imperium suffragio adjuverat, creatus erat Dux Spoletanus, uti eandem ob causam Berengarius, (de quo deinceps dicemus:) factus erat Dux Forojuliensis, sed non sine solœcismo politico: ita quippe

Y

pe

pe Italia ab Imperio paullatim est avulsa. Mater *Lamberti* fuit *Agildruda*, mulier astuta, quæ *Arnulfo Imp.* illam Camerini obsidenti, per famulum corruptum venenum præbuit, quo ille exhausto triduum semianimis jacuit, unde postea paralyti languens haud diu vitam traxit. Luitprand. I. 15. Paullo altius horum temporum turbæ ex idoneis Auctoribus repetendæ sunt. Saracenis Italiam lacerantibus sub Carolo Crasso Normannorum armis distracto, Romana factio ex illa ipsa calamitate vires accepit, indignata Imperium tradi Exteris, cui domestica virtus sufficeret. Jactabatur, fractam divulsamque Caroli M. potentiam in Posteris aut laborare aut collidi: Italiam sibi sufficere, Augustum ibi majore gloria constitui, quam aliunde accipi. Audivit Pontifex animosissimæ audaciæ Hadrianus III. Itaque Romæ coeunt anno Chr. 884. cum illo Proceres, qui foro utentes decernunt, velut temporum fata ordinaturi: *Ne deinceps in creando Pontifice Imperatoris auctoritas expectaretur; &: Ut si Carolus Crassus sine filiis decederet, regnum Italicis Principibus*, (innuebant Vidonem & Berengarium:) *una cum titulo Imperii, traderetur.* Vide Spanhem. *H. E. N. T. Sec. IX. c. 7. §. 8.* Hoc Decretum postea magnas in Italia turbas mutationesque tetras ac fœdas peperit, quas deplorat Sigonius *de R. I. lib. VI. initio*, & Baron. *ad an. 888. §. 2.* & passim Putean. *in Hist. Insubr. & Barbaric.* Itali ergo in se mutuos ferrum stringunt, &, quam vindicatum ibant regni ac Imperii purpuram, majori rabie lacerant. Hinc Guido, inde Berengarius, Pontificis decreto subnixi, sceptrum prensant: primum fœdere, dum Crassi adhuc viventis, sed dejecti, regna dividunt: dehinc bello, postquam feliciter Italiam Berengarius, quam Galliam Guido invaserat. Hic igitur, quam ab hoste non potuit, fortunam ab amico & socio extorquere aggressus est, & reductis domum copiis pro Italia in Italia bellum gerere. In partes ipse Pontifex, & hoc exemplo populi veniunt. Prior, defuncto Crasso, Longobardiæ coronam Berengarius Eberhardi F. Caroli Crassi N. avito scilicet jure, vindicabat, eaque a Mediolani Antistite accepta sedem regiam Papiæ collocavit: at contra Guido arma capit, *a dejecto Patre nullum jus in Posteris transferri potuisse* caussatus; a suis Spoletanis acclamante Pontifice Stephano VI. (al. V.) & magna Italiæ parte adversus Berengarium, quem Insubres sequebantur, Italiæ Rex salutatur an. 888. &, exercitu educto, cum Eo ad Trebiam amnem conflixit. Berengarius decessit victus. Reparavit quidem exercitum, sed iterato prælio in Agro Brixiano inferior, ex Italia ad Arnulfum Imp. in Germaniam decurrit. Sic Guido Papiam occupavit, totamque Longobardiam, & post anno 891. die 21. Febr. a Stephano Papa (non a Formoso, qui ejusdem anni 891. die 27 Maji demum electus est:) Imperator est coronatus, sedem Papiæ collocans. Sic domesti-

ta servitus gloriæ quadam umbra velabatur. Ussit hæc Papæ audacia Arnulfum, qui, cum Berengarius se illi Imp. in omnibus rebus obnoxium fore promississet, Zuendebaldum (aliis est Zundibolchus; vide *not.* Goldasti ad *decretum* *bujus* Zundibolchi *apud* du Chesne T. II. & Reginon. ad ann. hos: Cendeboldus; in *Geneal. S. Arnulfi Metensis*; Suatelogus aliis, nomine, ut puto, Slavico:) Filium cum exercitu in Italiam misit contra Guidonem: at frustra ille Papiam tentavit, nec Berengarius alienis felicior, quam suis fuit armis: non tamen despondit animum, pulsus magis, quam victus. Et tamen, quasi debellatum esset, Guido mox anno 892. *Lambertum* F. Regni Italici socium (*b*) adscivit. Quæ securitas magnæ fortis? cum otia somniaret, subita tempestate a rerum culmine deturbatus est. Nam an. 894. Arnulfus ipse magna militum manu in Italiam reduxit Berengarium, specie & titulo quidem auxilii, re autem vera asserendæ armis suæ dignitatis causa; recte enim in Arnulfo notatum, quod negligentius & segnius ad remotiora respexerit, proximis quasi satiatus. Nunc sero sapere cœpit. Fugatur tota Longobardia Guido cum Filio, Insubres passim Urbes suas tradunt, Verona Berengario commissa. Vix Italia egressus fuerat Arnulfus, cum Guido fugatus apud Tarum fluvium in agro Placentino, sanguinis vomitu repente exstinguitur. Tum *Lambertus*, regni & belli hæres, amissa repetit armis, valida Italicorum, ac Romæ factione Sergiana succinctus, nec auso Berengario, qui Papiam Veronam redierat, experiri prælii eventum. His turbis, ac de Sergianorum Romæ tumultuantium furiis querente opemque petente Formoso Papa, Arnulfus in Italiam revocatur, qui Romam, cujus ad præsidium *Lambertus* Matrem Agildrudam reliquerat, obsidet, ac miro casu, ludente in serio negotio fortuna, cepit. an. 895. Lepusculum suo latibulo militaris tumultus exegerat, quem pavido cursu versus Urbem fugientem exsiliences suis stationibus milites per ludum magno numero certatim sunt secuti, cumque studio ignobilis prædæ longius proveherentur, Romani in muris stantes universis se copiis, oppugnaturis mœnia, peti putantes, terrore Panico quaquaversum dilapsi sunt. Germani nuda defensoribus mœnia conspicati, occasione tam bella usi, congestis sarcinis per extemporalem aggerem evadunt in muros, & Urbe, sæva strage facta, potiuntur. Ita Terrarum Dominam, & Divinos quondam honores usurpantem Deus O. M. per jocum capiendam dedit! Itaque capta Urbe, pulso Sergio Antipapa, & compressa Ejus factione, Arnulfus & nomen & insignia Imperatoris sumit, a Formoso Papa in Templo Vaticano solennibus ceremoniis consecratus, ubi Populum Romanum exacto jurejurando (quod habet Sigon. *de Re. It. l. VI. ad an. 896.* Annal. Francor. Fuld. *ad an. 895.*) a *Lamberti* & Sergiana factione avertit. Digressu Imperatoris, Sergiana factio

confirmatur, & *Lambertus* a Stephano VII. (al. VI.) Papa (c) contra Arnulfum, rescissa sacramenti religione, cum ipse non idoneus Auctor aut Judex jactaret hunc vitio creatum, o ludibria rerum humanarum! Imperator rebeli ausu an. 896. coronatur. Sic Berengarii spes magis & magis attrita est. Mirifice tamen *Lambertum* Fortuna circumtulit (d). Mediolanenses, ductu Mangifredi Præfecti sui, causam *Lamberti* contra Arnulfum aut Berengarium non amplectuntur, fidem alii datam secuti, nec minus prompta arma, quam consilia habebant, vicinasque urbes, quas vel metus vel fides *Lamberto* obstrinxerat, hostili incurſu & populatione terrebant. Hæc tamen sive vis, sive conjuratio, ut victor appellabat *Lambertus*, oppressa, ac de auctore Mangifredo supplicium sumtum, quia Domino vero fidelis fuerat. Hæc in Patrem sævitia Filium Hugonem armavit ad ultionem Paternis Manibus exigendam. Sic Deus (e) temere læsam veri Imperatoris Majestatem in raptore *Lamberto* simul punivit. Hugonem Mangifredi F. *Lambertus* ingenti familiaritate complexus honoribus auget, tanquam æque facile esset, placare Filium, atque occidere Patrem. Sed nullo humanitatis officio memoria cædis Paternæ apud Filium potuit deleri. Erupit ipsa indignatione vindictæ cupido, & naturæ stimulus Juvenem exacuit, ut merſo profunda simulatione consilio, tuta ultione pietati parentaret. Occasionem exoptatam venatio dedit. Ergo forte fortuna a reliquo disjunctum comitatu, & labore fessum *Lambertum* invadit, & fuste subdormientis cervices elidit, ut casu extinctus videretur, totamque culpam equus sustineret, tanquam excussor & proculcator. Hæc de *Lamberto*, (quem male a Serenissima Regina Christina in serie Imp̃p. poni mox in ejusdem notæ Rege *Berengario* ostendemus:) tædioſo labore, attamen ordine paullo concinniore digessimus ex II. II. Luitprandi, Reginonis, Sigonii & Puteani, (qui Puteanus tamen nimium indulſit Partium studio, imprudenter hinc exſcriptus Boxhorn. *H. U. ad an. Chr.* 887. nec Sigonius odii causas procul habuit:) item ex Sigebert. *Chronogr. l. VII.* & Ursperg. *ad hos annos*: Othon. Frising. VI, 13. Aſſer. Menev. *in vit. Alfredi R. Anglor. an.* 887. Frodoard. *l. IV.* paſſim, Annalib. Francor. Fuldenſib. *ad hos ann.* Brunner. *Ann. Boic. p. 36.* & ibi paſſim; Aventin. *l. IV.* paſſim, Blondo *Dec. II. lib. II.* Rupert. *ad Befold. Syn. Min. c. 17. p. 64. & ſeq.* Carion. *Chron. l. IV. in Arnulfo*, Cluver. *Epit. Hiſt. in Eod.* Micræl. *Syntagm. Hiſt. II. 5. qu. 5.* Aliiſque.

FLAVIUS MÆCILIUS AVITUS.



O IMPERANDI PESSIME ARDOR, O LABES
 INGENS MALORUM, QUO TRAHIS, ROGO, PECTUS
 MORTALIUM, UT FURORE PERCITUM CÆCO
 RUAT PER IGNES, PER PERICULA, ET FERRUM,
 AD OCCUPANDUM, QUOD TENERE CONATUR
 PER FAS NEFASQUE. NON CORONA, NON SCEPTRUM
 ADFERT QUIETEM. LATIUS TENET REGNUM
 QUICUNQUE AVARUM SPIRITUM POTEST PRUDENS
 DOMARE, QUAM SI DISSITOS REGAT GADES,
 LIBYÆQUE JUNGAT, ATQUE SERVIAT SOLI
 UTERQUE POENUS. REDDITUM THRONO CYRI
 VIRTUS PHRAATEN EXIMIT CHORO VERE
 FELICIUM, HUMANAMQUE DEDOCET GENTEM
 VERIS ABUTI VOCIBUS, FERENS UNI
 REGNUM ET CORONAM, ET LAUREAM TRIUMPHALEM,
 QUI NON RETORTO LUMINE ADSPICIT MAGNOS
 CONSTANS HONORES, QUICQUID ET PUTAT VULGUS
 VENENO EMENDUM ET SANGUINE ATQUE SUDORE.
 O TE BEATUM, O TER QUATERQUE FELICEM,
 SI SORTE POSSES ESSE, AVITE, CONTENTUS,
 QUAM NACTUS ESSES MARTE CLARUS ET PACE,
 NISI TE CUPIDO PERDIDISSET INSANA.
 QUOD INCITATUS JAM TENERE SPERABAS,
 UT UMBRA INANIS FUGIT, UT LEVIS VENTUS.

E N A R R A T I O.



FLAVIUS MÆCILIUS AVITUS (ita enim eum describunt nummi veteres) præfectus prætorio erat creatus a Marciano Imperatore, & iussus ut Galliæ regendæ curam gereret. Postquam Maximus esset occisus, ille tunc temporis legati munere fungens apud Theodoricum Gothorum Regem decernitur Imperator, si imperandi cupidine teneretur, id quod maxime ei suadebat Theodoricus. Nec res diu traxit moram, militibus eum prompta voluntate imperatorem pronunciantibus. Accidit id A. C. 455. die 10 Julii, die 28 post occisum Maximum. Ita accipiebat Avitus imperium, sed prorsus imprudenter faciebat, quod, cum ex Gallia (ubi a Theodorico & militibus imperator creatus erat) in Italiam rediret, Gothicum auxilium a se dimitteret. Nam Romani Patriicii hanc electionem ægre ferentes Martianum Imperatorem rogabant ut auxilium sibi ferret, & novum Imperatorem crearet. At ille vel ætatis vel insitæ tarditatis causa nihil molitus est. Postea tamen cum Avitus ob Maximum & dignitatem Imperatoriam a Marciano Imperatore & populo odio haberetur, Ricimer Suevus, militiæ Magister, eum jussu Martiani Imperatoris Roma pepulit, comprehensumque se abdicare jussit imperio. Ne igitur Avitus contemptus viveret, Macentia episcopus est factus, cum tantum decem menses & quindecim dies Imperator in Occidente fuisset. Sed cum Senatus non contentus hac degradatione mortis pœnam illi irrogaret, in Gallias fugit, ubi longo animi mœrore mortuus est. Secutum est interregnum, ita ut nemo Imperator esset Romæ mensibus decem, & diebus quindecim.



BERENGARIUS (a).



Supplementa HENR. CHR. HENNINĪ.

Ille BERENGARIUS, Fortunæ Ludus acerbæ,
Imperii titulos, Itala regna habui.
Me mea Sors varie turbis vexavit iniquis:
Quam stant præcipiti Regna superba loco!

Tetraftichum Historicum.

Regna BERENGARIUS gessi Itala (b); nomine Cæsar (c);
Et pila Fortuna sæpe jocisque fui (d).
Adversis animosus eram, metuensque secundis (e);
Mors tamen ultorem sensit adesse Deum (f).

ENARRATIO HENR. CHR. HENNINĪ.



Illic (a) erat Eberhardi, Principis Fori Julii, si nonnullis credimus, a Patre Carolo Crasso Imp. creati, quod alii tamen ad Berengarium hunc Nepotem transferunt. Quæro autem, unde Auctor Epigrammatum in Nummis huiusce Reginae CHRISTINÆ didicerit, Berengarium Roma oriundum e stirpe Longobardorum Regum? Res autem Ejus valde intricatæ & implicitæ sunt rebus Lamberti, ac Ludovici Bosonis F.

Italiæ RR. unde ejus Historiam intexuimus *Lamberti* rebus, quicum adversis armis certans Italiam (b) suis in partibus ab anno 891. rexit per annos 3. hinc ab eo *Lamberto* 4. annos expulsus, ab anno 898. iterum regnavit annos 2. mox anno 900. *Ludovicus* Bosonis Regis Provinciæ seu Arelatensium F. Ludovici II. Imp. e F. Irmengarda N. præfuit biennium, ac denuo *Berengarius* ab anno 902. usque ad an. 921. ultra 19. annos tertium Italiæ præesse cœpit, a Johanne X. Papa in Templo Vaticano Romæ an. 914. mens. Septembr. ut docent Panvin. *de Imp.* l. III. & Sigon. *de R. I.* l. VI. in hoc *Berengario ex antiquis Diplommatibus*, dictus, audacia Papali magis & magis convalescente, (c) & consecratus Imperator, seu verius AntiCæsar *Conradi I. Imp.* veri, cujus *acclamationem* *Berengario* factam, quam Auctor notationis in Nummo hoc CHRISTINÆ asserit, nusquam apud idoneos testes invenio, nec quicquam meminit diligentissimus alias talium *Petavius Rat. Temp. P. I.* VIII. 13. Ex his constat, quam varia Fortuna (d) jactarit & circumegerit *Berengarium*. Sed telam morte *Lamberti* abruptam denuo contexamus. Ut in regnum *Berengarius* reciperetur, satis erat *Lambertum* extinctum esse. Sed illi a Proceribus adversæ factionis, qui novis motibus inhiabant, excitus est æmulus ex Transalpina provincia *Ludovicus Bosonis* F. vir virtute clarus, jam fortuna Rex, quodque cum virtute & fortuna æstimari poterat, e Caroli M. Posteris, quo minori obnoxium turpitudini consilium esset. Sed hujus prima in Italiam expeditio an. 899. *Berengarii* virtute repulsa est, quam *Adalberti*, *Lucæ* seu *Tusciæ* Marchionis, Italiæ illo tempore *Croesi*, auxilia juverant. *Berengarius* hic indagine septum *Ludovicum* cum capere aut interficere posset, dimisit, quasi satis coercitum, qui se non rediturum in Italiam, belli aut regni causa, sanctissimo promiserat jurejurando. Sed pacti fidem nova & blandiens occasio rerum violavit. Iterum ab eodem *Adalberto*, quem dixi, vocatus, sprete jurisjurandi religione, cum valido exercitu adest. Detrectat prælium *Berengarius*, hinc pro fugiente & victo habitus. Ergo *Ludovicus* Romam properat, ibique a *Benedicto IV.* Papa (quem *Tusculanorum* factio, contra *Legem sine auctoritate regia consecraverat*, ut diserte refert Sigon. l. l. ad an. 899.) Imperii insignibus an. 901. inauguratur. Ita jam Sol scilicet Papalis Imperatoriæ quasi Lunæ lucem dare consueverat, socordia senescentis ævi. Mira rerum facies! qui nondum vicerat, Imperator a Papa dicitur; qui nondum pugnat, necdum regno erat exutus. *Berengarius* Veronæ, *Ludovicus* Papiæ resident. Hic post accepta tamen Imperii insignia æmulum Italia submovere contendit: milite impari exturbavit vere jam profugum & vix elapsum. Tulit (e) *Berengarius* omnes casus fortiter fiducia quadam resurgendi. Hominem se scivit, quoties staret; & Regem esse, quoties dejectus erat. Contra *Ludovicus*, tanquam cum

cum bello periculum omne deinceps profligasset, nec timeret hostem Italia expulsam, magna securitate deponit arma, exercitumque dimittit. Ergo post annos tres, ejusdem Vertumni, a quo ante vocatus erat, Adalberti proditione, a revocato clanculum in Italiam *Berengario*, qui hinc inde donis ac promissis auxilia collegerat, repentina invasione Veronæ opprimitur. Noctu per custodes corruptos admissus, & jam civium olim suorum stipatus manu *Berengarius* in regiam irrumpit. *Ludovicus* tumultu excitatus & periculo præsentis territus in proximum aufugit fanum: inde protractus, data vitæ venia, luminibus privatur, luens, ut videtur, violati jurisjurandi religionem. Cæcum, ut extinctum, timere *Berengarius* desuit, ac videbantur simul cum oculis *Ludovici* factionis animi cecidisse. Factum hoc mense Augusto anni 904. si credimus Reginoni *ad hunc ann.* at anno 905. si recte putat Gotfrid. Viterb. *ad hunc ann.* & Otho Frising. VI. 35. Hoc tempore maxime sæviit Hungarorum prima in Italiam irruptio, quam venali fuga redimere cupiebant, abdicatis armis & prædis; sed frustra. Hinc furor in virtutem versus, & passim laniena & vastitas. Si Kojalowitz. *Hist. Lithuan. P. I. p. 611.* credimus, *Berengarius*, *Italis maxime annitentibus, regno dejectus ad reponendam hostibus per mutua damna ignominiam; illos Hungaros primum in eam ipsam regionem immisit.* Tandem ipse post rapinas illorum recessum dato ampliori precio redemit. Vix coiverant vulnera, Ecce Saraceni occupata in Cottiis Alpibus arce Fraxineto, ingenio loci munitissima & inaccessa, in viciniam longe lateque terrorem & exitium ferentes excurrabant. *Dacibilis*, Dux Cajetanus, pridem Saracenis *Garilianum*, arcem in Campaniæ finibus, concesserat, magno vicinorum malo. Eos *Berengarius* bene de Romanis & Italia meriturus *Gariliano*, adnitentibus Imp. CPrano & Italiæ Principibus (v. Chron. Cassin. *ad h. an.* & Luitpr. II. 14.) per quadraginta annos possessio ejecit, quam caussam nonnulli adferunt datæ deinde a Papa coronæ Imperatoriæ. Verum statim odia & invidiam suorum expertus est, sive diuturnitas eam regni excitaverat, sive, quod affirmat Luitprandus I. 10. quia *semper Italianes geminis uti Dominis volunt, quatenus alterum alterius terrore coerceant.* Ergo conjurant, vires addente Lamberto Mediolanensium Antistite. Deprehensus tamen semel iterumque *Berengarius*, Princeps alias satis bonus & mitis, pepercit, sed nociva sibi clementia. Nam denuo ausi post veniam conjurare Proceres, duce Adalberto, (en nomen fatale!) Eporediæ (alias *Ivræ*) Marchione, (qui gener Soceri *Berengarii* F. *Gisela*m uxorem habuit, e qua natus Avo cognominis *Berengarius* II. Rex dein Italiæ.) *Radulfum* (al. *Rodulfum*) Conradi, Comitæ Stratlingensis F. Burgundiæ Transjurenensis sive Galliæ Cispalinæ Regem ad Italiæ regnum capeffendum vocant an. 922. Hic venit, omnia percellit, Papiam occupat, Rex Italiae

liæ salutatur : *Berengarius* autem prælio victus Veronam evadit , hostem fugiens , ut amicorum scelere periret. Insidiæ a Flamberto quodam stru-
ctæ , sed suspicioni & rumor obnoxia *Berengarium* periculi admonebant.
At is vocatum increpitumque flagitii auctorem placare , donato insuper au-
reo ingentis precii poculo , quam punire maluit , insidiatori parcens ut
parricidam faceret. Ex illo poculo libans , ut putabat , Flamberto jam
amico salutem suam commendavit : Flambertus simulatione scelestissima
fidei securiorem facit , & postero die stipatus manu sicariorum tam mitem
Dominum in ipso invadit Templo , & rhomphæa nullas jam insidias me-
tuentem an. 924. sternit. Ita tamen *Berengarius* (f) videtur pœnas Maje-
stati Imperatoriæ , quam temere sibi per manus Papæ , invito *Conrado*
Imp. rapuerat , dedisse. Hæc , quæ apud varios Auctores valde confusa
sunt , ex ipsis fontibus , quos in *Lamberto* & hic subinde indicavimus , per
limpidiores & clariores undas derivavimus. Sæpe ipsa Auctorum meliorum
verba retinuimus. Adde Lector industrie Platinam in *dictis Papis* , Ba-
ron. *H. E. his annis* , Marian. *Scorum ad hos ann.* Cuspinian. *in rebus Ar-*
nulfi , *Ludovici III.* & *Conradi I.* Pont. Heuter. *Rer. Burgund. l. I.* passim.
Hoc mi Lector , veri sine pigmento amans , noris , a Regina CHRISTINA
male in serie Impp. poni hos AntiCæsares *Lambertum* & *Berengarium* vitio
Papæ creatos. At CHRISTINA Romæ erat , & osculabatur sanctissimos
Papæ pedes ; ergo Romano more , ore , cælo , stilo uti debuit. Baronius
ad an. 888. §. 3. *Arnulfum* ex Impp. serie expungit , quia , ut jactat , *ne-*
fas erat Imperatoris nomen assumere , nisi illud esset ab Apostolica sede collatum :
unde *ad an. 896. §. 3.* quia *per surreptionem facta esset unctio Arnulfi* , de-
creto Synodi Romanæ sub Johanne IX. (al. X.) Papa , (qua in re tamen
errat :) audacter jubet *corrigi Chronographos* , qui hunc Imperatorem Ca-
rolo Crasso statim subjiunt. Vide Bœcler. *de reb. Sæc. IX. & X. p. m.*
201. 202. Fecerunt idem Papolatæ vetustiores , notante Othon. Frising.
VI. 13. Atqui *Lambertus* & *Berengarius* Romæ a Papa consecrati Impe-
ratores , Ergo , si Deo placet , justo titulo hanc majestatem habuerunt ;
alii fuerunt vitio creati. Verum Sigebert. *Gembl. ad an. 912.* vocat *Tyranno-*
rum in Italia insolentiam. Goldast. *in C. I.* refert *Decretum Comitior. Françof. an.*
894. in rebelles Imperio Reges & Tyrannos per Galliam & Italiam. At omnia tum
siebant Romæ vi metuque per factionum turbas. Hinc etiam in Synodo Ra-
vennatensi , *barbarica unctio Berengarii* , quæ *per surreptionem extorta est* , *ab-*
rogatur ; quod Sigon. *l. I. ad an. 898.* ex mutilis actis male transfert ad Arnul-
fum. Vide Baron. *ad an. 904. §. 4.* qui ipse ibidem non animadvertit , se corri-
gere errorem admissum *ad an. 896. §. 3.* Hinc etiam quia Papæ Stephanus For-
mosi , Johannes IX. Stephani Paparum acta & decreta abrogarunt , puto Ro-
manæ Sedis Parasitis *Guidonem* expungi ex serie Impp. Italicorum : *Ludovicum* ve-
ro Bosonis F. (itidem Papalem Imperatorem) studio iidem videntur substitue-
re aut commiscere *Ludovico* vero Imperatori *Arnulfi* F. de quo mox agemus.

LUDOVICUS (a) IV.



LOTICHIUS.

*Tertius a crudis Ludovicus turpiter Hunnis,
Tum quos debuerat vincere, victus erat.
Insubrum pariter mox captus Rege, supremum
Et regno & caro lumine cassus obit.*

HOFMANNUS.

*Hungarico (b) Caesar devictus Marte tributum (c)
Solvo, & Tarpeji sentio spicula (d) Jovis.
Ultimus (e) ex Caroli defunctus stemmate Magni,
Conrade (f), Imperii lampada trado tibi (g).*

ENARRATIO.



Arnulphi (a) (cujus fil. nothus Zuendeboldus Lotharianum regnum possederat haecenus, sed paulo post intestino bello periit.) ex justâ uxore filius, a Principibus Germaniæ Forchemii designatus est Imperator, ann. 900. ætat. 12. Hattone Moguntino & Ottone Saxonum Duce præcipuam Reip. curam gerentibus. (b) Cum Hungaris per Germaniam prædas agentibus bellum gessit, primum quidem in Bajoaria & Carinthia satis ex voto; at postmodum ab illis victus, ann. 901. iterum-
que

que ann. 907. ac (c) Franciam iis tributariam facere coactus est, ann. 910. Nec eâ contenti insolentiâ Barbari Transpadanas quoque Italiæ civitates vastare cœperunt, ann. sequente. (d) Contra illum Ludovicus Bosonis fil. in Italia Imperator constitutus est a Pontifice, ann. 901. quem tamen Berengarius, captâ prodicione Veronâ, oppressum regno pariter & oculis privavit, ultimum ex Carolinis, in Italia ann. 903. Sed nec Germania suis motibus caruit: quam turbantem Adalbertum Com. Bambergensem, Hattoris *fraudulento falsi redditus promisso*, in casses pertraxit, securique percussit Imperator, ann. 910. (e) ipse biennio post extinctus, ann. C. 912. Imp. 12. ex Carolinis in Germania postremus. Rhegino *Chron. lib. 2.* & Marian. Scottus *ad ann. 900. & seqq.* Conradus Abb. Ursperg. *ad ann. 901. & seqq.* Otto Frising. *Chron. lib. 6. cap. 14. & seqq.* Luitprandus, Naclerus. Alii, (f) Conradus I. de quo mox. (g) Eo imperante, Orienti adhuc præfuit Leo Philosophus, post quem Alexander Constantini VII. tutelam gessit aliquandiu, donec hic ipse rerum administrationem aggressus est. In Italia, Lambertus Guidonis fil. Berengarii æmulus, pro Imperatore se gessit, Papæ jussu, ann. 904. a Comite Mediol. occisus, ann. 910. In Gallia, Roloni, Normannorum duci baptizato, hodiernorum Angliæ Regg. conditori, Carolus Simplex Normanniam dedit, ann. 912. Radulf. de Diceto *Abbrev. Chron. ad ann. 912.* Anglia fere tota ad Eduardum I. pervenit, ann. 910. In India, Calecutum exstructum, ann. 909. Quod ad *Ecclesiam*, Romæ deteriores fœminis Pontifices federunt. Romanus I. Stephani decessoris sui acta improbavit: Theodorus item II. ut & Johannes X. Hunc post biennium excepit Benedictus IV. ann. 903. quem Leo V. ann. 906. Christophorus post eum secutus, septimo mense dejectus est a Sergio III. ann. 908. qui ex Marozia, (Theodoræ Adalberti Marchionis Tusciæ scotti, tum Romæ dominantis, filiâ) genuit Joannem, suo tempore Papam creatum, ut dicemus: iterumquæ in Formosi cadaver sæviit. Illi Anastasius II. surrogatus est, ann. 910. Contra in Moravia & Bohemia Methodius diligenter adhuc Evangelium prædicabat, Luitprandus *Histor. Langob. lib. 2. cap. 13.* & Sigonius *lib. 6. ad ann. 911.*

Additamenta HENR. CHR. HENNIN I.

Ludovicum Arnulfi F. Alii III. hujus nominis computant, qui videlicet *Ludovicum Balbum* in serie Imp. omittunt, ut ad illum monuimus. Hinc *Ludovicus* deinceps *Bavarus* Imp. an. 1314. Alii IV. Alii V. est, ob dictam causam. Matrem habuit *Utam*, (Alii *Justam*, *Justam*; Alii & *Ludgardam* nominant:) *Guelfi* (seu *Wolfi*) Baviaræ Ducis F. ex qua natus est an. 893. si Aventino l. IV. credimus; Patri successit sub finem anni 899. Parvinio putante, at Reginone an. 900. Ergo septimo ætatis anno Imperium suscepit. Vide omnino de Ejus rebus Aventin. l. I. Volaterr. l. XXIII. Carion. in *Eo*, Joh. Cluver. in *Eo*, Rupert. *ad Befeld. c. 17. p. 642.* & *seqq.* Boxhorn. *H. U. in Ludovico IV.* (qui tamen errore IV. numeri Constitutionem *Ludovici Bavari*, qui multis IV. est, ut dixi, *de potestate & dignitate Imperii*, refert ad hunc *Ludovicum Arnulfi F.* immani parachronismo:) *p. m. 538-561. ed. Lips. Brunner. Ann. Boic. l. VI. Boecl. de reb. sac. IX. & X. p. 213-223.* ubi habentur *Annotatio Temporis, Elogium, Quæ ad statum Reip. pertinent, Excerpta de Rebus Gestis, Ecclesiastica, Literæ & Eruditi, ac Epitaphium*, quod Ratisponæ legitur in choro Monasterii S. Emmerani. Cario secutus Witichindum *Ann. Sax. l. I. Ursperg. & Alb. Stadenf. in Ludov. IV.* Uxorem hujus Ludovici facit *Luidgardam*, Ludolfi Saxoniaræ Ducis F. Brunonis & Ottonis M. ex qua nullos liberos suscepit: at Henr. Meibom. in *Not. ad Witichind.* accurate hunc errorem arguit; quippe illa fuit uxor *Ludovici* quidem, sed *Ludovici Germanici F. Ludovici Pii N.* Hujus nostri vero Uxor alias nominatur *Mathilda*. Porro notandum, quod hic Imp. *Ludovicus Arnulfi F.* a multis tam veteribus quam novis Scriptoribus perturbetur

cum *Ludovico Bosonis F.* Papali Imp. per Berengarium Veronæ excœcato, & si Annalibus credendum, castrato, ne vindicem generaret. Vide Putean. *Comm. in l. V. Hist. Insubr. p. 272.* Hæc ipsa confusio non est evitata ab Auctore *Annotationum ad Nummos CHRISTINÆ*, qui excœcatum *Bosonis Ludovicum & Ludovicum Arnulfi F.* facit eundem, & illius annos huic attribuit. Scilicet iterum Romano more Romæ vixit Regina. Causam dicat Sigebert. Gemblac. *ad an. 912. Propter Tyrannorum*, ait, *in Italia insolentiam, & multam malorum ingruentiam, non meruit benedictionem Imperialem; nempe Papalem*, ut explicat Rolevinc. *ad d. a.* At jus Imperii non suspenditur a consecratione Papali, ut docuerunt Controversiæ *Ludovici Bavari Imp.* cum Papis. S. P. Q. R. juraverant fidem Arnulfo; eam perfidia violarunt, perjuri auctore Papa. Hanc sane vindicare potuisset Filius, si per ætatem, per temporum conditionem jus suum in Italiam exsequi potuisset. At *Regem* tantum vocant Hermann. Contr. Lambert. Schafnab. Marian. Scot. Godefr. Viterb. & Alii! Quid tum? *Imperatorem* e contrario diserte dixerunt Siffrid. Presbyter in *hoc Imp.* Otho Frising. vi. 13. Clare in Ejus Imp. Epitaphio legitur: *Romani Imperii Sors mihi sceptrum dedit.* Imo illo ævo *Regis* nomen & *Imperator* dabatur simpliciter, idque dixit valuit, ut patet ex Diplomatis & Chartis Imp. Lombardorum invidia Augustos titulos delere non potuit. A Caroli M. inito Imperio ad hujus Ludovici IV. mortem anni sunt cxi. Obiit mens. Decemb. an. 911. (alii ultra male putant:) Ætatis annos Aventinus 18. habet, Epitaphium circiter 20. (*quatuor lustra*) Imperii an. 12. mens. 1. Alii 2. putant. LXXXVII.

FLAVIUS JULIUS VALERIUS MAJORIANUS.



NEMO BEATUS DICIER POTEST JURE,
 DUM DUCIT ÆVUM, LIMITEMQUE DECURRIT,
 QUEM FATA CONCESSERE, ET ANXIOS INTER
 MORTALIUM COETUS OBERRAT, INCERTUS
 RERUM SUARUM, ET TERMINI DATI A FATO.
 QUID QUÆSO PRODEST NOBILEM DOMI NASCI,
 CLARUM TRAHENTEM A STIRPE REGIA NOMEN,
 SI VITA REGUM ET IPSA REGNA SUNT FLUXA,
 NEC PAUPERI ANTEFERTUR HIC OPUM DIVES?
 NIHIL PERENNE PROPRIUMQUE IN HOC MUNDO EST.
 AB ÆVO IN ÆVUM STANT RATÆ POLI LEGES,
 UT PARVA CRESCANT, MAGNA SED GRAVI CASU
 RUANT. SUPREMA MUTAT INFIMIS NUMEN,
 GENUSQUE VARIO MORE VERSAT HUMANUM.
 SUO ARBITRATU TOTA REGNA TRANSCRIBIT
 VEL HUIC VEL ILLI, PELLIT AD SCHOLAM E SCEPTRO
 LATE TYRANNUM, TRISTIBUSQUE PERMISCET
 OPTATA PASSIM. PROPRIUM EST BONUM NULLI.
 HOC NOS DOCEBAS, PRINCIPUM DECUS GRANDE
 MAJORIANE, MORTE, NEC MINUS VITA.

E N A R R A T I O.



THEO THRAX hunc militiae magistrum creavit, & in Italiam cum literis & specioso comitatu ad imperium capeffendum misit. Hunc Richimer, toto exercitu & Senatu approbante, nec refragante in Oriente Leone, Augustum renunciavit. Creatus est itaque Imperator prope Ravennam, A. C. 457. Laudatissimus fuit princeps, disertus, impiger, laboriosus, & bonarum artium amans, ideoque magnificus in Viros literarum scientia praestantes. Quare Sidonio poetae, cum sibi Panegyricum scripsisset, laudato ac coronato statuam poni iussit. idque a Senatu Romano comprobatum est. In civitate regenda & urbe ipsa exornanda multum operae posuit. Namque videns monumenta publica & saxa ad reaedificandam Romam in privatos usus converti, edicto vetuit monumenta veterum amplius dirui. Ad haec ingens bellicae rei peritia accesserat. Multaque ejus sunt praeclare facta, licet haud semper ei faverit fortuna, sed haec maxime illustria. Cum Gensericus Gothorum Rex Campaniam popularetur, ipsi struxit insidias Majorianus, & Vandalos atque Afros victos Italia cedere coegit. Classe comparata in Africam trajecit, & Mauritaniam recepit. Sed cum ibi in morbum incidisset, Vandali hac arrepta occasione classem ejus affligerunt; adeo ut re infecta in Italiam redire cogeretur. Interim Theodoricus a Gensericis persuasus, fit Romanorum hostis, & fines Romanos populatur. Sic ad Rhodanum usque pervenit in Gallias populando, & Lugdunum oppidum capit. Exinde Majorianus A. C. 460 hieme in Galliam cum exercitu profectus, Gothos ex oppidis, quae occupaverant, ejicit, & data pace provinciam perlustrat. Post illa ex Galliis in Hispaniam venit, ut inde parata classe Vandalos adoriretur, sed prodicione suorum classe a Vandalis spoliatur, & ipse in Italiam revertitur. Denique Alanos Gallia expellere conatus, iis opponit Richimerum Magistrum militiae. At hic facta conjuratione Imperatorem comprehensum die 2 Augusti A. C. 461 Imperio removel, & die septimo ejusdem mensis trucidat: cum imperasset annos quatuor, & menses quatuor.



CONRADUS (a) I. FRANCO.



L O T I C H I U S.

Martius indomitos CONRADUS reppulit Hunnos,
 Historici referens parta tropæa manu.
 Saxonici fato sine crimine functus in oris
 Accepit tumulos, hic ubi Fulda, suos.

H O F M A N N U S.

*Franconum lectus de gente hanc rite capeffit,
 Sit Simplex (b) contra Pontificesque (c) licet.
 Hungaricam (d) gentem infestam, mage Saxona (e) sensit,
 Quem tamen heredem (f) scripserat ille suum (g).*

E N A R R A T I O.



Um (a) Otho Brunsvic. D. ætate gravis abnueret Imperium,
 eo commendante, Conradus Franconiae Com. cuius pa-
 trem occiderat Adalbertus præfatus, a Principibus Germa-
 niæ Imperator lectus est, ann. C. 912. quem benedictio-
 nem Pontificiam recusasse, tradit Gotfridus Viterb. uti
 nec decessorem ejus Italiam adiisse legimus. (b) Factionem
 adversam, quæ Carolum Simplicem Galliae Regem evocabat, oppressit,
 ann. 914. (c) Vid. modo dicta. (d) Hungaros Germaniam affligentes
 Z 2 vicit,

vicit, *eod.* (e) At bello contra Henricum Saxonum Ducem *insidioso Hattonis monili aureo* offensum, tantâ clade ad Mersburgum victus est, ut proverbio diceretur: *Ubi infernus, qui tot Francos capiat?* ann. 915. (f) Eum tamen, post Arnulphum Bav. fugatum ann. 917. ob virtutem fratri suo antetulit Proceribusque commendavit ann. 918. Obiit ann. 919. Hermannus Contr. *Chron. ad ann. 911. & seqq.* Aventinus *Annal. Bojor. lib. 4.* cœterique supra adducti. (g) In Oriente tum Constantinus VII. cum Zoë matre Imperium administravit, a Romano I. Lecapeno submotus, ann. 919. In Italia, Berengarius I. Saracenis ad internecionem deletis, a Papa Imperator dictus est, ann. 915. In Hispania, Almanzor ab Ordonio II. ingenti prælio victus est, ann. 916. In Gallia, Carolus Simplex Lotharingiam, dissidentibus Germanis, occupavit, ann. *eod.* In *Ecclesia*, Romæ Theodora Landonis Papæ filium Pontificem fecit, Joannis XI. nomine notum, ann. 912. qui miles potius, quam Apostolus, Saracenos Berengario junctus vicit, ann. d. Leo Ostiens. *lib. 56.*

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

Conradi I. Genealogia valde est incerta. Carionem *vide lib. IV. Chron. in Eo.* Filius plerisque creditur Conradi Francorum Orientalium Comititis, & ex auctorato Poppone Comite Hennebergico, Thuringiæ (non *Lotharingiæ*, ut male Reuffner. *in Geneal. p. 126.*) Ducis, quem Adelbertus, Comes Bambergensis, *sax & turbo* sui temporis, ulturus cædem Fratrum expeditione adversus Episcopum Herbipolensem, cujus defensor erat iste Conradus, amissorum, interceptum fraude seu prælio Frideslariæ in Hassia trucidaverat 26. Febr. an. 905. Alii ex Ludovici IV. Fratre natum, adeoque ultimum Carolinorum in Germania tradebant, teste Oth. Frif. VI. 16. Aliisque. Vide Henr. Meibom. *in Not. ad Witichind. in Contr. I.* Maternum genus ad Carolum M. referri potuit. Cellar. *Hist. mediæ ævi p. 109.* aut, ut conjicit ex loco quodam Ekkardi Jun. *de Cas. Mon. S. Galli c. 1. p. m. 42. in Notis* Goldast. *p. 182.* (qui habetur *Tom. I. Rer. Alamannic. Goldasti*.) ad Comites Gravenpurgenses, ex quorum stemmate deinde *Guelphi* prodierunt. Fratres habuit *Hildegertum*, Archiep. Moguntinum, qui Ottonem I. consecravit Imp. & *Eberhardum*, Ducem Ostrofranciæ, post Fr. Imp. creatum, qui deinde ad Andernacum an. 942. prælio cæsus, cum adversus Ottonem I. conspirasset. Ab hoc utrum descendant Impp. Francici, ad quos post Saxones rediit Imperii summa, incertum est. Initium Imperii ponitur an. 911. in *Supplem. Reginonis*, & a Mariano Scoto, approbantibus Panvin. & Aventino; at an. 912. a Lamb. Schafnab. Herm. Contr. Sigeberto Gemblac. verum an. 913. Oth. Frif. Godefr. Viterb. & Ursperg. Obitus a Lamb. Sigeb. Reginonis *Supplemento*, Panv. & Aventin. ponitur an. 919. a Mariano Scoto autem *in X. Kal. Jan. (an Jun. ut Chron. Hirsang. Trith. at Brunner. An. Boic. l. VII. p. 388. nescio cur ponit XIV. Kalend. Nov.) an. 918.* Hinc Otho Frif. 7. anno (Chron. Laurisham. *ad an. 920. tantum 6. anno*) Imperii mortuum vult. Obiit ex vulnere letali in prælio cum Arnulfo Bavar. si credimus Witichindo *Ann. Sax. l. 1. & Chron. Rhythm. Germ. ap. Meibom. in Not. ad h. l.* quod silent Alii. *Sepultum in civitate sua Wilinaburg* ait Witich. *l. l. & ex eo Ursperg. l. l.* Alii *Fulde.* Forte hic sepultus, ibi mortuus est. Vide Broweri *Antiqq. Fuld. II. 7.* Uxorem habuit *Placentiam*, sive *Cunigundam*, (ut habet Chron. Laurishamenf. *l. 4.* ubi ejus liberalitatem erga dictum Monasterium, in quo sepeliri quoque voluit, laudat: nomen autem *Placentia* videtur Monachalis Latiniſmus pro *Cunigunde* Germano.) Ludovici Senioris, (al. Junioris) Germaniæ Regis F. e qua nullam suscepit prolem. Tempus nativitatis, adeoque & ætatis, hæcenus non est repertum. Commendator Ejus Otto, Saxonum Princeps pace belloque egregius, qui Procerum petitionem se Imp. vocantium abrupte refutavit, præ-

fatus, *Cano capiti coronam imponere, hominis esse senio suo illudentis*, is, inquam, erat Ludolfi F. Brunonis N. Wigberti Pronepos, Witichindi M. Abnepos. Brunner. *An. Boic. l. l. p. 373-388.* ibique allati; Oth. Frif. vi. 5. & 18. Siffrid. Witich. Ditmar. *Chron. in Eo.* Laudatur Conradus I. a mansuetudine, prudentia, amore Religionis, bellica fortitudine, Reginonis *Suppl. Luitprand. II. 7.* adde Bonfin. *Rer. Hung. Dec. l. l. X.* Lehman. *Chr. Spir. III. 51. Liberalitatem, hilaritatem, comitatem* Ejus prædicat per varia specimina Ekkard. Junior *l. l.* Beneficentiam erga Monasteria collige ex Chron. Laurish. *l. l.* Witichindus *Annal. Saxom. l. l. in Eo* culpat invidiam & ingratum animum adversus Henricum Saxonem, *Ottom*, sui Commendatorem, F. quem virtutis nomine suspectum a paterno Saxonis Ducatu remove agitaverit, dolis Hattonis Moguntini, cum vim desperasset. Hic Hatto vel pudore facinoris, vel *Italica febre*, vel morte repentina, vel fulmine, vel a *Dæmonibus correptus ac in montem Etnam conjectus* (en genium ævi illius!) perit. Ita enim quisque pro affectu suo tradunt. Redemit hoc facinus Conradus generoso & ingenti animo, cum illi Henrico, insuper habitis inimiciis, summa extremi elogii contentione Imperium conciliavit, transmissis ad Eundem per suum Fratrem *Eberhardum* Imperii insignibus, (quæ tum erant Corona, Sceptrum, Lancea sacra, *Armilla aurea cum Chlamyde, Ensis; Crux* additur a Godefr. Viterb. *ad an. 919.*) Luitprand. *l. l.* Continuator Reginonis *ad an. 919.* Witich. *l. l.* Ekkard. Junior *l. l. c. 5.* Aliique. Miror hunc Conradum quoque ex Impp. serie a nonnullis Germanis expungi. Nollem hoc factum ab Eruditissimo & in his etiam rebus limatissimi judicii Viro, Schurzstelsch. *Disp. XLIX. §. 8.* Nam subinde disertis verbis Imperator nominatur, & Imperii nomine gaudet apud Scriptores æquales ac proximos ejus ævo. Ekkard. Jun. *l. l. c. 1. p. 42.* adde Goldasti *Not. p. 182.* Ekkard. Minim. *in vis. Notkeri Balbuli c. 15.* ubi loquitur de hoc *Conrado Rege*, inchoat *seq. cap. 16.* *Agente Eodem Imperatore Chonrado Pascha.* At nec Italiæ vindicandæ curam plane omisit. Ekkard. Jun. *l. l. p. 45.* ait Hattorem Archiep. Moguntinum in *Italiam* profectum, ut *Jus Regium* exigeret; & *p. 46.* *Illum rediisse ab Italia dississimum.* Vide Boecler. *de Reb. Sac. IX. & X. p. 224-242.* qui in multis nobis, & nos vicissim illi clariorem lucem attulimus. Habet ibi *Annotationem Temporis, Elogium, Quæ ad Statum Reip. pertinent, Excerpta de Rebus gestis, Cptanum Imperium, Externa Imperia & Dominationes, Ecclesiastica, Literas & Eruditos, Memorabilia alia.* De Hungarorum rebus sub hoc Imp. adde Schurzstelsch. *Disp. XII. §. 10. & 11.*

FLAVIUS LIBIUS SEVERUS.



VI PRŌDITORIS, CÆSAR, AD GRADUM SUMMUM
EVECTUS, ARTE PRODITORIS OCCUMBIS.
MISERANDA ROMA, FLUCTIBUSQUE JACTATA,
TE SIC CADENTE SPEM SUAM MORI SENTIT.

E N A R R A T I O.

RICHIMERUS postquam Majorianum, a quo in consiliorum arcanorum rerumque omnium societatem fuerat admissus, scelesto prorsus flagitio interemisset, Severum patricium in ejus locum ad Imperatoriam dignitatem promovit anno a Christo nato 461. & Augustum salutari curavit. Inde novi Imperatoris auspiciis Gensericus, qui omnes imperii Romani oras piratæ instar in prædam cepit, & Alanis Germanis, ex Gallia in ipsam Italiam per Alpes irrumpentibus fortiter restitit, & Biorgorem regem eorum occidit. Sed homo nefarius fastu, fortunæ prosperioris comite, excæcatus, nec hunc Imperatorem, etsi imperio non indignum, diu tolerare potuit. Quare ei venenum propinavit, unde repente extinctus est: quanquam alii, inter quos est Sidonius & Paulus Diaconus, morbo mortuum esse memoriæ prodiderunt. Id certum est, post ejus obitum, annis fere duobus Romam imperatore caruisse, & omnia nutu Richimeri administrata fuisse. Quo tempore homo sibi metuens non sine causa, se magna armavit potentia, existente tunc quidem ingenti multitudine hostium nominis Romani. Mirabile


Z 3 *

pror-

prorsus est tantam in Occidente fuisse fortunæ vicissitudinem, ut quatuor Imperatores Occidentales decennii spatio post captam Romam interierint. Fuit Severus homo ignotus & obscurus, nisi quod constitutio illius una vel altera ad nos pervenit. Natus erat in Lucania. Quibus parentibus incertum. Dictus est Flavius Libius Severus. Et sic eum vocant nummi Cæconis & Caroli Croyi, Illustrissimi Ducis Arschotani, & nostri quoque Wildii. Alii, inter quos Onuphrius & Goltzius, minus bene VIBIUM appellarunt. Non dubium est, quin scriptores extiterint, qui hanc litem possent decidere, si in manus nostras pervenissent. Sed mirum non est in tanta devastatione urbis Romæ periisse ingentem omnium librorum multitudinem, unde Historia Romana debebat firmari & augeri. Nummus extat etiamnum aureus cum his verbis: D. N. LIBIUS SEVERUS P. F. AUG. Idem ille Nummus præfert in parte averſa conspicuum monumentum victoriæ, ab eo de Gothis & Vandalis, eorumque duce Genſerico reportatæ. Conſpicitur enim ibi miles armatus, dextra manu gerens hastam, lævaque globum comprehensum tenens, stans super aliquot dejectos milites; quod antiquitus grande signum fuit victoriæ. Unde & in elegantissimo fabularum scriptore Phædro de Leone hæc leguntur verba:

Super juvenum stabat dejectum Leo.

Adſcribitur ibi ad latus militis, VICTORIA AUGG. Est & alius nummus, in memoriam hujus Imperatoris cuſus, in quo est hoc signum in medio Laureæ Coronæ^p, cum his verbis SALUS REIPUBLICÆ CONOB. Quos posteriores characteres Cedrenus Historicus Græcus ita explicat ut C designet CIVITATES, O, OMNES, N, NOSCERE, O, OBEDIANT, B, BENERATIONE. Sed aliis, quia *beneratio* pro *veneratio* vox est inusitata & minus Latina, ita rem expedire conantur. CON illis est CONSTANTINOPOLI; OB, OBSIGNATA; vel OB, OBRYSUM, id est, aurum purificatum. Sed qui id statuunt falluntur, cum eadem inscriptio reperiatur etiam in variis nummis argenteis. Eadem tamen inscriptio ita quoque in nummis expressa invenitur COMOB, M posito pro N. Quare sunt qui priores characteres ita volunt exprimi CO, CONSTANTINOPOLI, N, NUMMUS, OB, OBSIGNATUS; posteriores, CO, CONSTANTINOPOLI, M, MONETA, OB, OBSIGNATA; quia & in nonnullis inveniuntur solæ literæ COM, quo notari volunt CONSTANTINOPOLITANAM MONETAM. Sed omnia judicamus esse incerta & dubia. Quare ulterius de iis agere distædet.



HENRICUS (a) I. AUCEPS (b).



L O T I C H I U S.

Nomen ab *Aucupio* est HENRICO, ast ille Monarchas
Inter Romanos Aucupis instar erat.
Nam velut hic volucres venatur arundine prædas,
Sic fuit in laudes is quoque prædo suas.

H O F M A N N U S.

Saxonica de stirpe ortus linguaque (c) manuque (d)
Arnulphum, & Veneti reppulit arma ducis.
Pannonicas (e) stravit turmas, & Teutona (f) Martem
Aptum uti docuit viribus esse suis (g).

E N A R R A T I O.



E (a) eo jam supra aliquid. (b) Quod, dum aviculas caperet, renitenti oblata sunt insignia, ann. 919. (c) Arnulphum Bavar. D. Imperium armis sibi afferentem prudenti oratione, inter acies utrinque constitutas, ad obsequium revocavit, ann. sequente. (d) Vandalos, ad Suevum, Viadrum, Havelum fluvios & mare Balthicum, domuit, ann. 925. (e) post Lotharingiam a Gallo receptam, ann. 921. Hungaros, qui tributo sibi negato Germaniam populabantur, cæsos, ann. 922. & (f) Nobiles pariter ac agricolas in armis exercitos, ann. 924. (g) Brandeburgensem dein, anno eod. 925. Misnensem & Austriacum Marchionatus, instituit, ann. 928. Hungaros iterum, *cane scabioso* loco tributi oblato, offensos, ac proin Germaniam populates, ad internecionem stravit, ann. 923. Obiit, in ipso apparatu belli Italici, ann. C. 936. Imp. 18. Ditmarus *Chron. lib. 1.* Witi-chindus *Annal. Saxon. lib. 1.* Crantzius *Saxon. lib. 3.* Luitprandus hoc tempore florens, Sigbertus,

bertus, Gotfridus Viterb. Alii. Eo imperante, Orientis Augusti fuere Romanus & Constantinus præfati. In Italia, Hugo Dux Aquitan. & Comes Arelat. regnum obtinuit, ann. 926. Maroziamque duxit, sed Româ, ob alapam Alberico privigno impactam excidit, ann. 932. In Hispania Legionem aulam transtulit Ordonius, ann. 919. In Gallia, deserto primum, dein in custodia mortuo Carolo Simpliciter turbatum est, circa ann. 922. & seqq. Quoad Ecclesiam, Episcopatus pueris conferri cœperunt, & quidem Eriperti filius quinquennis Archiepiscopus Remensis factus est, ann. 925. Romæ Leone VI. & Stephano VII. sublatis a Marozia, successit hujus ex Sergio III. notus Joannes XII. ann. 930. Græci hinc pallia a Romanis Pontificibus redimere desierunt, circa ann. 932. Platina *Vitis Pontificum*, Baronius *Annal.* Alii.

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

Henrici I. Imp. Genealogiam Varii varie contextunt, ut viderè est apud Reusner. *Geneal.* p. 126-129. & 248. in *Stemmata Wittikind.* p. 1. & seqq. Henning. *Theatr. Geneal.* in *Eo*, Reineccii *Stemma Wittichind.* ex Ditmaro concinnatum, eidemque præmissum, Emmium *Append. Geneal.* p. 151. & 155. Schurzsch. *Diff.* xxx. §. 6. not. h. Bertium de *German.* II. 11. Bucelin. *Geneal. Princ.* p. 60. Michaelium *Synonym. Hist.* II. 5. qu. 5. & III. 12. qu. 13. Carion. *Chron.* l. IV. in *Eo Imp.* Aliosque, ut constet, multa adhuc in incerto fluctuare. Pater fuit Otto Saxoniz Dux, Mater *Ludgarda* seu *Hedwigis*, Arnulfi Imp. F. Natus creditur circa an. 876. obiisse Himelevæ, aliis Mimilevæ, 6. Non. Jul. 936. æt. 60. imperii 17. (Alii 16. ut Ditmar. l. I. p. m. 10. Widichind. *Hist. Sax.* l. I. *Chron. Laurisham.* in *Liuthero Abb.* XI. Alii 18. ut vult Hermann. *Contract.* in *Chron.* in hoc Imp. quicum videtur sentire Siegb. Gembl. qui ad an. 637. mortem rejicit Henrici I.) Sepultus est Quedlinburgi in basilica S. Petri ante Altare, Ditm. l. I. Uxores habuit I. *Hatteburcham*, Erwini, Dynastæ potentis circa Oldenburgum F. quam nescio cujus Dynastæ viduam jam velatam, sive Monialem Deo devotam, ob formam & divitias, volentem & ab aliis persuasam, duxit uxorem, nuptiis de more præfactis. At Sigismundus Halberstadenfis Episcopus utrosque sub dirarum denunciatione & per nuncios & per literas matrimonio frui vetuit, citatos ad indicam Synodum. Sed intercessit Imp. Conradus, Henrico jam exoratus & facilis, (ergo hæc contigerunt circa an. 917.) quominus nuptiæ solverentur; e contrario postulavit, ut eisdem resceret, & rem omnem ad sui (Imp.) præsentiam differret, ut tradit Ditmar. l. I. unde obiter discimus Impp. eo ævo in rebus ejus notæ & super Episcopos fuisse. Ex hac Uxore genuit *Tammonem* F. Postea Imp. factus fuit tædio captus uxoris, seu superstitione tactus, seu amore victus, seu politico regnandi arcano, duxit, repudiata & forsan clauistro reddita *Hatteburcha*, Uxorem II. *Mathildam*, ut ipse vocat, *dulcissimam Conjugem*, cui bona quædam donat in Diplomate apud Mader. de *Dom. Brunswic.* & *Luneb. vetustate* p. 102. Hæc erat Tiderici, Ducis Saxonum & Comitis Ringelheimensis & Reinildæ F. e regio sanguine Wittikindeo: quæ illi peperit filios 1. *Ottomem*, post Imp. & successorem; cognomine *Primi & Magni*; 2. *Brunonem*; Archiep. Coloniensem; & 3. *Henricum*, Ducem Bavariz, *Rixosi* nomine deinde notum, quamvis Compiler Anonymus Maderi ad an. 930. vocet *Henricum Probum*: Filias vero 1. *Gerburgim*, nuptam Giselferto Lotharingiz Duci, eoque in aquis suffocato, Ludovici Transmarini Francorum R. Uxorem: 2. *Adelheidem*, nuptam Hugoni Magno, Comiti Parisiorum; 3. *Rixam*, Arnulfo (al. Rudolfo) Duci Bavariz, Arnulfi Mali F. 4. *Hedwigem*, Eberhardo, Comiti Eberstenio, Suevo, elocata; 5. *Mathildam*, primam Abbatissam Quedlinburgensem. Sunt qui Imp. nostro Concubinam dent *Mithildem* (confuso posterioris & prioris uxoris nomine): & ex ea filium naturalem *Danquardum*, seu *Tancmarum*. Vide Baron. ad an. 919. Num. 3. At putio injuriam fieri Henrico: est enim idem *Tammo*, ex *Hatteburga*, iusta uxore, susceptus, sed pro superstitione ævi illius, quasi ex Moniali natus, hac nota inustus. Eandem *Hatteburgam* video eidem Ditmaro l. I. vocari & *Hadum*, sive *Hadwigem*, item *Liudgardam*. Forfan binominis fuit, (si tamen tum ille mos viguit,) aut a sacra Confirmatione, aut in Clauistro alterum nomen accepit. Hic *Tammo* sive *Dancwardus* postea Ottonis Fr. Imp. imperium detrectans ob ablatam prorsus hereditatem sibi maternam, Eresburgi in ipso templo S. Petri juxta aram, cujusdam Maginzonistæ, per fenestram transfusus est, capta scilicet per obsidentes Ottonis milites urbe an. 936. Otto I. voluit hoc se invito factum videri; nam Ditmarus l. I. ait: quem (Maginzonem innuit) Rex postea crudeli morte vindicaverat secundo regni sui met anno. At & sophisma ac stratagema politicum latere potuit, ut æmulum titulo non plane injusto nixum & majora agitantem amoveret. Cæterum magno consensu omnes Scriptores hunc Imp. dilaudant, & quidem merito. Wittichind. l. I. magnifico elogio vocat *Regum Europa maximum*; *Regum optimum*, *maximum*; *omni virtute animi corporisque nulli secundum*: deinde recenset singillatim Illius pietatem, liberalitatem, facilitatem magna gravitati junctam, prudentiam, fortitudinem, formæ dignita-

tem, & ex his regis dotibus secutam perinfignem auctoritatem. adde Lehman. *Chron. Spir.* v. 1. Post illustres victorias communi civium ore *Pater Patriæ*, & ab Exercitu, more militari ab antiquis repetito, *Imperator ac Rerum Dominus* salutatus est. Abb. Ursperg. in ann. *Henrici I.* Reperio & apud idoneos Scriptores dici *Pacis conditorem*, *strenuum Paganorum Insecutorem*, & aliquando *Mumilem*, forte quia renitenti oblatum Imperium, & quia solemniter nec in Germania inungi, nec Romæ coronari voluit, raptim tantum Fritzlariz pro concione coronatus, narrante Ditmaro l. I. sed simul indignante, & per fabellam somnolentam adfuturam tradente neglectam inunctionis consecrationem. Fabellam istam adoptat Baron. l. I. & interpolat, ac pro odio accommodat, cui tamen vera dicere potuerat Otto Fris. VI. 18. Scilicet nemo vere imperat aut regnat nisi a Pontifice aliquo inunctus! en Tibi profundam Cleri ambitionem! en arcanum sacri regni Sacerdotalis! Sed & diadema illum plane renuisse ait Ursperg. l. I. Wittich. l. I. Bœcler. de reb. Sac. IX. & X. p. 247. ita conciliat, ut receperit diadema cum cæteris insignibus sibi traditum, non autem solita ceremonia publica, præmissa unctione, impositum. Lehman. l. I. iv. 1. notat ab & sub hoc Imp. Duces, Comites, Marchiones, hætenus magistratum, officiorum ac dignitatum nomina, proprii juris potestatem & hereditariam possessionem notare copiose; item Civitates per Præfectos Regios gubernari solitas tum in libertatem assertas: at cum Bœcler. l. I. p. 251. judicamus esse rem altioris indaginis. Ipse Henricus paternum Ducatum hereditario jure creverat. Itaque magis tum invaluerit, plenissimo beneficii jure cum titulo terras dare hereditarias, uti factum in Bavaria Arnulfo per Henricum I. concessa. *Marchias* pleræque condidit, *Misnensem* & *Lusatiam* contra Bohemos & Polonos, *Slesuicensem* contra Danos, *Brandeburgicam* contra Henetos & Obotritos, *Moraviam* contra Ungaros & Polonos, *Badensem* (si quibusdam credimus:) contra Francos Occidentales; docet Schurzsch. *Diff.* xxiv. 2. in notis: adde laudatis ibi Adam. Brem. H. E. I. 48. Idem Imp. Ludis equestribus, Honoribus & Titulis & Insignibus Gentilitiis Nobilium decus atque robur addidit: sed quod Georg. Ruxnerus de *Hastilud.* in pr. & ex eo Alii muli incaute tradunt, *Henrico I.* & Principibus Ejus deberi *Leges Torneamentorum*, in eo falluntur. Bœcler. l. I. p. 263. nec Magdeburgi potuit an. 938. celebrasse primum Hastiludium, nisi revixerit biennio a morte. Aventinus recte ideo lib. v. A. B. has nugas in rebus *Henrici I.* narrandis silentio damnavit. *Magdeburgum* tamen ex vico Urbem fecit, *Misnam* propter Albim, *Mersburgum* ad Salam, *Quedlinburgum* juxta Bodam condidit, ac urbes, maxime Saxoniz, munire cœpit adversus Hungarorum incursiones. At miror a doctis Viris non paucis hunc Henricum I. non censeri verum Imperatorem: Vide Schurzsch. *Diff.* xlv. 1. & xlix. 8. Rupert. ad Bœfeld. *Syn. Min.* p. 644-650. Scilicet non est unctus nec coronatus Romæ, & Rex tantum salutatur! At bellicis impeditis tumultibus non est Imperator ordinatus, ut ait Chron. *Laurish.* l. I. imo postremo Romam proficisci statuit, sed infirmitate correptus iter intermisit. Wittich. l. I. Ergo Romam non omisit; sed seposuerat. adde Siegbert. ad an. 937. Monachi, Annales, Chronica fere Regem appellant: sed & Imperatorem, Engelhus. *Chron.* in Henr. I. Radulf. de Diceto ad an. 930. In diplomatis Rex est, sed *καὶ ἡγεμὼν* sine additamento, quod idem atque Imperator. Lancea sacra Rudolfo Burgundo extorta & Successoribus relicta, tanquam pignus sacrum, *als ein uer und waffen des Reichs*, redolet superstitionem Reliquiarum Ejus ævi. Vide, si tanti est, Auctor. Gestor. S. Gerardi ap. Sur. 3. Octobr. Baron. ad an. 929. §. 5. Plures Lanceæ fuerint oportet, si credimus Williclm. Malmesb. de Gest. RR. Angl. ix. 6. Vid. Bœcler. l. I. 242-278. qui in hoc Imp. persequitur Annotationem temporis, Elogium, Statum Reip. Excerpta de Reb. Gest. Externa Imperia, atque Dominationes, Ecclesiastica, Literas & Eruditos, Memorabilia. Laudatis adde Contin. Reginon. Marian. Scot. in h. ann. Cluver. in hoc Imp. Diplomata & Foundationes Ejus Imp. Schurzsch. *Diff.* iv. Addit. p. 17. 18. xli. §. 10. 11. Beck. & Hed. *Hist. Ultr.* in Baldrico Ep. xv. Helmold. *Hist. Slav.* Flodoard. *Chron.* in h. an. Anon. *Chron. Brunswic.* p. 3. 4. Joh. Crows *Vit. Impp.* ex dom. Brunsw. (qui notandus, ob rara, quæ tradit:) Aliosque.

FLAVIUS ANTHEMIUS.



ÆTERNA ROMA, GENTIUM DEA, ORBATA
TUTORE DUDUM, VINDICEM NOVUM QUÆRIS.
INVENTUS ILLE DUM TUI GERIT CURAM,
DEXTRA SCELESTI PRODITORIS OCCUMBIT.

E N A R R A T I O.



DEO res rediit illis temporibus, ut urbs Roma, quæ Dea terrarum dicta est & getitium, ne principem quidem ullum sibi facere posset, sed necesse esset ut Imperator occidentalis Constantinopoli mitteretur ad summam rerum obeundam. Neque enim tunc quisquam reperiebatur, qui Imperium orbis terrarum vellet emere a seditionis militibus, penes quos potestas erat tantam dignitatem pecunia vendendi. Talia enim primis temporibus exempla ediderant Otho, Julianus, & Sulpitianus, hoc nomine suis invisi, & a posteris quoque atro carbone notati: nactis & hinc, ut qui diversam viam ingressi fuerunt, laudem suam Vespasiano, Gordiano I, Tacito, & hoc ipso, de quo agimus Anthemio, qui omnes magno animo recusarunt tantum onus subire. Ergo octodecim jam abierant menses, antequam Roma reciperet, a quo regi debebat. Tunc denique missus est a Leone Augusto Flavius Anthemius, Cusæo & Joanne Coss. anno ab V. C. 1219. Coronatus est Imperator post Christi nativitatem 467, die 12 Aprilis. Id omne factum est consilio Richimeri, ex cuius nutu totum Occidentale imperium tunc temporis pendebat.

bat. Is cum Leone Imperatore transfegerat, ut mitteret Romam Imperatorem, quicum ipse se adfinitate esset juncturus. Nec displicuit ea conditio Anthemio, qui ut Richimerum plane suum faceret, filiam suam Anthemiam ei nuptum dedit, memor injuriarum, quibus Cæsares, qui ante se fuerant, affecisset, ideoque omni modo satagens hoc evitare periculum. Postquam gubernaculo rerum admotus esset, Biorgor Alannorum Rex magnis copiis Italiam invasit, ferro & igni omnia devastans, sic ut omnia terrore & mœstitia essent repleta. Imperator ejus adventu perculsus mittit Richimerum generum suum cum validissimo exercitu ad impetum ejus refragandum. It Richimerus, & tanta felicitate rem gerit, ut hostem barbarum coegerit Italiae, quam jam spe sua devoraverat, oras relinquere, seque intra imperii sui limites recipere. Ita Roma novo periculo erepta est ope tam strenui bellatoris. At ille tanto rerum successu elatus, cum crederet sibi satis esse potentiae, neque se alterius opibus indigere, contemnitim primo habere cepit Anthemium, deinde obsequium detrectavit, palam præ se ferens, se nolle subesse alieno imperio. Hac mente invidiam Anthemio apud milites conciliavit, brevique post ei insidias struxit. Tulit id, ut æquum erat, impatienter Anthemius, & se se contra ejus machinationes munivit. Quod ubi sensit Richimerus, fuga sibi consulit, Mediolanumque pervenit. Ubi cum hæreret, tanta insurrexit audacia in Dominum suum, ut ei bellum minitaretur. Id male habuit Epiphanium, Episcopum Ticinensem, Virum doctum & pietate insignem. Quare omnem lapidem movit ut pacem inter Socerum & generum componeret, & orium Romano imperio & quietem redderet. Hujus Vari consiliis & facundia factum est, ut moveri se pateretur Richimerus, & cum Socero in gratiam rediret. frustra. Nam ne sic quidem quiescere potuit Richimerus, homo factiosus, & rerum novarum semper cupidus. Postquam igitur per breve tempus Anthemio reconciliatus in fide mansisset, bellum contra eum renovavit, ipsam urbem Romam obsedit, & tandem expugnavit. Sic Socer a genero captus, injuriose habitus, & contra datam fidem indignissime occisus est. Roma quoque tunc tertio, postquam ab Alarico & Genserico capta & direpta fuerat, spoliata est. Non effugit tamen divinam vindictam Richimerus. Nam die trigesimo quarto post Soceri cadem morbo repentino correptus, extinctus est.



OTTO I. MAGNUS (a).



L O T I C H I U S.

Magnus OTTO sumtis, magni Patris æmulus, armis
 Invieta gessit grandia bella manu.
 Vindelicis Scythicos pellens a finibus Hunnos,
 Tandem pace suos clausit in Orbe dies.

H O F M A N N U S.

Filius Henrici (b), fratrem (c) natumque (d) rebellem,
 Atque Berengarium (e) Grajugenasque (f) catos,
 Et Venetos, Bojos, Danos (g), Hugonaque (h) vicit (i);
 Non igitur Magni nomine dignus erit (k)?

E N A R R A T I O.



Rebus (a) feliciter per 36. annos gestis cognominatus, (b) ex Mathilde Saxonica, patri successit, ann. C. 936. (c) Henricum, qui Imperatoria genitura confisus multa molitus fuerat, Tanquardum item fratrem nothum aliosque Principes æmulos, oppressit, ann. 937. Henrico tamen supplici pepercit & Bavariam donavit, ann. 938. (d) Ludolphum dein filium, successorem designatum, cum insidiatorem eundem expertus esset, bello persecutus ad veniam petendam adegit, ann. 946. Boleslatum postea Bohemiarum & Haraldum Daniarum Principes subegit, ann. 948. Belgas acquisivit, ann. 950. Ungaros profligavit, ann. 955. Vandalos deleuit, ann. 960. Lunaburgi Ducatum, ann. 965. & Magdeburgi

deburgi Archiepiscopatum constituit, ann. 972. (e) Berengarium Italiæ Regem cum Alberto filio vicit, ann. 951. iterumque rebellem, una cum uxore, relegavit Bambergam, ann. 964. Romanos compescuit, & a Joanne XII. coronatus, jurejurando illos adstrinxit: *Ne unquam Imperatorem alium, quam a Germaniæ proceribus electum, neque alium Pontificem, quam qui Imperatori fuisset probatus, admitterent*, ann. 966. (f) Græcis, ob contumeliose habitos Legatos suos, Apuliam & Calabriam ademit, ann. 970. (g) Vid. modo dicta. (h) Ludovicum IV. Transmarinum; Caroli Simplicis fil. quem Lotharingâ depulerat, ann. 939. postea ab Hugone Magno captum liberavit, ann. 945. regnoque restituit, Burgundia retentâ, ann. 950. (i) Joannem porro XIII. Papam sceleratissimum, deposuit, Leone VIII. substituto, ann. 963. qui Imperatori *jus eligendi Pontifices*, ac *Investituram Cleri* restituit, ann. 964. (k) Obiit ann. C. 973. Imp. 36. Luitprandus *Histor. lib. 4. cap. 7. & seqq.* item *l. 6. cap. 6. & seqq.* Roswitha *de gestis Odaon.* Ditmarus *Chron. lib. 2. per tot.* Witichindus *Annal. Saxon. lib. 2. & 3.* Sigonius *de Ital. lib. 6. & 7.* Rolewinck *Fascicul. temp. ad ann. 964.* Alii. Eo imperante, Orientem rexere Constantinus VII. Porphyrogen. Romanus II. Jun. Nicephorus II. Phocas, & Johannes I. Zimisces. In Ægypto, Cairus urbs maxima a Saracenis ædificata est, ann. 969. Elmacinus *Histor. Saracen. lib. 3. cap. 4.* In Anglia, Edmundus, Northumbriâ, quam Dani per aliquod tempus tenuerant, occupatâ, cum totius insulæ Dominus factus esset, in convivio trucidatus est, ann. 946. Eldredo successore, sub cujus filio Edvino, libidinibus deditissimo, lupi extirpari inceperunt, ann. 956. quod tamen ad Edgarum, circa ann. 970. refert Polydorus Virg. *Rer. Anglic. lib. 6.* Malmesbur. item & Camdenus in *Mervinia.* Beraldus Moriennæ dominus, a quo hodierni Sabaudix Duces, circa eadem tempora, floruit. *Ecclesiam* quod spectat, in Occidente, auspiciis Ottonis, egregie aucta est, Danorum Rege Haraldo, ann. 948. & Boleslao Bohemo, ann. 949. ad fidem adactis. Præter quos, Polonorum Dux Micislaus, cum uxore Daumbrouca Bohemâ, religionem quoque Christianam accepit, & sic cæca Polonia, quod in Ducis infantia præfiguratum erat, visum salutariferum accepit, ann. 965. Mart. Cromerus *lib. 3.* Idem Ungarorum R. Geiza I. fecit, operâ Pilgrini & Wolphgangi usus ann. 969. & 973. Aventinus *Annal. lib. 3.* At in Anglia, Odo Cantuar. & Dunstanus Glasg. Præsules cœlibatum omni ratione promoverunt, circa ann. 950. & 960. In Germaniâ, Hatto II. Moguntinus, ob illufos murium nomine egenos, a muribus corrosus est, ann. 969. Serarius *Rer. Moguntin. lib. 4.* In Oriente, Theophylactus Patr. Constantinopolit. *equos bis mille aluit, & sacra die Passionis interrupta reliquit, ut equam parientem spectaret*, circa ann. 950. Zonaras *tom. 3.* Romæ vero, post Stephanum VIII. a Romanis cæsum, ann. 942. & Agaperum II. qui Germanos vocavit, ann. 952. præfuit Joannes XIII. in omnia scelera effusus, & in Diaboli amorem bibere solitus, ann. 955. quem ab Ottone diximus ejectum, Luitprandus *Histor. lib. 6. cap. 6. & seqq.* Platina *Vitis Pontif. alique Cl. Megerlino notati in iis.* Leonem dein VIII. sequutus Joannes XIV. *campanas baptizare cœpit*, ann. 968. Baronius *Annal. ad h. ann.*

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

Quam præclara ad Ottonis M. vitam, res & tempora possent addi, etiam aliis fere intacta, ex fide Diplomatum, Foundationum, Annalium, cæterorumque fide dignorum monumentorum! Sed occupavit tamen plurima & notanda maxime Bœclerus in *Reb. Sac. IX. & X. in hoc Imp. p. 278-349.* ubi persequitur *Annotationem Temporis, Elogium, Qua ad statum Reip. pertinent, Excerpta de Rebus Gestis, Cptanos Imp. Externa Imperia, atque-Dominationes, Ecclesiastica, Literas & Eruditos, Memorabilia alia.* Addatur huic Rupert. *ad Befold. Synopf. Min. c. 18. p. 645-651.* qui contendit acriter, „Imperatoriam, id est, summam humani fastigii dignitatem, a „Caroli M. posteritate deperditam, & errore „hactenus velut circumactam Germanis in perpetuum recuperatam ab Ottone M. qui cum Italianam a Tyrannis felicibus armis vindicasset, An-

„gustale diadema Romæ acceperit A. CHR. 962. „Sed hæc sententia cum grano salis est accipienda. Vide etiam *Chron. Carion. l. 1v. in Ottone I.* Lotichius & cum eo pauculi quidam hunc *Secundum Ottonem* vocant & putant, sed longe nimis petita computatione, ut *primus* scilicet Otto fuerit M. *Salvius Otho*, qui *Galba* successit. Hatto II. a muribus devoratus est vigilantium Monachorum somnium, sive putida fabella, dudum & certis argumentis explora a Serario *Rer. Mog. l. IV. p. 692.* Fabric. in *Catal. Abbas. Fuld. p. 91.* Brower. *Ant. Fuld. l. IV. p. 285.* Tacent & hoc bellum murium cum Hartone & famem illam diram Annales istius ævi & proximi. Hoc tempore quænam *Muhammedismi & Judaismi* res & status fuerint, diligenter collegit Hotting. *Hist. Eccl. X. 2. & 4.*

FLAVIUS ANICIUS OLYBRIUS.



LASCIVIENTIS LUSUS ET JOCUS SORTIS
 MODO HOS, MODO ILLOS TOLLIT AD GRADUM SUMMUM,
 MODO HOS, MODO ILLOS PELLIT E GRADU SUMMO.
 HQC EXPERIRIS, IMPERATOR, EVECTUS
 REPENTE, NEC MINUS REPENTE DEJECTUS.

E N A R R A T I O.

POSTQUAM Anthemius immani scelere morti esset addictus, & manu generi sui e medio sublatus, adnidente eodem Richimero, in cujus potestate jam videbantur esse Imperatores Occidentis, Olybrius Imperator Romanus electus est decimo die mensis Julii anno a nato Sospitatore 472. Editus fuerat Romæ: sed annus ignoratur. Latent quoque ejus parentes, cum nemo Historicorum eos indicaverit. Uxorem duxerat Placidiam, filiam Imperatoris Placidii Valentiniani, & Liciniæ Eudoxiæ, quæ olim a Genserico Gothorum Rege in servitutem fuerat abducta. Ex ea suscepit filium Olybrium, qui, ubi ad maturam ætatem pervenit, Consul Romanus factus est. Hic Imperator vix degustata Imperii dulcedine repentino morbo ereptus est (quanquam alii scripserunt instinctu & ope Richimeri, noti Imperatorum percussoris, e medio esse sublatus) cum tantum menses tres & dies viginti tres, Imperio Romano præfuisset. Adeoque iterum evenit ut interregnum esset per quatuor menses. De quo videndi qui de ejus vita aliquid exposuerunt.

A a *

Tantis

Tantis fluctibus tunc temporis irētabatur imperium Romanum, subito mutatis Imperatoribus, quibus partim alii substitui tam cito, quam par erat, non potuerunt, partim noluerunt, territi tantarum cladum & cædium exemplo, quæ Imperatoriam dignitatem defœdabant. Pauci enim inter omnes Imperatores, si a Julio Cæsare suppurationem ineas, naturali morte dies suos clauferunt. Namque partim a familiaribus, partim a militibus interfecti sunt Julius Cæsar, Tiberius, Caligula, Galba, Vitellius, Domitianus, Commodus, Pertinax, Julianus, Niger, Albinus, Caracalla, Geta, Macrinus, Diadumenus, Elagabalus, Alexander, Maximinus, Maximus, Balbinus, Pupienus, Gordianus III, Philippus, Philippus II, Hostilianus, Gallus, Volusianus, Æmilianus, Gallienus, Postumus, Aurelianus, Florianus, Probus, Carinus, Numerianus, Maximianus, Licinius, Constantinus II, Constans, Gratianus, Valentinianus II, Valentinianus III, Magnus, Maximus, Majorianus, Anthemius, Nepos, Olybrius. Veneno dato extincti sunt Augustus, Claudius, Titus, Ælius, Severus, Marcianus, Libius Severus. Necem (quod æque miserum est) sibi ipsi conscivere Nero, Otho, Gordianus I, Quintillus, Maximinus Daza, Magnentius. Nonnulli enim laqueo vitam finiverunt, nonnulli pugionibus se perfoderunt, nonnulli venas ferro sibi aperuerunt. Valeriano cutis vivo immani scævitia ab hoste detracta est. Carus ictu tonitru prostratus est: Maximianus Armentarius vivus a vermibus excarnificatus & exesus: Trajanus Decius una cum equo in palude suffocatus: Joviano vapore carbonum spiritus præclusus. Valens in casa, in qua latebat, vivus concrematus est. Maxentius a Tiberi fluvio absorptus, interiit. Valentinianus I nimia ira incensus confestim animam efflavit. Avitus merore confectus est. Gordianus II, Etruscus, & Julianus cognomento Apostata, fortiter dimicantes in præliis occubuerunt. Adeo ut sine violentia, naturæ debitum solverint soli Vespasianus, Nerva, Trajanus, Hadrianus, Antoninus, Verus, Claudius Gothicus, Tacitus, Diocletianus, Constantius Chlorus, Constantinus Magnus, Constantius II, Theodosius I, Theodosius II, Arcadius, Honorius, Constantius III, & Leo. Quamvis dubitare liceat de nonnullis. O miseram sortem eorum, quos vulgus solos beatos prædicat!



O T T O (a) I I.



L O T I C H I U S.

Alter OTHO. *Primo* nec Marte, nec Arte secundus,
 Rettulit à Grajis clara tropæa jugis.
 Romulea tandem fato concessit in Urbe,
 Advena quam flavis Albula findit aquis.

H O F M A N N U S.

Cum patre (b) jam Caesar, post patrem (c) terruit hostes (d),
 Mors Saracenorum pallida (e) dictus ovat.
Conjugio felix Græco (f) infelixque (g), Latinam
 Ultus perfidiam (h), mox sua fata (i) subit (k).

E N A R R A T I O.



Magni (a) fil. ex Adelheide, viduâ Lotharii Reg. cum qua, pulso Berengario II. regnum quoque sibi asseruerat Otto, ann. 952. (b) jam annum undecimum paternæ emi-
 nentiæ successor designatus, (c) eo defuncto successit, ann. 973. (d) Henricum Bavarum patrualem, Imperio in-
 hiantem, eiecit, ann. 974. Haraldum Bohemum, qui ei adhæserat, terruit, ann. 976. post Daniam anno præc. vastatam. A Lo-
 thario dein Ludovici Transmarini fil. Galliæ Rege, Aquisgrani tantum non
 oppressus, injuriam cum irato exercitu Lutetiam usque excurrando, & de

A a

Lotha-

Lotharingia, quam is Carolo fratri ereptum ibat, pro lubitu decernendo, vindicavit ann. 978. (e) Saracenos post hæc cruentissimo prælio devicit, inde hoc cognominis adeptus, ann. 982. (f) Uxorem habuit Theophaniam Nicephori II. Imp. CP. privignam, cum qua in dotem accepit, quidquid in Italia Græci adhuc tenebant. (g) Sed nihilo ei amiciores Græci, juncti Saracenis, Apuliam incursionibus lacerabant, ac quamvis ab eo victi, ut dictum, Italorum tamen prodicione eum, ad Basentellum insigni affectum clade, ceperunt, beneficio Græcæ linguæ & peritiâ natandi ægre elapsus. (h) Quare Beneventum urbem, quod ab ejus civibus initium fugæ factum esset, direptam cremavit, ac de perfidis Italiæ proceribus, convivio exceptis, supplicium sumpsit, *Sanguinarii* hinc ab iis convivio aspersus. (i) Paulo post, antædiano animique angore, an vulnere potius, quod victis iterum mari Saracenis, ann. 983. acceperat, decessit, ann. C. 984. Imp. 10. Romæ, in atrio sepultus, sepulchro postmodum in cloacam mendicorum converso. Ditmarus *Chron. lib. 3.* Lamb. Schafnaburgensis *de Rebus Germ. ad ann. 976. & seqq.* Joan. Isac. Pontanus *Rer. Danic. lib. 5.* Siffridus *Epit. lib. 1.* Otto Frisingensis, Blondus, Sigonius, Pandulf. Collenutius *Histor. Neapol. lib. 2.* Alii. (k) Sub eo, Orientem tenere Joannes I. Zimisces, Basilius II. & Constantinus VIII. In Gallia; Hugo Capetus *Dux Franciæ* salutatus est, circa ann. 978. Paul. Æmylius *Histor. lib. 3.* In Anglia, Eduardus II. Edgari fil. a noverca Alfreda sublatus est, ann. 979. Ingulphus *Histor. Angl.* In Dania, Haraldus VI. de obligatione Imperio debita cum Ottone transegit, ann. 974. Calvisius *ad ann. 975.* In *Ecclesia* floruerunt, præter Pilgrinum & Wolphgangum supra memoratos, Othingarus Selandorum ac Scanorum in Dania Apostolus, & Viligifus, fil. carpentarii, Moguntinus Episc. a quo rotæ insignibus illatæ, Lambertus Schafnaburg. *Chron.* At Romæ, Benedictus VI. strangulatur a Bonifacio VII. ann. 974. qui Vaticanum spoliatur, ann. sequente, Baronius *Annal. ad h. ann.*

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

Ottone II. Imp. cognominat *Rufsum Saxonicum* Ekkehard. Junior *de cas. Mon. S. Galli c. 10. in med.* At dictum ait, *Rufsum & Sanguinarium* Engelhus. *Chron. p. 183.* vel „*Rufsum*, qui & *Pallida mors & Sanguinarius* dicatur, propter multam Ejus victoriam, in *Compil. Chron.* Anonymi, edente Madero, *ad an. 974.* Aliis *Junior, Medius, Medianus*: At ego cum Bœclero *de reb. Sac. IX. & X. p. 353.* nullum ex his cognominibus vere pervulgatum, & usu receptum fuisse video ex ipsa veterum Monumentorum lectione, ut desiderem judicium Merulæ in *bet Tijd-Thresoor* ad an. 973. ita exarantis: IMP. CAES. OTHO IVNIOR, RVBEVS, SANGVINARIVS, PALLIDA MORS SARACENORVM, P. F. A. quod alios sequiores in hoc illove cognomine *Ottonis II.* arbitrario quoque, sed male & præter verum facere observo. Natus est an. 955. Rex declaratus auctoritate Patris in Italiam ituri an. 961. teste *Supplem. Reginonis, ad hos ann.* An. 968. Romæ in templo S. Petri a Johanne XIII. P. M. coronam ipso natali Domini co festo accepit; Alii ponunt an. 967. Radulfus de Diceto in *Abbrev. Chronic.* ad annum 972. hoc refert, aitque una cum Patre (sed hic jam coronatus erat 25. Dec. an. 962. vide *Diplomata ap. Baron. ad h. a.*) coronatum. Si *Diplomata* genuina & emendata ad *αὐτόγραφᾳ* *Ottonis II.* consulamus, rationes erunt liquidæ: Ea vide ap. Goldast. *Constit. Imp. T. 1. & III.* Adde *Heda Histor. Ultraj. in Baldrico Episc. xv. p. m. 88.* & diploma 14. quod Adamo Bremenfi adjecit Maderus; ex quibus colligere licet in Regni consortium a Patre assumptum circa finem an. 960. sed coronatum Romæ Imp. exeunte anno 968. Patri successit Nonis Maji an. 973. Obiit non sine veneni suspitione 7. Idus Decembr. an. 983. teste Ditmaro *l. III. fin.* sepultus magnifice in labro, sive concha porphyretica, in atrio, arca seu paradiso, orientali porticu Templi Vaticani

Petrini, ita enim tradunt Annales Varii; at miror, qui illud sepulcrum tradant postmodum esse conversum in cloacam mendicorum: cum Sigon. *de R. I. l. VII.* dicat, *Corpus Ottonis in vestibulo Basilicæ Vaticanæ sepultum adhuc conspici*: & Schottus *Itin. Ital. II. 4.* ubi agit de Templo Vaticano, *ibidem* in Templi arca esse *marmoreum sepulcrum e lapide porphyretico Ottonis II. Imp. Rom. nusquam in Italia majorem porphyrum spectari*, excepto illo Ravennate monumento Mariæ Rotundæ. Attingit Otto II. annum ætatis 29. valde invisus Italis, aut maligne laudatus, & a multis sacro furore percitis non una contumelia aspersus, non una fabella traductus; Hepidannum quoque S. Galli Cœnobitam in *Annal. brevib.* (ubi tempora confundit) *ad ann. 978. 988. 989.* huic Imp. iniquiorem esse miror, sed forsitan causam narrat Ekkehard. Junior *l. I. c. II.* ex quo constat, Impp. eo ævo inquisivisse in disciplinam, vitam, mores, studia Monachorum, deque illis judicasse ex relatione eorum, quibus visitationis, ut vocant, negotium dederant. Ditmarus *l. I.* licet querulus de Imp. hujus proniore in Magdeburgensem Archiepiscopatum, quam Mersburgensem Episcopatum animo, tamen candide vocat *Regni & Imperii tutorem, hostibus cunctis horrendum, commissisque gregibus inexpugnabilem murum.* Roswitha Abbatisa Gandersheimensis, Virgo illustris & erudita, in *Panegyrico Ottonum* asserit, hunc viventi Patri, ut *Salomonem ad Davidis Patris latus* comparatum fuisse. Lege & quamvis inimici, testimonium illustre Anonymi *in vit. Adalberti apud Surium*, & Baron. *ad an. 983. §. II.* Bœclerus *l. I. p. 350-362.* habet *Annotationem temporis, Elogium, Statum Reip. Excerpta de Rebus Gestis, Impp. CPtanos, Ecclesiastica, Literas & Eruditos.* Adde Carion. & Cluver. in *hoc Imp.* Crantz. *Saxon. IV. 18.* Aventin. *Annal. Bojor. l. V.* Aliosque.

O T T O . I I I .




L O T I C H I U S .

*Tertius egregiis ornavit legibus Orbem
 Assertor magnæ dexteritatis O T H O .
 Rege Ducum Septem fuit hoc sub conditus ordo,
 Quos Electores tempora nostra vocant.*

H O F M A N N U S .

*Filius hic (a) Infans (b), & Mirabilia mundi (c),
 Ausus (d) Crescenti (e) fortiter ultus erat.
 Caesaris asseruit patria jus (f) rite legendi,
 Fæminea (g) tandem fraude peremptus obiit (h).*

E N A R R A T I O .



Ttonis (a) II. ex Theophania. (b) Germ. *das Kind*, erat enim puer decennis, cum illum Romæ Germani defuncto patri surrogarent, ann. C. 984. (c) Literis divinis humanisque adprime instructus tanta virtute emicuit, ut sic cognominari mereretur. (d) Henrici Bavari exulis, qui sub prætextu tutelæ Imperium raptabat, restituta ei Bavaria, inhibuit, ann. 985. Boleslai dein Bohemi, quem coërcuit, ann. 986. Sclavorum, quos devicit, ann. 993. (e) Nomentani, Consulis, dominium Romæ sibi vindicantis, quem primo exterruit; post ad ingenium reversum, asino averfa facie impositum, una cum XII aliis suspendio necavit, ann. 998. (f) *Jus eligendi Imperatorem penes solos Germanos esse consti-*

constituit. (g) Post Mariam Aug. scēminam procacissimam (cujus instinctu Com. Mutinensem innocentem necaverat) combustam, contra Italos iterum rebellantes profectus; *venenato chirothecarum munere* a Crescentii vidua, quæ nuptias ejus frustra speraverat, sublatus est, (h) in ipso ætatis flore, ann. C. 1001. ætat. 28. Imp. 17 *Electorum Germaniæ Principum* instituto, ann. 998. celebris, juxta Ditmarum *Chron. lib. 4.* Lambertum Schafnab. *Crantzium Histor. Saxon. lib. 4. cap. 22. & seqq.* Joan. item Cuspinianum *in eo*, qua de re in seqq. passim. Eo imperante, Græcum Imperium cum laude gessit Basilius II. Porphyrogenetus, ab interfectis magno numero Bulgaris, *Bulgaroctonus* cognominatus. In Hispania, Almanfor Saracenus, qui spatio 26. annorum quinquaginta duas expeditiones in Christianos suscepisse scribitur, a Veremundo II. Legion. Reg. cum 70. mill. militum cæsus est, ann. C. 998. Rodericus Tolet. *lib. 5. cap. 18.* In Francia Ludovico V. Carolingorum ultimo, ab uxore Blancha veneno sublato, Hugo Capetus, ex Witikindi posteris, Rex electus, ann. 987. Carolo patruo ejus Lotharing. Duc. victo & in custodiam coniecto ann. 992. regnum sibi stabilivit, Capevini- gorum, qui hodieque feliciter regnant, auctor. Otto tamen, Caroli dejecti fil. Lotharingiam retinuit. Paul. Æmylius *lib. 4.* Aimoinus *Supplem. lib. 5. cap. 44.* In Anglia, Ethelredus Rex Eduardi II. frater, a Richardo Normanno victus est, ann. 990. Ingulphus *Histor. Angliæ.* In Polonia, Boleslaus Chrobri, Micislai fil. ab Ottone regiam dignitatem impetravit, ann. 1000. si fides Crantzio *Vandal. lib. 2. cap. 36.* quo eodem Kennethus II. Scotiæ Rex opera *artificiofissimæ statuae* sagitta transfixus periit, Buchananus *in eo.* Quod ad *Ecclesiam*, Stephanum I. Ungar. Reg. ad fidem convertit Adelbertus Episc. Prag. anno *eod.* At in Germania Episcoporum luxus ac superbia mire crevit. In Sicilia, Odilo Abbas Cluniacensis, auditis ad Vulcani ollam gemitibus, *Purgatorium* inde effecit, & *Festum omnium animarum* constituit, ann. 998. Sigebertus Gemblacensis *Chron. ad h. ann.* Alii. Romæ, Joannes XV. fame necatus est a Bonifacio, ann. 985. cujus successore Joanne XVI. a Synodo Remensi damnato, ann. 992. substitutus a Cæsare Gregorius V. ann. 996. dejectus a Crescentio, ann. 997. sed restitutus a Cæsare est, ann. 998. Johanne XVII. quem illi surrogaverant Romani, oculis erutis occiso, aut in Germaniam relegato. Post Gregorium, sedi imposuit Otto Sylvestrum II. Gerbertum, anno *eod.* Platina *Vitis Pontif. Sabellicus Ennead. 9. lib. 2.* Sigonius, Alii.

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

Ottonis III. Imp. qui sæculum decimum claudit, res circa *Annotationem Temporis, Elogium, Quæ ad Statum Reip. pertinent, Excerpta de Rebus Gestis, Externa Imperia atque Dominationes, Ecclesiastica, Literas & Eruditos* accurate persequitur Boecler. *de reb. Sac. ix. & x. p. 463-378.* Sigon. *de R. I. l. vii.* in hoc Imp. satis accuratus est, ira tamen, ut vel odio vel superstitioni subinde litet, & fabellis nimium credulus sit. Nec enim Crescentium contra datam fidem interemit, & prudentissime declinavit superstitionis Romualdi consilium, de cuculla Benedictina scilicet, ob expiendam Crescentii supplicium, si Diis placet, induenda; nec Mariam Conjugem adulterii convictam cremavit vivam: miror hanc fabellam tot Viris placuisse, alias emunctæ naris. Quenam illa Maria? forte Garfæ iv. F. Arragonum Principis. Vide omnino Hedæ *Hist. Ultraj. in Anfrido, Ep. xviii.* & ibi Buchel. *not. q. r. s.* Hanc fabulam ex Josephi apud Potipharum casu primus omnium mutuatus videtur Godefrid. Viterb. homo credulus & poeta videlicet quidlibet fingens, *Chron. five Panthei l. xvii. in hoc Imp. ex eo*, (qui in anno 1146. definit, i. e. 144. annis post obitum Ottonis III.) ceteri transcripserunt sine judicio. Cur Glaber Rodulfus Cluniacensis, huic ævo æqualis (ab anno enim 1000. ad 1044. scripsit Historiam) tantam rem prodigio similem, cum minutias alias commemoret, silet? Cur Siffridus Presbyter Misnens. (qui definit anno 1307.) *l. i. in hoc Imp.* non convenit cum Godefr. Viterbiensi in hac narratione? Cur & unde Lambert. van der Burch *Hist. Sabaud. in pr.* refert „Beroaldum, Ottonis III. ex Fr. Hugone „N. hanc Patru uxorem in adulterio deprehensam „una cum adultero, indignitate facinoris permotum, „confodisse: Renatum, Comitem Montensem, Maria Propinquum ob id bello Saxones petiisse; nec „prius id componi potuisse, quam conditionibus Beroaldus juberetur toto decennio Germania universa „decedere,? Recte ergo Alii hanc vivicomburii narrationem aut fabellis accensent, aut dubiam relinquunt, aut silentio improbant, quia in re cunctos acrimoniam judicii in Avent. *l. v. p. m. 397-401.* Schurtzfl. *Diff. iv. Addit. p. 20.* Electorum seu Villvirorum certorum Na-

tales ad sequiora tempora debent referri. Historici certant & adhuc sub judice lis est. Consuli poterunt Cario *Chron. l. iv. in Ost. III.* Petav. *R. T. VIII. 17.* Rupert. ad Besold. *Syn. min. c. 18.* Frch. ad Bebenburg. *de Jur. regni c. 2. ad Petrum de Andlo II. 1.* Gewold. *de S. R. I. Septemviratu*; Windeck *de Electorib.* Conring. *de Villivris German.* Kieser, Lederer, Schardius, Schiferer, qui *de origine Elector.* commentati sunt: Thulemarii *Octovirat. maxime c. 7.* Besold. *de Succ. & Elect. II. 3.* Thes. Pract. voce: *Churfürst.* Hepidannas, Compil. *Chronol. Cutherni Saxon. Cathol. p. 82. & seqq.* Serar. *Rer. Mogunt. l. 24.* Baron. *ad an. 996. §. 38. & seqq.* Bellarm. *de Transl. Imp. III. 1.* refutatus a Matth. Drexero an. 1592. Freinsheim. *de Elector. & Card. Preced. II. 22-43.* Mallinckrot *de Archicancell. S. R. I. c. 3.* qui illustris Vir egregia habet; Boxhorn. *El. U. ad an. 988.* uti taceam Juris Publici Germanici Enarratores & Jcc. magno numero *h. t.* item *Dissertationes Academicas* Griesheimii, Mauriti & Aliorum, Schurtzfl. *Diff. xxxvi. 8. in not. ad marg. p. 12. nec vulgaris habet* Merula *Tijt-Threfoor ad ann. 998. 1001. 1024. 1039. 1066. 1077. 1106. 1139. 1152. 1190. 1199. 1210. & maxime instituta erudita digressionem ad an. 1273.* Circa res Ottonis III. adde laudatis Cluver. *in eo*, Bert. *de Germ. II. 6. num. 14.* Cuspinian. *in eo*, Bonfin. *Rer. Hung. II. 1.* Blond. *II. 3.* (qui *Romæ*, non *Paterni*, mortuum refert:) *Chron. Austral. Chr. Laurisham. Chr. Colon. Chron. Hildesh. etff. ad has om.* Burkhard. *de cas. Mon. S. Galli c. 3.* Adam. Brem. *II. 14. 28. & 30.* Engelhaf. *Chron. in eo, p. m. 185-190.* Cartuit. *Vit. S. Stephani Ungar. R. ap. Surium 15. Ang. Lehm. Chr. Spir. V. 13. 14. 15. & 17.* qui videri meretur. Quod si addimus *Diplomata, Fundationes, Constitutiones, Leges etff. Ottonis III.* item *Vitas SS.* qui illius ævo floruerunt, & *Externos* talis notæ Scriptores, ex. gr. *Chron. Joh. Bromton, & Rad. de Diceto, Anglorum, Abbrev. Chronol. Abbonem & Aumonium, Floriacenses, Belgas; Radulf. Glabr. etff. Gallos, aliarumque Nationum æquales aut proximos huic ævo Scriptores confertas, non admodum parca, (ut queritur Boecl. l. l.) erit Historia Ottonis III.*

XCII.

FLAVIUS GLYCERIUS.



VIX CONSEUTUS NOMEN IMPERATORIS,
DE DIGNITATIS PELLERIS GRADU SUMMO.
EXINDE SENTIS VITA DISCREPET QUANTUM
PRIVATA REGNO. QUI LATET, TENET METAM
FELICITATIS. CELSA TUTA SUNT NUMQUAM.

E N A R R A T I O.

POST Olybrii decessum factum est, ut eodem tempore Imperator Orientis Leo Julium Nepotem Cæsarem Occidentis designaret, collocata ei in matrimonium nepte sua, & Gundibarius Richimeri nepos, quem Olybrius patricium fecerat, spreta Leonis Imperatoris auctoritate, invito etiam Senatu Romano, Glycerium comitem per milites ad Imperatoriam dignitatem Ravennæ eveheret. Cunctante in Oriente Nepote, Glycerius inter magnas difficultates imperium usurpabat, & Ostrogothos, auspiciis & ductu fratris Regis sui in Italiam magna manu contendentes, donis & muneribus, jam fere recepto more, a finibus Imperii avertit. Interea Servandus quidam vesana ambitione impulsus Imperium Romanum adfectabat, omnem movens lapidem quo voti fieret compos. Sed perbrevis hic impetus fuit. Nam a militibus seditionem agitantibus e medio sublatus est. Sed majus malum imminebat. Quamprimum enim Julius Nepos classe advenit, opibus suis jam nimium attenuatis diffusus, urbe statim excessit, & imperio exutus, & Clericorum

ritu attonsus episcopatu Salonitano in Dalmatia fuit contentus, malens in hac tranquillitate vitam transigere, quam nomine Imperatorio superbire. Factum id Leone Juniore Cos. anno ab V. C. 1226. Profecto melius cum ipso, quam cum Nepote, a quo pellebatur, actum est. Illi enim ipsi, paulo post profugo, apud se asylum præbuit. Sunt qui narrant Glycerium a Nepote in exilium fuisse compulsum, & solum, desertum ab omnibus suis, miserrime diem obiisse supremum. Sed priori sententiæ potissimum assentimur: quia plures eam amplexos fuisse comperimus. Natus fuerat Romæ. Sed neque tempus nativitatis, neque stirps, unde originem duxit, satis sunt nota. Aliqui tradiderunt eum fuisse avunculum Julii Nepotis. Sed neque his satis credimus. Imperator electus est anno a Christo nato 473. Obtinuerat Imperium annum unum, menses tres, & dies viginti. O brevem felicitatem! Libet hic (historici enim deficiunt, neque materiam nobis præbent latius evagandi) adferre pulcherrimos versus de Imperantium infelicitate, quos olim effudit Vir disertissimus Dominicus Baudius, Academiae quondam Lugdunobatavæ lumen egregium. Faciunt enim, opinor, ad rem. Sic ergo ille scribens ad Ludovicum Transaquanum & Lævinum Massisium:

*Non vos beatum dixeritis, o boni,
Virum nitente conspicandum purpura,
Qui principatus esuritor impotens
Multa clientum plebe stipatus tumet,
Virtutis umbra gloriosus, re carens.
Non si ter altum Caroli magni genus,
Gentemque jactet ultima ex origine:
Nec si quod arvum Sequanae flumen lavit
Flavente lymphæ saltibus claudat suis,
Opumque vi certare vel Cræso queat,
Hereditates aptus effertissimas.
Non gaza namque, non honores lubrici,
Quos aura plebis æstuosior freto
Desert & aufert sorte desultoria,
Placant tumultum mentis & curas graves,
Sitimpe sedant improbi cupidinis.*



HENRICUS (a) II. CLAUDUS. (b).



L O T I C H I U S.

Primus Cæsareis Elector honoribus auctus
HENRICUS Saxo rite *Secundus* erat.

Cultor erat *Sanctus* quoniam pietatis & æqui,
Auspiciis gessit régia sceptrâ bonis.

H O F M A N N U S.

Henricus *Barvarus*, postquam jam sceptrâ *Capetus* (c)
Gallica corripuit, *Teutonis* (d) arva regit.

Quaqua *versum* hostes, *cives* (e) *Italosque* (f) *Bohemosque* (g);
Et *Sclavos*. (h), *Gracos* (i) *Agaridasque* (k) domat (l).

E N A R R A T I O.



Saxoniz (a) & Bajoariz Dux, primi Ottonis ex fratre nepos, post aliquot mensium interregnum, Ottoni III. successit, Ann. C. 1002. (b) a pedis vitio: etiam *Sanctus*, a continentia, & *Pater Monachorum* a liberalitate in Ecclesiasticos, cognominatus. (c) De quo supra. (d) Extortis ab Heriberto Colon. Præfule insignibus, æmulisque elusis, consecratus est a Willegiso Moguntino, anno quo diximus. (e) Eckhardum Saxoniz, & Henricum Austriæ Marchiones Imperio inhiantes repressit, (f) Arduinum Marchionem, qui Italiz regnum invaserat, fugavit, ann. 1005. (g) Jaromirum Principem Bohemum reduxit: Vandalos repulit, ann. 1012. & Boleslaum Polonum, (h) cum omni Sclavorum gente, subegit, ann. 1015. (i) Apuliam Græcis (k) & Saracenis inde pulsus, cum Calabria, occupavit, Normannisque, quorum fidem in eo bello operam expertus erat, concessit, ann. 1022. (l) Obiit Groningæ ann.

ann. C. 1024. Imp. 23. postmodum inter Sanctos relatus. Hermannus Contr. Ditmarus *Chron. lib. 5. 6. 7.* Helmoldus *Chron. Sclavorum*, Glaber Rodolphus *lib. 3. in Præfat.* Sigonius *de Ital. lib. 8.* Hepidannus apud Goldastum *Alemannic. rer. Tom. 1. part. 1. ad ann. 1027.* Alii. Ejus tempore, Orienti adhuc Basilius II. præfuit, qui capta Bulgarorum ad 15. mill. adeptis oculis relictoque singulis turmis uno duce lusco, ad Samuelem eorum Regem remisit, ann. 1013. totaque Bulgaria potitus est ann. 1017. Zonaras *in eo.* In Palæstina templum Hierosolymis evertit Calipha Ægypti, ann. 1010. Cedrenus *Histor.* In Hispania, Maurorum fortuna inclinare cœpit, post Almanforis obitum: recepitque Legionem Alphonfus V. Veremundi II. fil. ann. 1020. Mariana *de reb. Hispan.* In Francia, Robertus, patris Hugonis successor, Princeps literatus ac religiosus, cum Imperatore, de emendando Ecclesiæ statu, collocutus est, ann. 1021. In Anglia, devenit majestas Regni ad Danos, qui sic Dynastiam in Anglia V. obtinuerunt, facto initio a Suenone I. qui Anglia vastata ann. 1006. Edelredum Reg. vicit, ann. 1010. & expulit ann. 1013. quem excepit fil. Canutus seu Cnutus, Daniz & Angliz Rex, ann. 1014. qui Edmundum Angl. Reg. vicit, ann. 1016. ejusque fratrem Eduardum III. ejecit, ac Emmam Edelredi viduam uxorem duxit, ann. 1017. Ingulphus *Histor. Angl.* cæterique *Anglicarum rerum* Scriptores, Saxo item Grammaticus *lib. 10.* In Polonia, fortiter rem gessit contra Moravos, ann. 1003. Bohemos, ann. 1013. Russos, Saxones & Borussos ann. 1018. Boleslaus I. Mart. Cromerus *de reb. Polon. lib. 3.* In Hungaria, Stephanus I. Geiza fil. ab Henrico, data ei in matrimonium sorore Gisela, ad Christianam fidem perductus, atque Rex creatus est, sub initium Imperii, Aventinus *Annal. Bojor. lib. 5.* In Lotharingia, defuncto Ottone Duce, Imperator illam Godefrido Arduennati assignavit, Balduino IV. Flandrorum Com. frustra obnitente, qui victus Henrico manus dedit, & Valentiam cum Zelandia inf. pro feudo impetravit, ann. 1007. Sigebert. Gemblac. *ad ann. b.* Quod Ecclesiam concernit, Bambergæ magni nominis Ecclesiam, *eluendis peccatis conscientiam præmentibus* extruxit Imperator, ann. eod. ibique sepeliri voluit. In Synodo dein Neomagenfi, ut *panis ad dextram, calix ad sinistram* in celebratione Missæ poneretur, statutum, ann. 1018. At Romæ Sylvester II. qui *mercatus Papatum pretio animæ a Diabolo fuerat*, anno supra dicto, *ut eum tam diu teneret, quamdiu Hierosolymam non vidisset*, ab illo deceptus in facello Hierusalem nuntium mortis accepit, ann. 1003. Benno Cardin. *Vita Hildebrandi*, Platina *Vitis Pontif.* Alii. Eum sequutus Joannes XVIII. *Festum animarum* promulgavit: hujus successor Benedictus VIII. ann. 1013. Guidone Musico delectatus est, ann. 1022. Platina *ibid.* *Decretorum* vero volumen scripsit Burcardus Episc. ann. 1006.

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

Henricus II. (quem ex facerrima Hypothesi Petavius R. T. VIII. 17. vocat *Imperatorii tituli Primum*; præverant Lamb. Schafnaburg. *ad an. 1024.* Compiler Chronologus Anonymus; Aliique ex Clerica cohorte: scilicet *Henricus Auceps* a Papa Romano non erat inauguratus) fuit Henrici sive (vernacula nominis forsitan corruptela) alias *Hezelonis* Bavari F. ex Gisela Conradi Burgundiz Regis F. (ut Alii: ex Bertha Lotharinga:) Henrici Rixosi N. Henrici Aucupis PRON. Vide *Genealogiam Saxoniam* Ditmaro præfixam, & ex eo concinnatam. Natus est Abudiaci, vico Boiariz inferioris ad ripam Danubii, ann. 972. literis eruditus Hildeshemii, quippe doctissimus fuisse perhibetur. Uxor Chunigunda, Siffredi Palatini F. (Aliis Mosellana:) sed, ut volunt, virginea. At non ego credulus illis: Cur enim Imperator Maritus in Synodo Francofurtensi an. 1007. de qua Chron. Bamberg. *ad h. a.* testatus est heredis desiderium, questus uxoris sterilitatem? Cur tantam rem, tantum prodigium siluisset Henrico II. consanguinitate aliqua propinquus, certe Ei carus Ditmarus, illorum temporum (quippe obiit 1. Decembr. an. 1018. æt. 42.) Scriptor, & ejusmodi rerum, imo vel somniorum Monachalium, diligentissimus venator? Ejusdem commatis puto fabellam, quod Cunigunda traducta illicitæ consuetudinis cum Nobili Aulico tandem ad id confugerit, ut calcando XII. ignitos vomeres illæsa pudicitiam nemini mortalium omnium unquam esse delibatam testaretur. Vide Camerar. *Hor. Subseciv. II. 18.* & de hujusmodi *Ordaliis* sive *Judiciis Dei*, huic ævo valde usitatis, eruditum Becmani *Tractatum*, speciatim c. 4. §. 3. quam rem similiter Ditmarus silentio damnavit, non taciturnus, si quid tale contigisset. Sed fabularum teracissima fuerunt sæculum XI. & XII. ubi sequiores primorum somnia & ultro confictas tabulas exscribendo atque ita confirmando easdem credulæ deinceps posteritati imposuerunt. Sylvestri II. Papæ commercium cum Diabolo plane a nigræ loliginis succo excrevit, aut ab imperitis confictum est, quia Mathematicis disciplinis pereruditus erat. Si nugæ placent, eas narrabit Joh. Bromton, Abbas Jornaensis, *ad an. 998.* has Vulgi avias circa Eruditorum supra sæculum, cum Diabolo commercium mascule revelit peculiari libro Naudæus. At Ego potius credo cum Boxhornio *Hist. Univ. ad an. 984.* veram causam atrocis hujus

calumniæ esse, quia invito Clero Romano, auctoritate Ortonis III. ad eum honoris apicem erat provectus, Cæsarumque jus, quod invaserant hactenus Alii, immotum manere, & ereptum reddi, læsumque in integrum restitui tandem oportere, statuebat. Sic enim ipse *Epistola I.* (nam hæc verborum elegantia instructæ ac eruditæ, ad Ottonem III. Robertum Francorum R. Aliosque inclutos Viros scriptæ Auctoris cordatam mentem produunt) scribit ad Ottonem III. *Non dicatur Majestatis reus, cui pro Cæsare stare semper suis gloria, contra Cæsarem ignominia.* Calumniæ istius auctor primus est Benno Cardinalis, qui inflammatus odio Hildebrandi multa simul de hujus decessoribus fingit, & quos ob Mathematicam eruditionem, velut maleficos, damnat, & simul errat in annis Sylvestri. At mendaciæ nec tegunt, nec vulnerant. Papa nesciret Romæ esse locum, in Basilica Sessoriani Palatii, Hierusalem dictum; & quidem ubi Synodus olim regnantibus Gothis habita? Vir doctissimus nesciret amphibolias Diaboli, vel ex ambiguis olim Oraculis Delphicis? Pontifex faceret sacra in loco sibi ignoto? Tali Mago Sergius Successor illustre Epitaphium & Monumentum in Basilica Lateranensi dedicasset? & hoc non destruxissent statim posteri indignantes? Sed vide plura pro vindicanda memoria Eruditi hujus Papæ apud Joh. Pap. Masson. *Gest. Pont. Rom. in Sylvestro II. & Elogium*, quod Ditmarus illi æqualis eidem consecrat *l. VI. p. m. 178. 179.* sine ullo sale nigro adperso. Cæterum res Henrici II. optime tradunt præter laudatos, Aventia. *An. Boj. l. V. p. 399-405.* Brunner. *Ann. Boj. l. VIII. p. 604-729.* Cario *l. IV. in Eo*, Cluver. *Epit. Hist. in Eo.* De Normannis, hoc Imperatore, excursus habet lectu dignum Petav. R. T. VIII. 17. Adde porro Herburt. de Fulstin. *Hist. Polon. IV. 5.* Crantz. *Saxon. IV. 31.* & seqq. Hedam *Hist. Ultraj. in Anfrido Ep. XVIII.* ibique Buchel. *not. u. x.* Symbolam conferent Concilia, Foundationes, Diplomata, etil. Obiter notandus est Baron. *ad an. 1014.* qui non sine pompa affert diplomata Henrici II. quo confirmat beneficia Ecclesiæ Romanæ concessa a decessoribus; sed ex quo ipso constat simul, in omnibus Regalibus Papæ concessis Imperatorem sibi suam dominationem servavisse integram, nec populos Ecclesiasticæ potestati Pontificis commissos a subjectione sua excepisse.

FLAVIUS JULIUS NEPOS.




FELICITATIS ATTIGISSE TE CULMEN
FRUSTRA PUTABAS. NEMPE TE BONUM VERUM,
FLAVI, LATEBAT. HINC TIBI MALI CAUSA.
NON NON TIARAS, NON POTENTIÆ SPLENDOR
AB IMMINENTE LIBERAT VIRUM FATO,
QUEM FOSSA TRIPLEX AMBIT ET GLOBUS DENSUS
SATELLITUM. ILLA CAUTIO NIHIL PRODEST.
QUIN DEXTERA UT RUBENTE JUPITER MAGNUS
VIBRANS AB ALTO FULMINA ET NIVES COELO,
PLERUMQUE VASTAS ILICES SOLO STERNIT,
VENTISQUE MONTES OBVIUM LATUS PRÆBENT:
SIC ALTIOR DOMOS RUINA PRÆLUSTRES
ADFLIGIT, ATQUE SUBRUIT GRAVI CASU.
CONTENTIONE PRINCIPIS LOCI FRATER
MISERE PERIVIT ROMULI, ATQUE ROMANÆ
FUNDATOR URBIS OMNE FAS LUIT RUPTUM,
POSTQUAM DEDISSET IMPIUS NECI FRATREM.
QUID PRÆTER HANCCE SPLENDIDAM DEDIT PESTEM
CRASSUM RUINÆ, MILITUM MANU MAGNA
STIPATUM ET APPARATU, ET HORRIDUM FULMEN
SÆVI GRADIVI CÆSAREM, ET SIMUL MAGNUM,
NISI ARDOR INGENS ET CUPIDO REGNANDI?
HÆC USQUE TABES SÆVA PRÆTERIT PLEBEM
VULGARIAM, ACRES OCCUPANS VIROS SEMPER,
PARESQUE MAGNIS ACTIONIBUS MENTES.

ENAR-

E N A R R A T I O.



IEO Imperator, audita Anthemii Occidentalis Imperatoris cæde, Flav. Julium Nepotem, Nepotiani filium, imperio Italiæ destinavit. Sed cognito, Glycerium jam creatum esse Imperatorem, misit eundem Nepotem cum ingentibus copiis; iisque Glycerium Imperatoria potestate exuit; &, ut Paulus Diaconus scripsit, apud Salonas, Dalmatiæ urbem, Episcopum fecit. Post hæc Oresten, qui & pise genere Gothus erat, Magistrum militiæ factum, misit contra Gothos in Galliam, ut laboranti regioni subveniret. Sed hic cum potestatem suam viresque consideraret, & contra Nepoti nullas esse videret, imperium cepit meditari. Gothis igitur Italicis sibi conciliatis, Ravennam, ubi Nepos degebat, ocus se contulit, incautumque & imparatum imperio spoliavit, & fugere Salonas, coëgit anno ab V. C. 1227. Zenone Aug. solo Cos. Regnavit Nepos annum unum, menses duos, & dies 21. A Christo nato si tempus supputes, actum hoc est anno 475. Eiusdem seculi anno 480 ex insidiis a suis comitibus occisus est. Natus erat Romæ. De genere ejus non multum potest adferri. Crudelis fuit in vita; cujus rei insigne exemplum ediderat in Glycerio: ne de aliis loquamur **Viris Illustribus**, quos partim in exilium egit, partim interfici curavit.



CONRADUS (a) II. SALICUS (b).



L O T I C H I U S.

Nomine CONRADUS, sed non pietate, *Secundus*
 Contulit audaci fortia signa manu.
 Virtutis specimen Nemetanam condidit ædem,
 In qua defossus post sua fata jacet.

H O F M A N N U S.

Franco fui, populi quosvis interritus hostes,
Italia (c) pacem non sine laude dedi.
Burgundi (d), Hunnorum (e) soboles, acresque Poloni (f),
Atque alii (g) dextra sunt monumenta mea (h).

E N A R R A T I O.



Ranconiæ (a) Dux, ab Henrico Imp. Proceribus de meliore nota commendatus, eum in Imperio excepit, ann. C. 1024. vir *constanti pectore ac imperterrito, virtutis indomita ac pene infatigabilis, strenuus violatorum pacis vindex.* (b) Seu *Saliquus*, a Sala Franconiæ fluv. (c) Italiam ingressus, Ticinenses rebelles domuit, Ravennatesque vicit, militem, cujus pes supra talum eo prælio fuerat abscissus, *ocrea argento plena* remuneratus, ann. 1027. (d) Burgundiæ regnum a Rudolpho, Gisela Augustæ avunculo, legatum Henrico filio suo, ac dein etiam bello partum Imperio

Imperio adjecit, ann. 1032. (e) Stephanum I. Hungar. Reg. a Bavaria depulit, (f) post Boleslai Poloni, regio nomine sumpto, rebellis filium Miconem coërcitum, ac, tertia Poloniae parte reddita, Ducis nomine praesidere jussum, ann. 1035. quo & (g) Vandalos compescuit. Thuringiae Landgravium creavit, ann. 1039. (h) Decessit Traiecti ann. C. eod. Imp. 15. Vippo *Vita* Chunradi Salici, Sigebertus, Otto Frising. Hermannus Contr. Conradus Abbas Ursperg. Spangenberg. Erphesford. *de Landgrav. Thuringiae*, Alii. Eo Principe, Byzantii praefuerunt Constantinus VIII. Romanus III. Argyropolus, & Michaël IV. Paphlago, qui Siciliam, victis Saracenis, propemodum totam subjugavit, duce Maniace, ann. 1038. In Italia, seditiones variis in locis obortas, Parmensibus severe punitis, aliisque aliter coërcitis, extinxit Imperator, paulo ante obitum. In Hispania, orta est Dynastia III. in Ferdinando I. qui, ducta Sanctia, Alphonsi filia, Asturiarum, Legionis & Castellae regna conjunxit, ann. 1038. & Portugalliam quoque Saracenis ademit, ann. 1040. Rodericus Tolet. *de Rebus Hispan. lib. 6. cap. 8. & seqq.* In Francia, Roberto patri successit Henricus I. ann. 1033. Roberto fratri Burgundiae ducatu concessio, ann. 1035. Aimoinus *lib. 5.* In Anglia, Canutum, qui adulatores, *Dominum terrae marisque* se vocantes, egregio facto retudit, fil. Haraldus excepit, ann. 1035. In Hungaria, Stephanum I. filius itidem Petrus, ann. 1034. Vide Auctores supra laudatos. In Ecclesia, Berengarius Archidiaconus Andegav. vir tantae eruditionis, ut venienti Romam Pontifex assurgeret, *Corpus & sanguinem Christi esse in pane & vino non substantialiter, sed sacramentaliter*, circa ea tempora, docuit, Guidonem inter alios Aretinum, qui *notas Musicas* excogitavit, adversarium expertus, Sigonius *lib. 8.* In Hibernia, sedem Armachanam uxorati Archiepiscopi VII. tenere, usque ad Bernhardi aetatem, Baronius *Annal.* Romae Benedictus VIII. post mortem, nigro equo insidens, Odilonem pro se orare voluit, ann. 1024. Eum sequutus Joannes XIX. nec bonis nec malis notus, quem excepit Alberici Com. Tusculani fil. puer undecennus, Benedictus IX. sub quo *Cardinalium* nomen emerfit, circa ann. 1033. Platina *Vitis*, Aliique.

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

Conradus II. antea Cunō de Weiblingen (in Suevia) dictus, etiam *Spirensis* cognominatur, quia a Conrado Wormatiensi Duce profapiam duxit, Chron. Citiz. p. 772. aut quia Spiram auxit splendidis basilicis, ibique libentissime moratus est. Chron. Colon. p. 156. Chron. Hirsau. ad an. 1024. Alii. Super stemmate hujus Imp. diversae sunt sententiae, quae videri possunt in *Theatro Hist.* Matthiae, Megiser. Chron. Carinth. p. 772. Bucelin. *Geneal.* p. 54. & 60. Reusner. *Geneal. Basil.* p. 129-131. Aliisque. Pater fuisse dicitur Henricus (al. Hermannus) Dux aut Comes Ostrofranciae; mater Adelheidis Lotharinga ex sanguine Chlodovzorū Franciae Regum. Wippo in *vita* Ejus notanter narrat; „quod antiqua beneficia (i. e. feuda) Militibus (i. e. Vassallis) confirmaverit, novisque Eos sibi obstrinxerit, tanta cum laude, ut post Caroli M. tempora crederent, neminem Regali sede digniorem, unde etiam ortum sit proverbium: *Sella Conradi habet ascensoria Caroli*„. Fabellam de adoptato Leopoldi (al. Lippoldi, vel Dippoldi) Comitis Calbenfis, ob violatam pacem publicam in Sylvam nigram fugitivi, ibique in mola latentis Filio Henrico, (qui post fuerit Henricus III.) & dein mirum in modum adscito, filia illi elocata, Genero, satis refellit suo silentio Wippo, Sacellanus Conradi II. licet eam narrent sequiores, ex historia Cyri & Astyagis ab otiosis Monachis interpolatam, Engelhus. *Chron.* p. 195. 196. Joh. Crows in *visis Imp.* ex dom. Brunsvic. p. 87. 88. & plures Alii, ridente eam Nauclero *Generat.* 35. Monacho Hamerslebenfi *Compend.* p. 141. 142. Imo ipse Henricus III. in Diplomatis ap. Bek. *Hist. Ultr. in Bernulfo Ep.* xx. p. 110-113. vocat Conradum II. Genitorem & Patrem bona, felicis memoria. Adde versus luce meridiana clariore ap. Lehm. *Chr. Spir.* v. 24. qui leguntur inscripti Cruci preciosissimae aureae, quam S. Mariae dedicavit & Ecclesiae Cathedrali donavit ipse Henricus III. Ubi diferte legitur: *Hein-*

ric Cunradi natus de stirpe Monarchi, Ex Gisela genitus. Uxor illi fuit Gisela, Hermanni Ducis Alemanniae (i. e. Sueviae) ex Gerberga Conradi Burgundiae Regis F. Haec illi peperit Henricum III. Successorem; & Juditham, uxorem Atonis IV. Marchionis Estensis; & Beatricem, primo Bonifacii, Marchionis Lucensis & Ferrariensis, deinde Godefridi Lotharingi uxorem: si Reusnero l. l. credimus. Vide porro de rebus Conradi II. Carion. & Cluver. in *eo*, Sigon. *de R. I. lib. VIII. in eo* : Brunner. *Ann. Boj.* passim l. VIII. p. 553. l. IX. p. 787-830. Micrael. *Synt. Hist.* II. 5. qu. 7. Hedam *Hist. Ultr. in Bernulfo Ep.* xx. ibique *notas* Buchelii; Aventin. l. v. p. 405. & seqq. Lehm. *Chr. Spir.* IV. 2. v. 18. & 19. Merula *Tyr-Threfoor* an. 1024-1039. Fulstin. *Hist. Polon.* v. 4. Plurima huc conferent Diplomata, Fundationes, Monumenta Archivorum publica hujus aevi, Epitaphia, Vitae SS. hujus aevi, Concilia, etff. Adde Lamb. Schaefnab. *ap.* 1024-1039. Antonin. *part. II. tit. XVI. c. 4.* Vincent. *Specul.* xxvi. 16. Chron. Laurisham. p. 73-75. Hepidann. *ad an.* 1030-1045. (sequitur enim nescio quam Epocham, quae recepta fere octennio prior est:) Ekkehard. Juniores *de cas. Mon. S. Galli*, c. 6. Ekkehard. *Minim. in vit. Notkeri Balbuli* c. 15. & 16. Monachi Hamersleb. *Compend.* p. 141. *ad an.* 1025. Adam. *Bremenf.* II. 39. 47-50. 54. Aliosque. De Berengario consule ex Pontificiis hic valde accuratum Cabassut. *Notit. Eccl. Sac.* XI. p. 370. 380. 381. cui oppone Forbes. *Inf.* *Hist. Theol.* XI. 12. §. 1. & 18. §. 7. 10. 14. 21. 23. Spanhem. *Introd. ad H. E. N. T. Sac.* XI. c. 8. Boxhorn. *H. U. ad an.* 1039. p. m. 615-617. Aliosque. Obiter notanda sunt verba Adami *Brem.* II. 39. *Cum Rege Danorum sive Anglorum Knuto, mediante Archiepiscopo Bremenfi Unwano, pacem fecit Conradus II. cujus & Filium Filio suo deposcens uxorem, dedit ei civitatem Schlaswig cum Marchia, qua trans Egdoram est, in sedes amicicia; & ex eo tempore fuit Regum Dania.*

FLAVIUS MOMYLLIUS AUGUSTULUS.



FASTIGIUM ATQUE NOMEN IMPERATORIS
AD ASTRA VEXIT IMPERATOR AUGUSTUS.
AUGUSTUS ALTER NOMEN HOC GERENS FALSO
DEPRESSIT ILLUD. O VAGAS VICES RERUM!

E N A R R A T I O.

FLAVIUS MOMYLLIUS Orestis Patricii, de quo jam verba fecimus, filius, Romulus Augustus vero nomine dicebatur. Sed a puerili ætate, vel quod exiguæ esset staturæ, Augustuli nomen accepit. Cum sic per ludibrium vulgo vocaretur, mirum videri potest, hoc nomen quoque in nummis veteribus inveniri. Sunt enim in Goltzii Thesauro, in quibus hæc comparent: D. N. AUGUSTULUS. PERP. P. F. AUG. Et, D. N. FL. MOMYL. AUGUSTULUS. P. F. AUG. De quo tamen dubitare liceat, an nummum posteriorem candide descriptum dederit. Videtur enim scriptum fuisse: D. N. ROMUL. AUGUSTUL. P. F. AUG. sed jam detritum ex corruptioribus Historicis, qui Momyllium & Momylum appellant, pro Romulo, ipse perperam supplevit. Et nisi impediret alter nummus, in quo manifeste AUGUSTULUS dicitur; credibile esset, nec AUGUSTULUS fuisse scriptum, sed AUGUSTUS. Quæ enim nomina vulgus imponebat apud Romanos, ea reperire non licet in ipsorum Principum monumentis. Quis enim in num-

B b *

mo

mo legit umquam Caligulam? quis Caracallam? Certe nummus Octavii Stradae sic habet: D. N. ROMULUS. AVGVSTVS. P. F. AVGVSTVS. Est & alius, in quo est, IMP. C. ROMULUS. AVGVSTVS. Exitum huius Imperatoris quod attinet (namque gesta fuerunt nulla, quod initium imperii cum deiectione coniunctum sit) Odoacer, Scyrorum & Herulorum Regulus, capta urbe Ticinensi, Ravennam profectus est: quam cum paucos dies obsedisset, in potestatem accepit. Tandem Romam proficiscens eam quoque sibi subjugavit, & Augustulum, qui se abdicaverat, in quodam Campaniae castello exulare, privatumque vivere iussit; satis habens illum purpura exuere. Nam quod admodum formosus esset adolescentulus, vitam ei concessit. Indulgit ei praeterea magnam pecuniae vim, ut secure & laute vitam agere posset. Accidit hoc Basilisco & Armato Cosl. A. V. 1228. ut est apud Marcellinum.

Hic finis Occidentalis Imperii Romani veteris fuit. Atque ita Imperatorium nomen, quod in Augusto ceperat, in Augusto extinctum est. Adempta quoque est Senatui Romano auctoritas, Consulibus dignitas; sed quam Odoacer postea restituit. Sic qui olim tot potentissimos Reges velut una manu vicerunt, vel precario regnare passi sunt; iis vitam precariam, & levissimam praeae dignitatis umbram, venientes ex obscuro Septentrionis angulo permiserunt. Vis & potestas omnis pene Herulos, mox Gothos, denique Longobardos fuit, usque ad tempus Caroli Magni, qui totius Occidentis Monarcha potentissimus a populo Romano Imperator salutatus est, magnaeque virtutis praebuit testimonia. Tamen non est dissimulandum, altero anno post exutum imperio Augustulum, Ambrosium Aurelianum, ut aliquod saltem vestigium Occidentalis Imperii superesse videretur, sumpta in Britannia purpura, Britannos ab Anglosaxonum tyrannide strenue defendisse; quod ex Gilda, Beda, & Adone docet Baronius. Sed id bonum admodum breve fuit. Ita & iisdem temporibus Sabinianus magnus Illyricianae militiae ductor, qui collapsam remp. restitutus videbatur, & iam Gothis terrori esse ceperat, ut qui cum antiquis reip. ducibus comparabatur, antequam cepti sui compos fieret, rebus humanis exemptus est A. V. 1232, Placido solo Cosl. ut scripsit Marcellinus in Chronico. Natus fuerat Augustulus in Italia. Sed locus ignoratur.



HENRICUS III. NIGER. (a).



L O T I C H I U S.

Exsule pace feris HENRICUS Tertius armis
 Tres folio Papas cogit abire suo.
 Ante diem gelida præventus morte, sed ecce!
 Ad liquidas Rheni contumulatur aquas.

H O F M A N N U S.

Crine niger, patris (b) *successor*, *Pannona* (c) *pulsum*
Restituit, *Roma* *pellere monstra* (d) *catus*.
Burgundos (e) *rexit fortis pepulitque Bohemos* (f),
Ostro usus mirâ relligione (g) *fuit* (h).

E N A R R A T I O.



Crinium (a) colore sic dictus, (b) qui eum 10. ante mensibus Imperatorem declaraverat, Burgundia illi attributa; post mortem ejus, successit. ann. C. 1039. quo ipso æmulos debellavit. (c) Petrum Hungarum, ob crudelitatem, a suis exturbatum ann. 1041. restituit, ann. 1044. Ungariamque Imperii feudum, & Albertum Bavarum primum Austriæ Marchionem fecit, eod. (d) Romæ, post Benedictum IX.

Bb

sacris

mo legit umquam Caligulam? quis Caracallam? Certe nummus Octavii Stradae sic habet: D. N. ROMULUS. AUGUSTUS. P. F. AUG. Est & alius, in quo est, IMP. C. ROMULUS. AUGUSTUS. Exitum huius Imperatoris quod attinet (Sunt enim gestae fuerunt nullae, quod initium imperii cum dejectione coniunctum sit) Odoacer, Scyrorum & Herulorum Regulus, capta urbe Ticino, Ravennam profectus est: quam cum paucos dies obsedisset, in potestatem accepit. Tandem Romam proficiscens eam quoque sibi subjugavit, & Augustulum, qui se abdicaverat, in quodam Campaniae castello exulare, privatumque vivere iussit; satis habens illum purpura exuere. Nam quod admodum formosus esset adolescentulus, vitam ei concessit. Indulsi ei praeterea magnam pecuniae vim, ut secure & laute vitam agere posset. Accidit hoc Basilisco & Armato Cos. A. V. 1228. ut est apud Marcellinum.

Hic finis Occidentalis Imperii Romani veteris fuit. Atque ita Imperatorium nomen, quod in Augusto ceperat, in Augusto extinctum est. Adempta quoque est Senatui Romano auctoritas, Consulibus dignitas; sed quam Odoacer postea restituit. Sic qui olim tot potentissimos Reges velut una manu vicerunt, vel precario regnare passi sunt; iis vitam precariam, & levissimam praeae dignitatis umbram, venientes ex obscuro Septentrionis angulo permiserunt. Vis & potestas omnis pene perierunt, mox Gothos, denique Longobardos fuit, usque ad tempus Caroli Magni, qui totius Occidentis Monarcha potentissimus a populo Romano Imperator salutatus est, magnaeque virtutis praebuit testimonia. Tamen non est dissimulandum, altero anno post exutum imperio Augustulum, Ambrosium Aurelianum, ut aliquod saltem vestigium Occidentalis Imperii superesse videretur, sumpta in Britannia purpura, Britannos ab Anglosaxonum tyrannide strenue defendisse; quod ex Gilda, Beda, & Adone docet Baronius. Sed id bonum admodum breve fuit. Ita & iisdem temporibus Sabinianus magnus Illyricanae militiae ductor, qui collapsam remp. restitutus videbatur, & iam Gothis terrori esse ceperat, ut qui cum antiquis reip. ducibus comparabatur, antequam cepti sui compos fieret, rebus humanis exemptus est A. V. 1232, Placido solo Cos. ut scripsit Marcellinus in Chronico. Natus fuerat Augustulus in Italia. Sed locus ignoratur.



HENRICUS III. NIGER. (a).



L O T I C H I U S.

Exsule pace feris HENRICUS Tertius armis
 Tres folio Papas cogit abire suo.
 Ante diem gelida præventus morte, sed ecce!
 Ad liquidas Rheni contumulatur aquas.

H O F M A N N U S.

Crine niger, patris (b) *successor*, *Pannonia* (c) *pulsum*
Restituit, *Roma* *pellere monstra* (d) *catus*.
Burgundos (e) *rexit fortis pepulitque Bohemos* (f),
Ostro usus mirâ relligione (g) *fuit* (h).

E N A R R A T I O.



Crinium (a) colore sic dictus, (b) qui eum 10. ante mensibus Imperatorem declaraverat, Burgundia illi attributa; post mortem ejus, successit. ann. C. 1039. quo ipso æmulos debellavit. (c) Petrum Hungarum, ob crudelitatem, a suis exturbatum ann. 1041. restituit, ann. 1044. Ungariamque Imperii feudum, & Albertum Bavarum primum Austriæ Marchionem fecit, eod. (d) Romæ, post Benedictum IX.

Bb

sacris

sacris nefandis deditum, schismate exorto trium Pontificum, omnibus tribus rejectis, creavit Clementem II. ann. 1046. & hoc defuncto Leonem IX. ann. 1049. postque hujus obitum Victorem II. ann. 1054. mox toxico, sacro calici infuso, petiit. (e) In Burgundiæ regnum magnificum exercuit imperium. (f) Bretislaum Bohemiæ Ducem, ad regium nomen deponendum, adegerat, ann. 1041. (g) Regalia insignia nunquam sumpsit, nisi prius durissimis verberibus a Presbytero suo Confess. afflicto esset, & manibus suis 33. argenti libras in pauperes expendisset. (h) A Vandalis tandem Lufatis magna clade affectus, ann. 1056. animi mœrore extinctus est, ann. *eod.* ætatis 41. Imp. 17. Naclerus *Vol. 2. Gener. 35.* Lamb. Schafnaburgensis *de Rebus Germ. Herm. Contractus Chron.* Otto Frising. *Chron. lib. 6. cap. 32. & seqq.* Baronius, Platina in *Pontificibus*, Alii. Eo imperante, Orientis Augusti fuere, Michael Paphlago, Zoe, Michael V. Calaphates, Constantinus IX. Monomachus & Theodora. Turcæ, a Mahumete in Persidem evocati, Togrulbecum Ducem eo occiso universæ Persiæ Regem fecerunt, ann. 1042. Zonaras *Annal. lib. 3.* In Africa Abul Texifius Marocci regnum condidit, ann. 1051. Leo Afric. *Descript. Africa lib. 2.* In Hispania, Ferdinandus I. *Imperatoris* titulum affectans, ab Henrico acriter perstrictus est, ann. 1055. Rodericus Tolet. *de Reb. Hispan. lib. 6.* In Anglia, Eduardus III. quem a Danis ejectum diximus, ann. 1017. jam revocatus, ann. 1043. Sivardo duce Scotos vicit, ann. 1054. Ingulphus *Histor. Angl.* In Polonia, Status regni Casimirum I. e cœnobio a Pontifice obtinere, *nummum S. Petro* in singula capita, *tonsuram Monachalem & stola sub tempus sacrorum gestamen* polliciti, ann. 1041. Mart. Cromerus *Histor. Polon. lib. 4.* Quod ad Ecclesiam, Berengarius multos in Gallia sectatores nactus est, sed & Lanfrancum Italum Episc. Cantuar. adversarium, ann. 1050. Græci Clericorum conjugia asseruere acriter, ann. 1054. At Flagellantes orti, auctore Petro Damiano, ann. 1056. & triplicem coronam primus sumpsit Damasus II. ann. 1048. quem Leo IX. præfatus excepit, Ciaconius *in eo.*

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

Imp. Henrici III. Parentes ad Conradum II. tr. Marian. Scot. Trithem. *Chron. Hirsang.* diximus. natus est 13. Septembr. an. 1012. *ad hos ann.* Epitaphium valde simplex si non fallunt calculi: nam obiit Butfeldæ illi scriptum est. Qui hunc Imp. nominant II. valde nugantur, cum Diplomata cum expleisset annos æt. 40. minus 22. diebus. ita plerique at. Chron. Augustens. *ad Henrici Tertii: & anno Domini Henrici Tertii;* Vide Hedæ *Hist. Ultr. in Bernulfo Ep. xx.* ibique Buchel. quem stylum publicum potius sequimur, quam Italarum, Cæterorumque Clero, aut Hierarchiæ Romanæ Imperatorum, ut volunt, creatrici nimis addictorum,

dictorum, qui nullos agnoscunt Imp. nisi a Papa coronatos & inunctos. Notanda est itaque servilis Baronii adulatio, cum in *Annal.* annos Imp. computat demum ab inauguratione Pontificia. *Henricus III.* in consortium Regni a Patre *Conrado II.* assumptus est an. 1025. *Chron. Austral. ad an. 1025.* at *Ursperg.* refert *ad an. 1026.* & notanter ait: *Chunradus Rex Filium suum Heinricum Regem fecit*; nulla Electionis facta mentione. *Otho Frising. VI. 31.* hoc refert ad annum 1030. Cum Uxore Romæ in templo S. Petri Vaticano coronatus est 25. Decembr. an. 1046. a *Clemente II.* Papa *l. l. VI. 33.* quem ex *Suidigero Bambergensi Episcopo Imperator 21. Decembr. 1046.* Papam fecerat ex auctoritate Cæsarea, *depositis canonica & Imperiali censura* ut loquitur *Sigeb. Gemblac. ad an. 1046.* tribus Antipapis, ut vitio creatis, & per Sutrinam ab Imp. indictam Synodum (de qua præter *Annales & Chronica* consule *Crantz. Saxon. IV. 41.* & *Chron. Bamberg. ad h. an.*) *Simonie aliorumque facinorum damnatis*, nempe *Benedicto IX. Sylvestro III. Gregorio VI. Uri Romæ Imperator* sancivit denuo vetus interdictum, Romanis jurejurando ad perpetuum obsequium adstrictis, de non creando Pontifice sine Imperatoris assensu. Audirationem ex *Platina in Clem. II.* nempe *Eo res devenerat, ut factiosissimus quisque, & viribus maxime pollens, corruptis suffragiis, nulla vel doctrinæ vel pietatis habita ratione ad fastigium dignitatis Ecclesiasticæ eveheretur.* Cur autem tres illi Antipapæ omnes rejecti sint, dicit *Leo Ostiens. Chron. Cassin. II. 102.* id factum, *facta discussione diligenti, cum nullus, prohdolor! inveniretur dignus, qui tantæ Ecclesiæ præesset.* Consule omnino *Spanhem. H. E. N. T. toto Sæc. XI.* *Henrico III.* Uxores fuerunt I. *Cunehildis*, (sic scribit *Diploma ap. Hedam l. l. p. m. 123.* Alii vocant *Cunigundam, Gunhildam, Ghimbildam, Cunelindim, Cunildam, Elifdrudam, Elsdrudam, Hittimillam*.) Canuti (Alii *Cynitonis, Gnuti, Knuti*.) Anglæ, Danicæ, Norvagicæ & Scoticæ Regis *F.* ducta Patre vivo & conciliante nuptias, *Ingelhemii* (forte quia Angla erat) regifico sumtu, an. 1036. quæ an. 1038. obiit, unica Filia relicta, teste *Wippone ad h. an. Annales & Chronica* in hujus *Cunehildis* ætate & morte valde variant: Cum ea *Cunehilde ineffabiles divitias* accepit, teste *Rad. de Diceto ad an. 1027.* qui plurimas fabulas de hoc Imp. addit *ad an. 1036.* ut & *Bromton. Chron. p. m. 933.* & 939. 940. *Knyghton de Eventib. Anglæ*

I. 6. Ille *p. 939.* Hic *l. l. p. I. 9.* iisdem pæne verbis satis accurate narrant bellum cum *Balduino Flandriæ Comite* gestum. II. Uxor fuit *Agnes*, *Wilhelmi Ducis Pictavorum F.* ex qua sustulit *Conradum* Bojorum regno destinatum, sed mortuum an. 1050. æt. 4. *Henricum (IV.)* deinde successorem: Filias *Sophiam*, primo *Solomoni Hungariæ R.* deinde *Vladislao Poloniz Duci* nuptam; *Mathildam*, nuptam *Rudolfo Rheinfeldensi, Duci Sueviæ; Itham*, *Leopoldo IV. Austriæ Marchioni* elocatam: ita *Keufner. l. l.* Sed forsitan nonnullæ ad *Henricum IV.* pertinent. Ab hoc Imp. *Leo IX. Beneventum* accepit, ea lege, ut *Bambergensis Ecclesiæ* tributum remitteret. *Leo Ost. l. l.* Hic *Leo IX.* fuit primus Pontificum, qui armis se tueri & bellum gerere ausus fuit: Vide *Ziegler. de Episcopo Milite in vet. Eccl. in viso. c. II.* De Normannis hoc ævo laceratos & *Henrico III.* turbas moventibus consule eruditam & accuratam Digressionem apud *Boxhorn. H. U. ad an. 1005. p. m. 584-612.* Quæ *Cl. Hofmannus* tradit „ de nunquam ante sumtis insignibus regalibus, quam egregie fuisset verberatus a „ Sacerdote a confessionibus, & manibus „ suis erogasset 33. libras argenti pauperibus, „: Ea aliter deprehendo apud *Engelhus. Chron. p. m. 197-201.* (ubi non una fabella conspurcatur historia *Cunehildis & Henrici III.* ex *Vincent. Spec. Hist. xxvi. 16.*) qui narrat, „ hunc Imp. dictum fuisse „ *Pium, & Nigrum cum barba*; eum nunquam sumsisse insignia Regalia, nisi licentia a Sacerdote obtenta per confessionem & poenitentiam, addita etiam Verberum satisfactione; (sed non semper:) „ Annonem vero Præsulem Coloniensem, „ cum quadam festivitate Illum supplex & poenitens adiisset *Henricus III.* vehementissime correptum a sæviente Annone & durissimis verberibus afflictum, nec ante „ cum licentia coronæ eo die festo gestandæ „ dimissum, quam pauperibus 33. libras argenti expendisset „. (Ergo tantum semel factum innuit.) Quæ fabella, in qua delicias facit *Engelhus. l. l.* & quasi *Ambrosios* ac *Theodosios* somniat, si vera est, admiror Imperatoris nimiam superstitionem, & Præsulis illius austeram rusticitatem: ac silentium de ea re apud æquales & maxime propinquos ejus ævi Historicos suspectam eam falsi fictique facit. ejusdem commatis puto fabellam, quæ nescio cui Clerico & Filiz Imperatoris Moniali affricat notum illud commentum de furtivis *Einhardi & Emmæ, Caroli M. F. amoribus.* Fabulam hanc præter cæteros distincte narrat *Beka Hist. Ultr. in Bernulfo Ep. xx.* Quod vero *Ba-*

ronius *ad h. ann.* Hunc Henricum III. faciat Auctorem *Hæreseos Henricianæ*, eo ipso ostendit, se lymphatum *Hæresi Hildebrandina*. Vide porro, præter laudatos, de rebus hujus Imp. Cellar. *Hist. med. ævi Sac. XI. in Eo*, Petav. *R. T. VIII. 17.* Brunner. *Ann. Boj. l. x. p. 188. & seqq.* (qui tamen Henrico III. paullo iniquior Censor est, propter assertum jus Imperatorium in creandis Pontificibus:) Cluver. *Epit. Hist. in Eo*, qui laudat Eum, *Majestatis Cæsareæ adversus ambitionem Pontificiam egregium ac pæne ultimum conservatorem*. Carion. *l. IV. Chron. in Eo*, qui laudat *Principem bonum & salutarem, Clementem erga devictos, hostibus formidabilem, qui postremus majestatem Imperii & jura, contra Pontificum artes ac molitiones & defenderit acriter, & conservavit feliciter*. Bert. *German. II. 5. num. 17.* qui ait, „propter Gifalam Matrem ex „Carolino sanguine oriundam, notatum, „dignitatem Imperialem restitutam sanguini Caroli M. fuisse illum comem, placidum, serenum, hilarem, ut Francicam simul & Germanicam originem in uno „mixtam in eo agnosceres, „Chron. Austral. *an. 1040-1057.* Lehman. *Chron. Spir. V. 21-24.* qui commendat Justitiæ studium in hoc Imp. addito exemplo ex Rad. Glabro *Hist. III. 2-4.* Ayentin. *l. V. p. 408-428.* ubi narrat „Henricum Franco-Galliæ „Regem, de Germaniæ conditione iniquius „proterviusque loquentem provocatum ad „pugnam singularem ab Henrico III. Sed „illum fuga sibi consuluisse, & detrectata „pugna sine gloria ad suos reversum, „deinde subjicit magnificum elogium: Henricus III. *omnes superiores Reges, Cæsares, Imperatores justitia atque industria superavit, & longo intervallo post se reli-*

quit. Merula *Tijt-Threex. ann. 1039-1057.* Sigon. *de R. I. l. VIII. in Eo.* Ursperg. *ad an. Henr. III.* Joh. Craws *p. 89. 90.* qui beneficentiam erga Pauperes in hoc Imp. (cum Aliis) laudat: Monach. Hamersleb. *Comp. p. 141. 142. 145. 146.* Adam. Brem. *II. 39. 54. III. 8. 9. 30-35.* Chron. Stederburg. *ad ann. 1037-1056.* Hepidann. *ad an. 1045-1062.* Concilia adde in *Tom. IX. & X. Magdeburg. Centur. XI. 9.* Cabassut. *Notit. Eccles. Sac. XI.* Item Diplomata, Foundationes, Monumenta Publica, Vitas SS. etff. Fatalem Danorum in Anglia periodum, & Africanorum Marochii & Fessæ Regum initia, accurate exponit Boxh. *l. l. 617-622.* Coronidis loco lubet addere *παλινωτατον* & Principibus observandum judicium Schurzfleischii, Viri eruditissimi, *Diff. IV. in Additam. p. 12.* Henricus III. obiit in flore ætatis, & conatu rerum maximarum: hinc caput omnium malorum, quæ Germaniæ faciem formamque deinceps, eo mortuo, mutarunt, & bellis factionibusque in Germania & Italia materiam præbuerunt. Quæ perniciēs & damna contracta ex Ottonum imprudentia atque erga Antistites indulgentia, neglecta occasione aditus & castella Latii sive Campaniæ Romanæ firmandi milite & præsidio; ommissa cura custodiendi urbes maritimas in Exarchatu & Piceno, maxime intempestiva liberalitate, donationibus & cessionibus tractuum & urbium, quæ Patrimonium Imperatoris constituunt: (nec Henricus III. hic extra culpam;) præterea non continuatarum trans Alpes expeditionum defectus, bellorumque civilium coortæ tempestates, inprimis Henrici IV. tempore, imminuta paulatim Impp. auctoritate, Germaniam afflixerunt.

FLAVIUS ZENO ISAURICUS.



NON BELLA TE CRUENTA, ET HOSTIUM INSULTUS,
SED VITA FOEDA, ET PESSIMÆ VOLUPTATES
TE PERDIDERE, CÆSAR. HINC OBIS VIVUS
DIEM IN SEPULCRO SENTIENSQUE SUPREMUM.

E N A R R A T I O.

ZENO sic dictus est, quia ex Isauris Ciliciæ humilibus parentibus natus, & ex obscura & incognita villa oriundus fuit. Erat homo corpore simul & animo fœdissimus. Namque corpore erat Parti similis, facie hirsuta, pedibus pilosis, statura inconcinna, moribus deformis, expers omnis doctrinæ & earum artium, quæ in Imperatore requiruntur: ut quibus Imperia vel secure retinentur, vel tuto administrantur. Uxorem habuit Ariadnam, Leonis M. Imperatoris filiam. Primo consortium Imperii accepit a filio suo Leone II. A. C. 474. Filio vero mortuo, qui brevi tempore in Imperio vixit, solus regnavit. In rerum publicarum administratione statim repertus est Tyranno quam Principi similior. Nam multos illustres viros occidit, & neglectis Imperii curis turpissimis voluptatibus se dedit. In aula ejus potentissimus fuit Sebastianus quidam, qui Imperatorem, quo volebat, impellebat, nec quidquam in aula confici sinebat sine pretio & mercede. Magistratus enim omnes vendebat, pretio partim sibi reservato, partim Imperatori communicato. Quod si quis superveniret, qui paululum quiddam pacto

B b 3 *

ronius *ad h. ann.* Hunc Henricum III. faciat Auctorem *Hæreseos Henricianæ*, eo ipso ostendit, se lymphatum *Hæresi Hildebrandina*. Vide porro, præter laudatos, de rebus hujus Imp. Cellar. *Hist. med. ævi Sæc. XI. in Eo*, Petav. *R. T. VIII. 17.* Brunner. *Ann. Boj. l. x. p. 188. & seqq.* (qui tamen Henrico III. paullo iniquior Cenfor est, propter assertum jus Imperatorium in creandis Pontificibus:) Cluver. *Epit. Hist. in Eo*, qui laudat Eum, *Majestatis Cæsareæ adversus ambitionem Pontificiam egregium ac pæne ultimum conservatorem*. Carion. *l. IV. Chron. in Eo*, qui laudat *Principem bonum & salutarem, Clementem erga devictos, hostibus formidabilem, qui postremus majestatem Imperii & jura, contra Pontificum artes ac molitiones & defenderit acriter, & conservavit feliciter*. Bert. *German. II. 5. num. 17.* qui ait, „propter Gifalam Matrem ex „Carolino sanguine oriundam, notatum, „dignitatem Imperialem restitutam sanguini Caroli M. fuisse illum comem, placidum, serenum, hilarem, ut Francicam simul & Germanicam originem in uno „mixtam in eo agnosceres, „Chron. Austral. *an. 1040-1057.* Lehman. *Chron. Spir. V. 21-24.* qui commendat Justitiæ studium in hoc Imp. addito exemplo ex Rad. Glabro *Hist. III. 2-4.* Ayentin. *l. V. p. 408-428.* ubi narrat „Henricum Franco-Galliæ „Regem, de Germaniæ conditione iniquius „proterviusque loquentem provocatum ad „pugnam singularem ab Henrico III. Sed „illum fuga sibi consuluisse, & detrectata „pugna sine gloria ad suos reversum „: deinde subjicit magnificum elogium: Henricus III. *omnes superiores Reges, Cæsares, Imperatores justitia atque industria superavit, & longo intervallo post se reli-*

quit. Merula *Tijt-Threex. ann. 1039-1057.* Sigon. *de R. I. l. VIII. in Eo.* Ursperg. *ad an. Henr. III.* Joh. Craws *p. 89. 90.* qui beneficentiam erga Pauperes in hoc Imp. (cum Aliis) laudat: Monach. Hamersleb. *Comp. p. 141. 142. 145. 146.* Adam. Brem. *II. 39. 54. III. 8. 9. 30-35.* Chron. Stederburg. *ad ann. 1037-1056.* Hepidann. *ad an. 1045-1062.* Concilia adde in *Tom. IX. & x. Magdeburg. Centur. XI. 9.* Cabassut. *Notit. Eccles. Sæc. XI.* Item Diplomata, Foundationes, Monumenta Publica, Vitas SS. etff. Fatalem Danorum in Anglia periodum, & Africanorum Marochii & Fessæ Regum initia, accurate exponit Boxh. *l. l. 617-622.* Coronidis loco lubet addere *παλιχωτατον* & Principibus observandum judicium Schurzfleischii, Viri eruditissimi, *Diff. IV. in Additam. p. 12.* Henricus III. obiit in flore ætatis, & conatu rerum maximarum: hinc caput omnium malorum, quæ Germaniæ faciem formamque deinceps, eo mortuo, mutarunt, & bellis factionibusque in Germania & Italia materiam præbuerunt. Quæ pernicies & damna contracta ex Ottonum imprudentia atque erga Antistites indulgentia, neglecta occasione aditus & castella Latii sive Campaniæ Romanæ firmandi milite & præsidio; ommissa cura custodiendi urbes maritimas in Exarchatu & Piceno, maxime intempestiva liberalitate, donationibus & cessionibus tractuum & urbium, quæ Patrimonium Imperatoris constituunt: (nec Henricus III. hic extra culpam;) præterea non continuatarum trans Alpes expeditionum defectus, bellorumque civilium coortæ tempestates, inprimis Henrici IV. tempore, imminuta paulatim Imp. auctoritate, Germaniam afflixerunt.

FLAVIUS ZENO ISAURICUS.



NON BELLA TE CRUENTA, ET HOSTIUM INSULTUS,
SED VITA FOEDA, ET PESSIMÆ VOLUPTATES
TE PERDIDERE, CÆSAR. HINC OBIS VIVUS
DIEM IN SEPULCRO SENTIENSQUE SUPREMUM.


E N A R R A T I O.

ZENO sic dictus est, quia ex Isauris Ciliciæ humilibus parentibus natus, & ex obscura & incognita villa oriundus fuit. Erat homo corpore simul & animo fœdissimus. Namque corpore erat Pani similis, facie hirsuta, pedibus pilosis, statura inconcinna, moribus deformis, expers omnis doctrinæ & earum artium, quæ in Imperatore requiruntur: ut quibus Imperia vel secure retinentur, vel tuto administrantur. Uxorem habuit Ariadnam, Leonis M. Imperatoris filiam. Primo consortium Imperii accepit a filio suo Leone II. A. C. 474. Filio vero mortuo, qui brevi tempore in Imperio vixit, solus regnavit. In rerum publicarum administratione statim repertus est Tyranno quam Principi similior. Nam multos illustres viros occidit, & neglectis Imperii curis turpissimis voluptatibus se dedit. In aula ejus potentissimus fuit Sebastianus quidam, qui Imperatorem, quo volebat, impellebat, nec quidquam in aula confici sinebat sine pretio & mercede. Magistratus enim omnes vendebat, pretio partim sibi reservato, partim Imperatori communicato. Quod si quis superveniret, qui paululum quiddam pacto

B b 3 *

pretio

pretio adjiceret, is priori anteferebatur. In toto denique palatio nihil fuit rerum omnium, quod venale non esset. Interim Zeno plerumque Chalcedone commorabatur. Unde Verina Augusta, Socrus ejus, occasionem nacta, altero Zenonis Imperii anno, fratrem suum Basiliscum incitavit, ut bellum Zenoni inferret. Ille, sororis suæ consilium secutus, e Thracia, ubi vitam degebat, e Senatu quibusdam graviter adjutantibus, bellum adversus Zenonem movit. Quo audito Zeno, homo timidus & effeminatus, qui nihil virile tentare audebat, cum uxore Ariadna ad I-sauros populares suos confugit. Ergo Basiliscus fuga illius lætatus, in urbem profectus, & in campo Imperator salutatus est. Quamobrem & uxorem suam Zenonidem corona Augustali ornavit, & Marcum filium Cæsarem appellavit. Hic autem moribus fuit nihilo melioribus Zenone, deque religione perperam sensit, ab uxore in Eutychis & Dioscori sectam impulsus, & orthodoxorum ecclesias multis malis affecit. Chalcedonense Concilium edicto tyrannico abrogavit, & Acacium Patriarcham, ut sanctionem suam, habito Concilio, comprobaret, cogere voluit. Sed urbana multitudo orthodoxorum in Ecclesia congressa, Basiliscum maledictis infectata est, & Chalcedonense Concilium sanctum appellavit. Cum igitur Senatu & populo invisus esset Basiliscus, Duces ab eo contra Zenonem cum exercitu missi, hortatu Senatus, ex hostibus amici Zenonis facti, eum Constantinopolin secum reduxerunt, cum menses viginti exulasset. Senatus populusque eum magno studio recepit. Basiliscus autem post cladem acceptam in templum confugit: unde ab Acacio Præfule ejectus, in Castellum quoddam Cappadociæ missus est, ubi cum uxore hiberno tempore fame & frigore interiit. Exinde Zeno socrum Verinam in exilium mittit. Remotis adversariis ad rerum obeundarum curam redit, præcipue ecclesiasticarum. Sed varius fuit in probandis & improbandis Christianæ Religionis dogmatibus, de quo consuli possunt eorum temporum scriptores. Infelix certe in vitæ exitu. Nam sunt qui tradunt virum ab uxore sepulcro inclusum, & frustra ope implorata diem ibi obiisse supremum. Imperavit annos septemdecim, majore cum hominum odio quam laude.



H E N R I C U S I V . .



L O T I C H I U S .

Pontificem cathedra deturbat *Quartus* ab alta
 HENRICUS , Patribus par bonitate suis.
 Pontificis tandem scelerata fraude petitus
 A Nato regnis pellitur ipse suis.

H O F M A N N U S .

*Sexennis patrem excepi (a), diademate cinctus
 Jam prius (b), & gessi hoc non male lustra decem (c).
 Bello (d) acer, Romam (e) cepi, pepulique rebelles (f),
 Infesta at soboles (g) Pontificesque (h) nimis (i).*

E N A R R A T I O .



Nno (a) C. 1056. (b) Biennio jam ante Tribuatiz Rex designatus & coronatus est. (c) Annis 50. inter varias fortunæ vices summum Occidentis apicem tenuit, quo temporis tractu Michaël VI. Stratioticus, Isaacius I. Comnenus, Constantinus X. Ducas, Romanus IV. Diogenes, Michaël VII. Ducas, Nicephorus III. Boton. & Alexius I. Comnenus Græcorum Augusti fuere : utroque Imperio hinc a Pontificibus, isthinc a Turcis mire labefactato. (d) A Sacerdotibus educatus quamvis, bello tamen inclaruit, contra Vandalos Lusatos, quos subegit, ann. 1068. & Saxones, quos, postquam semel in deditionem venerant, rebellantes vicit, ann. 1075. Inde ab his accusatus apud Gregorium VII. anathemate

thematē ab eo notatus est, ann. sequente. Cui supplex Canusii Imperator, regio cultu deposito, intra secundum murorum ambitum, nudipes, sæviente licet hyeme ac jejunos triduum integrum, ad vesperam usque, responsum præstolatus, tandem *forfices & scopas manugerens* admissus ac durissimis conditionibus absolutus est. Quo tamen rigore non contentus Papa, Rudolfo Sueviæ Duci diadema misit, cum inscriptione,

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

ann. 1077. Unde ingentia bella, donec tribus præliis fractus Rudolphus, in quarto dextram cum vita, perfidia sua fero nimis agnita, amisit, ann. 1080 (e) Hoc amoto, Imperator, ad comprimendum civilis incendii fomitem, in Italiam profectus, Leoninam cepit, ubi percussor in Henricum a Papa subornatus cum saxo, quod in ipsum orantem moliebatur, decedit in pavementum. Quare deserto a Romanis & Episcopis Italiæ Hildebrando (id prius Gregorio nomen) & ad Normannos profugo, Imperator urbem ingressus, in ejus locum Clementem III. substituit, & ab eo Augustalia insignia accepit. (f) Reversus in Germaniam, vicit ingenti prælio Hermannum Lotharingum, Imperii invasorem, ann. 1081. cum Saxonibus, qui ipsi adhæserant, ann. C. 1086. & Egberto Saxone consanguineo suo, qui illos iterum ad rebellionem incenderat, ann. 1088. (g) Alpes post hæc de novo transgressus, dum Papam Urbanum II. vehementer affligit, hic Conradum filium, quem Imperator Italiæ præfecerat, contra patrem per Mathildem concitat, ann. 1093. quo præcipiti fato sublato, Paschalis II. alterum filium Henricum Imperatori opponit, a quo pater Imperio scelerate, inter voces querentis, *Miseremini mei vos saltem amici mei, quia manus Domini tetigit me*, exutus, Leodii, quo confugerat, ex animi mœrore obiit, ann. 1106. Imp. 50. Princeps fortissimus, *misericiordiæ in supplices & placabilitatis in inimicos egregium exemplar*. (h) Vid. modo dicta, adde Imperatorium corpus quinque annis ab eodem Papa sepultura prohibitum, Auctor *Vita Henrici IV.* & ibid. Henrici IV. *Epist. Apolog.* Waltramus *Apologia ejusd.* Lambertus Schafnab. *ad ann.* 1056. & *seqq.* Bruno *de Bello Saxon.* Bertoldus *Appendice ad Hermannum Contr.* Otto Frising. Gotfrid. Viterb. Nauclerus, Aventinus, Leo Ostiensis, Alii. (i) Ejus tempore quinam Orienti præfuerint, diximus. In Palæstinam, Godofredus Bullionæus, qui Lotharingiæ Dux ab Imperatore creatus est, ann. 1089. cum 700 mill. contra Saracenos profectus, ann. 1096. Hierosolymam cepit, ann. 1099. atque ibi Rex creatus, *eod.* successorem habuit Balduinum I. fratrem, Edessæ Principem, anno 1100. qui Ptolemaida occupavit, ann. 1104. Turci vero Turcomanniæ regnum erexerunt, versus Pontum, circa ann. C. 1080. duce Cutlumise, qui Græcorum ditiones sui juris fecit. In Francia, decretum est *Bellum sacrum* Claromonte, sub Philippo I. Henrici filio, *ressera* ab Urbano Pontif.: *Deus vult*, data, ann. 1090. Paul. Æmylius *lib.* 4. In Hispania, Alphonsus VI. Toleti, quod Saracenis eripuerat, sedem fixit ann. 1080. Mariana *de rebus Hispan.* In Anglia, post Eduardum III. Haraldus, Godwini ex sorore Canuti fil. factus Rex, Wilhelmum Normanniæ ducem cognom. *Conquestorem*, hæredem scriptum, adversarium expertus, & ab eo cruentissimo prælio victus ac interemptus strommati Canticio, postquam 546. annis regnasset, finem imposuit, sicque in Anglia Dynastiam VI. Normannicam Wilhelmus orsus est, qui nocte victoriam sequuta voces has: *Vicisti Wilhelme, regnabis tu & qui a te creati sunt*, per quietem audire sibi visus est, ann. 1067. Polydorus *Hist. Ang. lib.* 8. & 9. Eum excepit fil. Wilhelmus II. Rufus ann. 1087. quem frater Henricus II. ann. 1100. Wilhelmus Malmesbur. *de Gestis Regg. Anglor. lib.* 5. In Polonia Boleslaus II. Audax, Russiam vestigalem fecit, ann. 1063. 1074. ejus frater Vladislaus Hermannus, bello civili conflato, *Princeps Poloniae* factus est, ann. 1082. Bohemiæ Dux Vratislavus, qui & Moravorum, Silesiorum ac Lusatorum Princeps, in Principum conventu Moguntia ab Henrico Imp. *Regis* axioma obtinuit ann. 1086. Æneas Sylvius *Hist. Bohem.* In Ecclesia, Berengarius damnatur a Nicolao II. Papa, ann. C. 1059. qui Cardinalibus *electiones Pontificum* attribuit, *eod.* Successor Alexander II. cui Imperator opposuit Honorium II. ann. 1061. & Gregorius VII. edixere, *ne Laicus investituram Ecclesiasticis conferret*, ann. 1074. quorum hic *Dictatus* edidit, & potentiam Papalem ad culmen perduxit, *Orbis totius Caput* se vocans, at Bennoni Cardia. *homicida, adulter, necromanticus* &c. in *Vita ejus*. Post eum Urbanus II. præfuit, cujus successor Paschalis II. diadema capiti imposuit & purpura amictus, ex aurea Zona 12. claves ac 7. sigilla pendentia gessit, potestatis suæ insignia, ann. 1102. Platina in *Vitis*, alii que. Cœlibatū Gregorius VII. vehementer promovit, Guidone Archiepisc. Mediolanensi frustra renitente, ann. C. 1062. Ordo Carthusian. ann. 1086. & Cisterciensis, *Officium Mariæ*, ac *Globuli oratorii* instituti, auctore Petro Eremita, belli sacri rubra, ann. 1095. Baronius *adh. ann.* S. Joannis Baptistæ Ordinem dein Petrus Abbas Cavenensis inchoavit, 1103. At Livonia circa ea tempora ad fidem perducta, Jonston. quod alii ferius factum volunt, ut videbimus.

H E N R I C U S V.




L O T I C H I U S.

Pontificem injustis qui juverat improbus armis,
 Intendens proprio bella nefanda Patri:
 HENRICUS *Quintus* Papæ mox istius astus
 Sensit, & hæc digna est munere poena suo.

H O F M A N N U S.

*Impius in patrem, (a), minus haud tamen acer in hostes
 Pontifices (b), juris quos dedit esse sui (c).
 Non tenuit (d) sub jure tamen, pertasus iisdem,
 Quin tandem cessit (e) qua petiere nimis (f).*

E N A R R A T I O.



Uem (a) a Paschali II. incitatus deposuit, uti diximus, ann. C. 1106. etiam post obitum in illius amicos sævus. (b) Post Brabantie Ducatum constitutum, ann. 1107. & cladem ingentem acceptam a Boleslao III. Crivousto Polonie Rege, ann. 1109. in Italiam movit, atque jura Imperii asserturus, (c) *Investituram* Paschali II. Roma occupata, extorsit, & ab eo, Eucharistia porrecta, fidem pollicito, coronatus est, ann. 1111. (d) Sed mox, Papa pactionem irritam habens, Henricum jam in Germaniam reversum, anathemate feriit, anno 1112. qui proin in Italiam

Italiam regressus Gelasio, tum novo Papæ, in Galliam profugo, alium opprobuit, Gregorium VIII. (e) Tandem vero, a Saxonibus contra se excitationis superatus barbarumque perturbatus, *Investiendi Clericos jure* cessit Calixto II. diplomate propria manu scripto aureoque sigillo obsignato, quo, auctoritate Cæsarea imminuta, res Pontificia maximopere crevit, ann. 1122. (f) Obiit improlis Trajecti, ann. C. 1125. Imp. 19. cui & Majoribus jucunda cujusdam Poetæ ruditas Spiræ epicedion, diversis tumbis applicatum, hoc condidit:

Filius hic, pater hic, avus hic, proavus jacet isthic.

Sigebertus *ad ann. 1106. & seqq.* Gotfrid. Viterb. *Chron.* Conradus Abbas Ursperg. *Chron.* Platina *Vitis Pontif.* Dodechinus *Append. ad Marian. Scoti Chron.* Naucerus, Aventinus, Alii. Orienti tum præfuere Alexius I. Comnenus, & filius ejus Joannes II. Pulcher. In Palæstina, Balduinus I. Tripolim ann. 1109. Berytum 1110. & Sidonem occupavit, anno 1111. Balduinus II. consobrinus ejus captus a Saracenis postmodum eos tanta clade affecit, ut ex prædalytrum suum conficeret, ann. 1125. Paul. Æmylius *lib. 5.* In Anglia, Henricus I. a Ludovico VI. Crasso Gall. Reg. victus, ann. 1111. hujusque victor, ann. 1116. liberos naufragio amisit, ann. 1120. Polydorus *Hist. lib. 10. & 11.* In Hispania, Alphonsus Aragon. Rex, cum Urraca Alphonsi VI. filia, Castellæ & Legionis regna accepit, ann. 1109. ultimum Maurorum Regem occidit, Cæsaraugustamque expugnavit, ann. 1118. Rodericus Tolet. *de Rebus Hispan lib. 6. & 7.* Quantum ad *Ecclesiam*, Pomerania & Cassubia, a Boleslao Polono, ad fidem adacta, ann. 1120. & Berengarii sententia a plurimis, in Hibernia imprimis, adoptata est. Fluentius Præsul, *Antichristum jam natum*, asseruit, contra quem Synodus Florentiæ habita, ann. 1110. Romæque Arnulphus Concionator, in errores & vitia Cleri investus libere, connivente Honorio II. occisus est, ann. C. 1125. cujus antecessor Calixtus II. *Celibatum Clericorum* sanxit, Concilio Remensi, ann. 1119. Platina *in Vitis.* Porro, Equitum Templariorum Ordo institutus, ann. 1118. Guilielmus Tyr. *de Bello Sacro lib. 12. cap. 7.* & Præmonstratensium, auctore Norberto, ann. 1120. Hugo *Vita Norberti*, apud Surium. Ex Cisterciensium quoque Ordine Bernhardinorum pullulavit, circa ann. 1112. Vid. *Vitam Bernardi lib. 5. cap. ult.* Sed & ex testamento Mathildis, Tusciæ Duc. Bonifacii filiæ, Papa Tusciam & Lombardiam nactus est, ann. 1115. Leo Ostiensis *Chronico Casin. lib. 3. cap. 48.*

Additamenta H E N R. C H R. H E N N I N I.

Henricus V. ultimus fuit ex Salica Gente; atque Orbitate, bellorum turbis, Pontificiis vexationibus punitus sensit Deum majestatis Paternæ impie neglectæ ultorem. ut *Henricus IV. Senioris*, ita ipse *Junioris* cognomen tulit, maxime apud Italos. Sigonius *de R. I. l. X.* in Ejus rebus valde accuratus est, sed factioni Pontificiæ ubique addictus, adeoque cum judicio legendus. adde super hoc Imp. fontes, sæpius in *Henricorum Imp.* Historia ab Hofmanno & nobis indicatos. Extra Ejus Ultrajecti in Basilica S. Martini juxta extra *Conradi II.* Proavi condita sunt. Beka & Heda, in *Hist. Ultr. in Godeboldo Ep. XXIIV.* ibique Buchelius, quæ omnino legi merentur, vel propter Diplomata addita. Versui isti epitaphio addendus est omissus alter: *Hic Proavi Conjux, hic Henrici Senioris.* (i. e. Henricus V, IV. III. Conradus II. Gisela, hujus Uxor; & Bertha, Henrici IV. Uxor: Ursperg. *in excursu post an. 1124.*) De Expeditionibus in Terram Sanctam sive *Passagiis*, ut vocabantur, subtilissimo Paparum stratagemate (ut ab Imp.

non impediti possent Hierarchiam profanam confirmare:) mandatis, & maxime Sæculo XI. ac XII. institutis, vide Auctores æquales ei ævo conjunctim editos *Hanov. 1611.* sub titulo *Gestorum Dei per Francos.* Vide & Bœcleri *Annotationem Historicam de Passagiis.* Mathidis sive Donatio, sive Testamentum suspecta sunt falsi. Audi Baron. *ad an. 1077. num. 24. Machtilda Comitissa Henrici (IV.) Imperatoris exercitum timens, Liguriam & Tusciam provincias Gregorio Papa & S. R. E. obtulit, unde imprimis causa seminandi inter Pontificem & Imp. odii initium fuit. Ejusdem Donationis autographum cum perierit, alio eam scripto legimus renovatam.* Audi Henricum IV. in Epistola ad Hildebrandum ap. Brunon. *Hist. bell. Sax. p. m. 122.* Regnum Italia pessimis artibus alienare tentasti. Audi Ursperg. *ad an. 1115.* Directi ab Italia nuncios obitum illius inclusa Machtildis nuntiant, ad ejusque prediorum terras amplissimas hereditario jure possidendas Casarem (Henricum V.) invitant. XCVII.

LOTHARIUS (a) II. SAXO (b).



LOTICHIUS.

Saxo gravi præstans virtute LOTHARIUS *Alter*,
 Ingenioque domi, militiaque foris.
 Marte potente ferox, docta sed mitis in arte
 Claruit exemplo, *Carole Magne*, tuo.

HOFMANNUS.

Æmula Contradi (c) retudit feliciter arma,
Jura Papam at poscens perdita (d) frustra fuit.
In Calabros Apulosque (e) acer, Germania leges (f)
Ut servet Latias suscipiatque, jubet (g).

ENARRATIO.



Um (a) Henrico V. *memori in oppressorem patris ira Numinis*,
 nulla proles esset, diversi Germaniæ Principes diversis stu-
 diis rerum summæ destinati sunt, equibus Lotharius Ger-
 hardi, qui Saxonico bello occubuerat, filius, renitens, ut
 ajunt, hortatu Alberti Moguntini & Oratoris Pontificii,
 suscepit dignitatem, ann. C. 1125. (b) Suevis licet, Au-
 striacis, Flandris Danisque Principem offerentibus, vicere vota Saxonum,
 ius Imperii ad suam gentem retrahentium. (c) Itaque Imperator Lotha-
 rius

rius lectus, æmulum Conradum Francorum Orientalium Ducem, per Henricum Superbum Baviaræ Ducem, generum suum, ad obsequium reduxit, qui exinde primam inter Principes sedem honoris ergo habuit *eod.* At clade a Sobieslao Bohemo, quod regnum ejus Ottoni Moravo tradere niteretur, affectus, ann. 1126. (d) Ab Innocentio II. jura Imperii, Henrico V. Imp. erepta, repetiturum D. Bernhardus, *iniquum esse quod peteret*, monuit: cui cedens Imperator Innocentium contra Anacletum tuitus & ab illo coronatus est; sed malam inde gratiam retulit, ann. 1133. Post Saxoniam dein Bava-ro donatam, ann. 1134. (e) Rogerium, ab Honorio Apuliæ, Calabriae & Siciliae Ducem, ab Anacleto II. Antipapa, *Regem* creatum, Apulia exiit, eamque Reginaldo cuidam, homini Germano, subjecit, ann. seqq. (f) Leges Romanas restituit, studiumque earum insigniter excitavit. Pisanis, ob præstitam in bello contra Rogerium operam, præter Pandectarum volumen a Justiniano conditum priscisque admodum literis exaratum, quod inter rudera repertum erat, nihil petentibus, donavit, *eod.* (g) In reditu per Tridentinos saltus, sub vilissima casa obiit, ann. C. 1138. Imp. 13. maximis rebus in Italia gestis clarus, præterea tam religiosus, ut *Sacerdotes honoraret ut patres, pauperes foveret ut filios, viduas ut matres: essetque cæcorum baculus, esurientium cibus, miserorum spes, lugentium consolatio*, Sigonius *lib. 11.* Vide quoque Ottonem Frising. *Chron. lib. 7. cap. 17. & seqq.* Aventinum *Annal. Bojor. lib. 6.* Rob. de Monte *Appendice ad Sigeberti Chron. Sabellicum Enneade 9. lib. 4.* Alios. Eo imperante, Calojohannes seu Joannes II. Pulcher Orientem adhuc rexit, Argonautis Occidentis parum æquus. In Palæstina, Fulco excepit socerum Balduinum II. ann. 1131. qui Cæsaream Philippi occupavit, ann. 1135. Guil. Tyrius *lib. 14.* In Hispania Alphonfus VII. Castellæ Rex, jussu Papæ Imperator est proclamatus, ann. *eod.* Mariana *de Rebus Hispan. lib. 10. cap. 16.* In Portugallia Henrici Comitis fil. Alphonfus Rex coronatus, quinque Reges Maurorum vicit, ann. 1139. unde regno & insignibus Portugalliæ initium, Roderic. Tolet. *de Rebus Hispan. lib. 7. cap. 6.* In Gallia post fratrem Philippum regnavit Ludovicus VII. Crassi filius. In Anglia successit Henrico I. Stephanus Com. Blefensis, ex sorore nepos, ann. 1135. sed ab Henrici filia Mathilde victus, captus, hacque iterum lege ad regnum dimissus est, ut ipse defunctus Mathildis filium successorem haberet, ann. 1140. Henric. Huntingdon. *Histor. Angl. lib. 8.* In Scotia David I. effusis in Episcopatus proventibus, ad inopiam se ipsum redegit, ann. 1138. *ibid.* In Polonia, Boleslaus III. postquam quadragies septies victor certasset, Palatini cujusdam vecordia, a Jaropelco Russorum Duce victus est, ann. 1138. Mart. Cromerus *de Rebus Polon. lib. 5.* Wandalorum vero Regem, Canutum, Ducem Slesvic. creavit Imperator, ann. 1130. ejusque opera in Dania, Suecia, Norvegia, Gronlandia & Islandia, Episcopos instituit, circa ann. 1133. quo pacto *Ecclesiam* non parum auxit. At Romæ, Honorio II. mortuo, Schisma fuit, inter Innocentium II. & Anacletum II. ut diximus: ac Theologia Scholastica a Monachis introducta est, circa eadem tempora.

CONRADUS (a) III.



LOTICHIUS.

Regia CONRADUS Bavaro diademata *Suevus*
 Devicto accepit fortis in arma manu.
 Victor apud Solymam referens super hoste triumphum,
 Vincitur a Græca prodicione fide.

HOFMANNUS.

Suevus (b) eram, contra surgentem Marte Superbum (c)
 Proscripsi, Guelfo (d) parcere suavit amor.
 Arma Palestina (e) post hac dum inferre parabam,
 Perfida se opposuit purpura Græca (f) mihi (g).

ENARRATIO.



Henrici (a) V. sorore genitus, (b) jam pridem a factione sua Rex creatus, sed Lothario Imp. reconciliatus, nunc eodefuncto, a maxima parte Principum Confluentiae, Imperator renuntiatus est, ann. C. 1138. (c) Henricum Superbum, qui a focero insignia acceperat, Imperio inhiantem, proscripsit, & Alberto Urso Marchioni Brandenburg. consobrino ejus, Saxoniam, Noricum vero Leopoldo Austriaco, fratri suo uterino, dedit: unde ingens bellum, ann. 1138. (d) Post mœrore extinctum Henricum, frater ejus Guelpho bellum continuavit, sed acie victus & Winsbergæ inclusus, mulierum *maritos humeris suis exportantium* arte & fide, Imperatori reconciliatus est, ann. 1140. Ea in obsidio-

ne primum invisa *Guelforum* & *Gibellinorum* nomina audita sunt, hostibus Cæsaris se a duce suo *Guelfos*, & Cæsarianis a Veiblinga, loco natali ejus, *Gibellinos* denominantibus. (e) Junctus dein Ludovico Francorum Regi in Palæstinam movit cum 200. mill. ann. 1147. (f) sed ob perfidiam Manuelis Comneni Græcorum Imp. qui, ne frumentariæ prospiceretur rei, auctor fuit, infelicit. (g) Post annum itaque quartum inde reversus, dum in Italiam expeditionem parat, contra Rogerium Siculum, qui Papam, ut se Apuliæ, Calabriæ & Siciliæ Regem crearet, compulerat, obiit, non sine suspitione veneni a Rogério summissi, ann. C. 1152. Imp. 14. Dicasterio Rotwilenfi instituto, ann. 1146. inter alia, inclutus. Otto Frising. Imperatoris frater uterinus, *Chron. lib. 7. cap. 22. & seqq.* Dodechinus Presbyter eidem coævus *Appendice ad Marian. Scoti Chron. Trithemius Chron. Hirsang.* Nauclerus, Aventinus, Sigonius de *Regno Ital. lib. 11.* Joh. Cuspinianus *Conrado III.* Alii. Orientem tum rexere, Joannes II. adhuc & Manuel I. Comnenus. In Palæstina, Fulco Rex leporem insectatus equi casu interiit, successore filio Balduino III. In Africa Abdelmon seu Abdul-Mumen, ex Ludimagistro Pontifex ac Imperator creatus, Almohadi vati junctus, Fessæ regnum rapuit, ann. 1140. 1150. Leo Afric. *Descript. Afric. lib. 2.* In Italia, præter motus a Rogério excitatos, complures inter se urbes Principesque discedere, circa ann. 1150. Franciæ adhuc præfuit Ludovicus VII. supra memoratus, cujus uxorem Leonoram cum a marito dimissam sibi junxisset Henricus Andegav. exitialis inter Gallos & Anglos dissidii fundamenta jacta sunt, ann. 1150. In Brabantia, duce Godfrido infante, superati sunt triduo prælio Grimbergenfes, ann. 1144. Divæ *Rer. Brabantic. lib. 9.* Quod ad *Ecclesiam*, Hildegardis Monialis magnam Religionis mutationem prædixit, ann. 1140. 1150. & ultra: & sane jam tum a Romana communione non pauci secesserunt; post Petrum Bruis, qui jam ab anno 1126. per 20. annos Tholosæ puriora dogmata professus fuerat, Henricus Monachus errores Ecclesiæ Rom. tanto fervore & successu impugnavit in eodem regno, ut *Basilicæ sine plebibus, plebes sine Sacerdotibus essent*, Bernhardus *Serm. 66. in Cantic.* accedentibus ad partes ejus Episcopis nonnullis, & Hildefonso S. Ægidii ac Tholosanorum Com. circa ann. 1147. Vid. Sigonium *lib. 11. adh. ann.* & Bernardum in *Cantic. Serm. 80.* ubi, plebis a Monachis irritatæ in eos sævitiam improbens, *fides*, ait, *suadenda, non imponenda est.* Petrus Waldus mox sequutus ann. 1152. de quo infra. Arnoldus Brixienfis similiter in Italia Pontificibus non grata cecinit, damnatus ab Innocentio II. ann. 1139. 1140. Sed & literæ lacertos movere cœperunt, atque in Hispania Averroes & Avicenna Philosophiæ & Medicinæ studia illustrarunt, Bononiæ Jus Irnerius Bulgarus, alique docuere. At Gratianus Monachus, Decreta Pontificia collegit, quæ approbans Eugenius III. *Jus Canonicum* condidit, ann. 1151. Henricus Gandav. *de Viris illustr. cap. 49.* Forster. *Histor. Juris lib. 3. cap. 7.* Alii. Romæ, schismate adhuc durante, Innocentius damnavit Anacletum II. anno 1139. ipse, cum a Romanis, Arnoldi imprimis auctoritate motis, in ordinem redigendus esset, mœrore extinctus, ann. 1143. successore Cælestino II. quem sequutus Lucius II. dum, rem in herba oppressurus, Senatores in Capitolio obsidet, lapide percussus obiit, ann. 1144. cui substitutus Eugenius III. Bernhardi discipulus, quem hic in Galliam profugum ibi residere voluit, *Ecclesiam, Roma etiam pereunte, in Gallia firmam fore*, dictitans. Vid. Sigonium *lib. 11. ad ann. 45. 46. 47.* florebat enim tum maxime Bernhardus hic, Abbas Claravall. Monasteriorum 160. auctor. Circa eadem vero tempora Petrus Abelardus Theologus Scholasticus Pelagii opiniones revocabat, a Bernhardo refutatus, & ab Innocentio damnatus ann. 1140. Gilbertus quoque Præsul Pictav. novas de SS. Trinitate quæstiones movebat. Quâ absurditate superavit Eum Brito, qui se Christum finxerat, quod in exorcismis diceretur, *per Eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos.* Sigonius *ibid. ad ann. 48.*

FRIDERICUS (a) I. BARBAROSSA (b).



L O T I C H I U S.

Maxima Germanæ FRIDERICUS gloria gentis,
 Oscula si Papæ nulla dedisset, erat:
 Laus *Aenobarbi* nihilominus illius ingens,
 Fama super nubes & super astra volat.

H O F M A N N U S.

Conradi (c) de fratre (d) nepos, *praclarus in armis*,
Per Latium bello haud simplice (e) victor iit.
Restituit (f) *clemens*, mox *proscripsitque* (g) *Leonem*;
Tandem Asia Cydno victor (h) *in amne perit* (i).

E N A R R A T I O.

S Uevia (a) Dux, (b) seu *Aenobarbus*, a capillo & *barba rufa* dictus. (c) Tam ipsius commendatione, quam Principum suffragio, Imperator lectus est, ann. C. 1152. (d) Friderico, ex Henrici Superbi filia, genitus, sic ut in eo duæ Teutonum nobilissimæ familiæ, Gibellina & Guel-
 fa, coierint. (e) Germania quomodocunque placata, in Italiam septies movit. Primo quidem, Romanos verbis insolentes, caesis aut in Tiberi

mersis ad mille, coercuit, ann. 1153. & Hadriano IV. sibi succensenti, *quod ipsi descendentem ex equo Imperator sinistram tenuisset strepam*, coronationem extorsit, ann. 1155. quo ipso Spoletum, ob Legatos violatos, aliaque expugnavit, ac in cineres redegit. Inde domum redux Reinoldi Burgundiae Ducis filiam Beatricem, priore conjugē Adela Hochburgia, instinctu Pontificis, ob cognationem dimissa, sibi junxit, & cum illa, post soceri obitum, Burgundiam accepit, eamque Remp. ordinavit. (f) Bavariae Ducatum Henrico Leoni Henrici Superbi fil. Saxoniae Duci, restituit. Hermannum vero Com. Palatinum, quod se absente Imperium turbasset, *canem gestare per milliare Germanicum* coegit. Boleslaum IV. Crispum Poloniae Principem, ad pacem petendam, armis perduxit. Major inde exorta cum Hadriano lis, *Beneficium suum* asserente Imperium, Caesarem iterum in Italiam vocavit, sed tertius Pontifex, *Beneficium* interpretando *Bonum factum*, iram ejus leniit, 1158. At quia regalia regni Langobardici, tam Episcopos, quam Politicos, sibi deferre Imperator jussit, Hadrianus id ægerrime ferens, Siciliae Regem & Mediolanenses in illum concitavit: quorum hi proin, denuo rebellantes, per sicarios, Imperatorem ferro venenoque aliquoties tollere frustra tentarunt. Justa itaque ira hic accensus Cremam evertit, Mediolanoque in deditionem accepto, civibus, supplicum ritu, *de collo pendentes gladios gestantibus*, post severas leges iis scriptas pepercit; ann. 1160. In Burgundiam vero reverso Imperatore, Itali denuo conjuravere, & Hadriano, qui fulmen in illum meditabatur, muscae haustu mortuo, Alexander III. id executurus, anathemate Fridericum ferit, anno eod. qui tertia expeditione Mediolanum, post difficilem obsidionem, denuo expugnavit soloque æquavit, ann. 1162. Quarta Romam cepit, civesque multavit, & , fugato Alexandro, Paschalem Pontificem constituit, ann. 1164. Quinta, Alexandriam, pro Papa ann. 1168. conditam, obsedit, ann. 1175. Sed (g) ab Henrico Leone destitutus obsidionem solvit, huncque propterea proscripsit & omnibus bonis, quæ amplissima in Germania habebat, exuit, eod. Sexta, postquam filius ejus Otto, contra Venetos (ad quos profugerat Alexander) mari infelici- ter pugnasset, atque ab iis captus esset, a Papa inter verba Psalmographi, *Super Aspidem & Basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem ac draconem*, pedem collo suo imprimente, conculcari se passus est, ann. 1177. *Chron. Bessarionis, Naucerus Volum. 2. gener. 40. Ciacconius in Alexandro III. Alii.* Quo tempore Veneti, multis privilegiis ab Alexandro donati, cepitque inde ritus, quo *Ascensionis Christi die mare sibi, injecto annulo*, Veneti quotannis despondent. Septima, Henrico filio suo Constantiam Guillelmi Siculorum Reg. sororem conciliavit, quo conjugio Sicilia & Apulia ad Imperium rediere. (h) Post quæ in Asiam profectus Saladinum feliciter

feliciter repressit, Saracenos penitus extincturus, ni, (i) dum æstu & labore defatigatus in *Sapbar* seu Cydnum flum. descendit, lavandi refrigerandi-que sui causa, ejus vorticibus haustus ægreque inde a militibus extractus, paulo post diem obiisset, ann. 1190. Imp. 38. Princeps nulli virtute & Christi amore secundus. Otto Frising. *de Gestis Friderici I.* & Otto de S. Blasio *Appendice ad eum.* Radevicus *de Gestis Friderici ejusd.* Paul. Jovius *Elog. Vir. illustr. lib. 2. in eod.* Helmodus *Chron. Sclav. lib. 8.* Radevicus, Nauclerus, aliique supra citati. Eo res tam egregie gerente Græcorum Impp. fuere Manuel I. & Alexius II. Comneni Andronicus I. item & Isaacius II. Angli. In Palæstina Balduino III. successit frater Almericus, ann. 1163. qui, expeditione in Ægyptum suscepta, ann. 1168. Saracenis ad Hierosolymitanum regnum evertendum fenestram aperuit. Eum excepit fil. Balduinus IV. Leprosus, ann. 1173. Saladini victor, ann. 1176. cui successit Balduinus V. ann. 1183. huic Guido Lusignæus (Cypri Regum conditor) cum urbe a Saladino captus, ann. 1187. postquam steterit hoc Regnum annos 88. Guilielmus Tyrius *Hist. Transmar. lib. 19. & seqq.* Jac. de Vitriaco *Hist. Hierosol. cap. 94.* Alii. In Germania, Imperator, pulso Henrico Leone, Bavariam cum Palatina-
tu ad Rhenum Ottoni Witelsbachio, ac Alberto Urso Ascanio Saxoniam dedit, ann. 1160. quo pacto ad hodiernos Palatinos, nec non ad Ascanios Principes longa serie usque ad Waldemarum II. tres Electoratus, Palatinus, Saxonicus & Brandenburgicus, transmissi sunt. In Gallia, Ludovicus VII. ab Henrico Andegavensi (qui, ex pacto Mathildis, post Stephanum Angliæ regnum obtinuit, ann. C. 1154.) uxoris suæ, quam a Ludovico repudiatam diximus, dotem, Aquitaniam scil. & Pictones repetente, ann. 1156. victus est, ann. 1173. Ei successit fil. Philippus II. Aug. Anglorum victor, ann. 1189. In Bohemia Ladislaus an Vratislaus, ob fidam in Italico bello operam navatam, *Regis* titulum ab Imperatore solenni ritu accepit, ann. 1158. *Ecclesiam* quod concernit, Rugii per Waldemarum I. Danum; Finni per Ericum IX. cogn. *Santum* Sueciæ Regem; Borussi per Boleslaum Polonum ad Christianismum perducti: atque in Livonia, per Bremenses mercatores, ejus semina sparsa sunt, circa ann. C. 1160. Crantzius *Histor. Danie & Wandal.* In Gallia cœtus puriores, cum diutius occultari non possent, in apricum prodire, Petri Valdi præfati, civis Lugdunensis opulenti & pii, ductu, a quo proin *Waldensium*, uti ab opp. Albigio *Albigensium* illis nomen inditum, circa ann. 1160. Hos cum Alexander III. Papa, rapinis ac lanienæ exposuisset, ann. 1179. illi dispersi alibi quoque doctrinam suam disseminarunt, in Bohemia imprimis, annis seqq. Æneas Sylvius *Histor. Bohem. cap. 35.* Reinerius *de Waldensibus*, Alii. Sub Alexandri
vero

vero decessore Hadriano IV. Arnoldus Brixienſis, itidem ſupra memora-
 tus, exuſtus eſt ann. 1155. Platina *Pontif.* 176. Schiſma tum Eccleſiam
 Romanam non parum turbavit, cum Alexandro Imperator Victorem,
 Paſchalem & Calixtum oppoſuit: tandem tamen pace, Venetiis inita, A.
 lexander obtinuit, qui non ſolum Imperatorem conculcavit, ut dictum,
 ſed & Henricum II. Angl. Reg. ob interfectum Præſulem Cantuar. vir-
 gis cædi juſſit, ann. 1171. Matthæus Pariſ. *in eo.* Ejus ſucceſſor Lu-
 cius III. Hæreticum, ſi fuerit ſacris initiatus, primo execrandum, mox
 igne cremandum, decrevit, ejectus a Romanis, ann. 1183. Sigonius *de*
Ital. lib. 14. Suffectus illi Urbanus III. ſucceſſorem mox habuit Grego-
 rium VIII. quem excepit Clemens III. Vid. Platinam ubi ſupra. Iiſdem
 temporibus novi Ordines inſtituti, *Carmelitarum* videlicet circa ann. 1160.
 1170. & *Equitum Teutonicorum*, ann. 1190. *Chron.* Norimberg. p. 207. &
 210. jamque ante *Vallis Umbroſæ*, circa ann. 1159. Polydorus Virg & *Hu-*
miliatorum, quem cives Mediolanenſes alique in Longobardia, ob mul-
 tiplicem rebellionem, bonis omnibus ab Imperatore exuti, neceſſitate in
 religionem verſa, prodiderunt, ann. 1162. In eadem Petrus Lombardus
 Magiſter Sent. floruit, circa ann. 1160. & prius. Joachimus item Abbas,
 ann. 1170. 1190. qui, non minus ac Hildegardis, graviter in ſeculi errores
 inveſtus, *Antichriſtum jam natum eſſe*, pluribus demonſtravit. Vid. Jac.
 Revium *Hiſtor. Pontif.*

HENRICUS (a) VI. ASPER (b).



L O T I C H I U S.

*Asper in aduersos HENRICUS proruit hostes,
Subjugat & Siculas Marte potente plagas.
Causa necis fuerat venatio; scilicet alvi
Exin sanguineo quando fluore perit.*

H O F M A N N U S.

*Pontificis fastum (c) patris post funera sensi,
Tancredo (d) eripui debita regna mihi.
Perdomui Siculos (e), Fridericum (f) ad sceptrum triennem
Admisi, tandem qua mihi Morta (g) tulit (h).*

E N A R R A T I O.



Ilius (a) Friderici Barbarossæ, patre in Syria defuncto, plenam Imperii administrationem adiit, ann. C. 1190. (b) a moribus cognominatus. (c) Italiam ingressus, a Cælestino III. Clementis successore insolentissime coronatus est, ut cui Papa coronam, quam manu ejus capiti imposuerat, elevato pede rursus decussit, significans, *in sua potestate esse dare Imperium, idemque pro arbitrio auferre*, ann. 1191. ei nihilominus Tusculum concessit Imperator. Post Henricum dein Leonem, in gratiam receptum, reddita ei Brunsviga & Lunzburgo, unde Ducum hodiernorum origo, (d) victo Tancredo, Rogerii Siculi fil. notho, Regnum Neapolitanum & Siculum recepit, ann. 1194. ac ex uxore jam quinquagenaria, in publico Panormi theatro, filium Fridericum suscepit, ann. 1195. (e) Rebelles inde, Siculos imprimis, gravissime ultus, Jordanum Com. quod de invadendo regno cum Augusta conspirasset, corona candente capiti ejus clavis affixa, interemit, ann. 1197. (f) Filium triennem in Conventu Principum Imperatorem eligi curavit, sanxitque ut in posterum Imperator

ex sola sanguinis successione fieret, ann. 1198. Post quæ, rebus in Palæstina per Legatos feliciter gestis, (g) obiit eo ipso, an veneno ab uxore propinato, an contracta e largiori aquæ potu febris, Imper. 8. Joh. Cuspinianus in eo, Viterb. Conrad. Urspergensis, & Otto de S. Blasio Chron. Joan. Villan. Chron. Neapol. Arnoldus Abbas Lubec. Chron. Sclavor. lib. 4. cap. 7. & seqq. Alii. (h) In Oriente, tum Isaacius II. Angelus & Alexius III. Angelus, qui & Comnenus, præfuere. In Palæstina, Philippus II. Gallus & Richardus I. Anglus, Henrici II. fil. res gessere, & hic quidem Cyprum captam 1190. Guidoni Lusign. vendidit, Ptolemaidem expugnavit, ann. 1191. dein Philippum, post reditum suum, Normanniæ invasorem vicit, ann. 1195. quo eod. Aben Josephus Rex Marocensis, cum 600. mill. Bæticam (quam ab eo tempore Mauri usque ad Caroli V. avum tenere) occupavit, Hispaniam dein vastavit, ann. 1197. Mariana de Reb. Hispan. lib. II. cap. 8. & seqq. Quoad Ecclesiæ res, Meinradus Livoniam ad fidem perduxit, sede Episcopali Rigæ erecta, circa hæc tempora, Pantal. Chron. At Romæ, Clemens III. per Petrum Capuanum Cardin. in Bohemia & Polonia cœlibatum urfit, in hac quidem ex voto, in illa minus, Bohemis Sacerdotibus uxores retinentibus, quod & Dani fecerunt, circa ann. 1196. Martin. Cromerus Hist. Polon. lib. 7. Ei successit Cælestinus III. de quo jam dictum. Idem Episcopum Belluacensem in prælio captum cum reposceret a Richardo Anglo, hic Papæ lorica ejus misit, cum dicto: *Vide, an tunica filii tui sit?* ann. 1195. Polydorus lib. 14. Antonius Patavinus (de Padua) eodem tempore florere cœpit, teste Waddingo Annal. & Biblioth. Ord. Minor.

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

Henrici VI. Stemma exposuerunt Reusner. Bas. Gen. p. 133-138. Micræl. Sym. Hist. II. 5. qu. 9. Aliique, qui conferendi. Patris Successor declaratus est, aut a Patre designatus an. 1169. quinquennis, (natus enim est Noviomagi 1165.) junctusque & coronatus Aquisgrani a Philippo Archiep. Colon. de consensu Principum die 15. Aug. ut tradit Godefridus Colonienf. in accuratissimis Annal. ad hos annos, collatus Ursperg. ad an. 1191. Mater illi fuit Beatrix, Reinaldi Burgundi, aut Comitissæ Vefontionis F. Natura & Literatura fuit. Super omnes coætaeos tum sapientia & sensuum subtilitate, ut loquitur Gothfrid. Viterb. in Eo, qui hujus Imp. Diaconus fuit, nam Liberos suos omnes Fridericus Imp. literis apprime erudiri fecit. Otto de S. Blasio c. 21. Cum Uxore Romæ secunda feria Pascha 1191. consecratus est, quæ consecratio procedere non potuit, donec Imp. castrum Tusculanum in potestatem Papæ & Romanorum (maximo auctoritatis Impetatoris detrimento) contraxisset, quod illi statim (nempe 4. feria Paschali, teste Rad. de Dico. Imag. Hist. ad an. 1191.) expulsi & casis habitatoribus destruxerunt; erat enim inimicum eis eo, quod omne munimen Imp. contra ipsos in illo constabat, ut ait Godefr. Col. ad d. au. confer Sigon. de R. I. l. XV. in Henr. hoc, & Ursperg. ad ann. 1192. En fructus facerimæ illius inaugurationis Romanæ, dum ex ceremonia in superstitionem & necessitatem ab Hierarchica arrogantia commutatur! Scriptores Angli, Knyghton de Evens. Angl. II. 13. Cistrensis VII. 26. narrant: quod Dominus Papa in cathedra sedens, coronamque Imperialem PEDIBUS (forsan ex odii causis hoc tradunt:) tenens inclinato capiti Imperiali demiserit, quam statim cum pedibus in terram excussit; designans per hoc, quod ipse Papa habeat potestatem, creandi Imperatorem, si meruerit, & deiciendi, si demeruerit; Cardinales vero astantes coronam sic excussam capiti reposuerint. Non est diffidendum, quod multi idonei veteres Scriptores hanc rem silentio damnent: Recentiores autem studii odii causis fere agitentur. Sunt tamen nec pauci veterum, qui hoc narrant: unde plane miror judicium Baron. ad an. 1191. num. 10. qui indignum & horridum hoc facinus aut verius scelus mavult commendare & fucare, quam negare ex obvio multorum silentio. Uxor Constantia, Rogerii II. Siciliæ Regis F. (de cujus stemmate vide Micræl. l. l. III. 1. qu. 4. & adde Serr. rer. Siculæ. maxime Fazellum decad. post l. VII. & VIII.) nec virgo quinquagenaria, nec Panormi e Monasterio S. Mariz, cuius antistes fuerit, Papæ auctoritate educta & sacro voto soluta nupsit. triginta annorum fuit virgo, pulcherrima, Henrico VI. anno æt. 21. collocata Mediolani, (aut Ticini, Godefr. Col.) magnificentissima frequentia Magnatum, a Wilhelmo Bono, Wilhelmi Mali, Constantiz Fratris, F. Siciliæ R. 6. Kal. Febr. an. 1186. Gothfrid. Viterb. teste domestico Imp. & Chron. Elwang. ad an. 1194. nam si quinquagenaria nupsit, ergo circa an. æt. 58. peperit; quia 26. Decembr. 1193. Fridericum II. Panormi in lucem edidit. quin imo peperit Ei deinde & Filiam Mariam, Conrado Bohemiz Duci & Marchioni Moraviæ collocatam. quare merito has nugas ridet Sigon. l. l. & Petav. R. T. VIII. 26. Aliique. Illud in hoc Imp. nigro lapillo notandum, quod Siculæ sive conspirationes, sive Tancredi defuncti factiones reliquæ & posteri, sive Regnandi ratio armarint nimiam sævitiam & implacabilem iracundiam, unde cognomen Asperi ei adhæsit, quamvis & in his Itali, Siculi, Angli, Alii, exaggerandis nimii sint, ob notas odii causas. de justitia autem Successionis Siculæ omnino meretur legi elegans Disputatio Schurzbeisch. Diff. 55. contr. 1. Engelhusius Chron. p. m. 242. narrat, Armenia Regem præstitisse hominem Imp. Henrico VI. (in persona Legatorum ad Terram Sanctam,) & ab eo regnum Armenia accepisse in feudum. de obitu addit: veneno in hostia, sacra intoxicatum, per quendam Siculum

in castello Boncorrent, diocesanos Senonensis. sed mortis, quæ atrox fere narratur, & loci, ubi contigerit; item de sepulcro, varia fama. Alii inter venandum perisse volunt 3. Kal. Oct. 1197. Vide omnino Ursperg. ad an. 1198. qui venenum ab uxore propinatum negat, testibus Imperatoris familiaribus Camerariis. Knyghton. l. l. II. 12. ait, decessisse Eum sub excommunicacione, nec sepeliri potuisse, nisi aut reddita Ricardo extorta pecunia, aut Eius permisso, at hæc videtur nigra odii loligo. Cæterum laudatur ab his, culpatur ab illis: plures tamen Eum laudant, & recte. nam crudelitatem pluribus redemit virtutibus. Engelh. l. l. Catholicus, strenuus devotus; Chron. Augustenf. ad an. 1192. Audacia & largitate, justitia & veritate, literatura & sapientia, & aliis virtutibus pollens Imperium suum suo brevi tempore bene rexit; regnum Siciliæ subjugavit & multa alia bona & memoria digna in Imperio fecit. Ursperg. l. l. est prudens ingenio, facundus eloquio, facie satis decora, plus tamen macilentia, statura mediocris, corpore tenuis ac debilis, acer animo; ideoque inimicis suis pavendus & terribilis; vanitatibus deditus, maxime venationum & aucupiorum. Summum Reip. studium Nicetas Choniates in Eo commendat, cui totos dies ita impenderit, vix ut spatium curandi corporis sibi relinqueret, raroque prandentem quisquam videret: quas tam sobrias Eius curas cum interpolare Amici conarentur, importunos invitatores plane regia sententia refutavit: Homini privato nullum esse intempestivum convivium dictitans; Regibus, si suo satis facere nomini velint, satis esse debere, si eos Resp. a se ad cœnam dimittat. hæc hostis ille Græculus. hinc magnifico Elogio res hujus Imp. claudit Brunnerus, Jesuita, Annal. Boj. l. XIII. p. 580-591. Maximi animi Princeps, & Germania Imperium, si vita longior obigisset, in eodem gloria fastigio repositurus, quo Caroli M. immortalis virtute ascenderat. Jam Orientem quaque sui nominis fama compleretur; quicquid terrarum inter Epidaurum & Theffaloniam inierat, ab Alexio Comneno ausus reposcere; & si pacem vellet, eidem imperare tributum, Adrianum ab indigna Græcia dictum, ad cuius summam conficiendam neque Regum tumulis Alexius pepercit. Vide præter jam adductos Scriptores Annalium Chronographum Germanum, cuius ms. existit in Bibliotheca Nicolai Vignerii, Historiographi Galliz Paul. Merula ait Tjst-Threoor ad an. 1190. in quo hæc notabilia legantur: Eligitur autem & præsentatur Imp. (Henricus VI.) per literas a XII. Proceribus Alemannis, qui vulgariter PARUS vocantur. Bekam & Hædam Hist. Ulr. in Episc. xxix. xxx. xxxi. Bromton & Gervasi Chron. passim in rebus Richardi I. Angl. R. Chron. Lauterberg. ad an. 1184. & 1197. Chron. Bigaug. ad an. 1190. Craws Imp. Brunsv. p. 96. 97. Cario Chron. l. IV. in l. 10: qui sequius de illo judicat, sed male: Multum dissimilem fuisse Patri ingenio & moribus, magis suis addictum voluptatibus, quam Reip. privatim in libidinem proclivorem, & publice in vindicandis injuriis asperiorum; quod Reusner l. l. idem judicium placuit. Cluver. in Eo. Avent. l. VII. p. 523. & seqq. Boxh. H. U. an. 1191-1199. Rupert. ad Befold. Syn. min. c. 18. At quantum hæc Historia perfici posset, si præter Scriptores æquales aut proximos quarumvis nationum & eventum consulantur & Diplomata, Donationes, Fundationes, Constitutiones, Leges, Privilegia, Testamenta, Acta Publica, Fœdera, Concilia, Vitæ SS. Ludi Equestres, Epitaphia, Diptycha Ecclesiarum, Monumenta inscripta alia, erit. Documenta? At quotusquisque gaudet aut ista documentorum felicitate? aut, si gaudet, num & beato fovetur otio? aut, si hæc adsint, an ideo iudicio diacritico, politico & historico talis semper pollet? quin, si pollet, verane mæculæ dicet ubique & falsa cordate arguer, procul studii odii sive sacri sive profani causis?

PHILIPPUS (a) SUEVUS.



LOTICHIUS.

Cæsareos titulos defuncto fratre PHILIPPUS
 Rivali pulso *Suevus* OTHONE capit.
 Sed Papæ technis tranquilla pace fruentem
 Ense VITELSPACHUS destinat, ecce! neci.

HOFMANNUS.

Pro fratris nato (b) gestavi sceptrum, sed Otto (c)
Hac dubia effecit, patre Leone, mihi.
Donec ei natam Beatricem jusque (d) reliqui.
Alterius nocuit sed mihi sica (e) magis (f).

ENARRATIO.



Ost (a) Conradi fratris fata, Alemanniæ Dux; (b) perducto Romani Henrici VI. utriusque fratris filio infante, decessisse comperit Cæsarem in Sicilia, remissoque ad matrem Friderico, haud sine vitæ discrimine in Germaniam reversus, id egit, ut rata maneret nepotis electio; ipse ut patruus tutelam Imperii capesseret, ann. C. 1198. (c) Post Bertholdo Zeringiæ Duci frustra oblatum a quibusdam Principibus Imperium iidem, Pontifice annitente, Ottonem Henrici Leonis filium Brunswic. Duc. Philippo opposuerunt, a Coloniensi Episc. Aquisgrani coronatum, uti Philippo Moguntiz diadema impositum, *eod.* Sed Otto ad Spiram victus, ann. 1203. Brunswigæ dein obsessus, & auxiliariis superatis, ad fugam in Angliam compulsus est, ann. 1205. (d) pace tandem his legibus facta, ut Otto, Philippi filia Beatri-

ce in uxorem accepta, a titulo & re Imperii, vivo socero abstineret, post obitum autem ejus *jus succedendi* haberet, ann. 1206. (e) Mox vero, ab Ottone Wiltelspachio Palatino, cui aliam ex filiabus ob cædis cujusdam probrum negaverat, Bambergæ in cubiculo nefarie vulneratus, obiit ann. C. 1208. Imp. 10. Princeps strenuus, doctus & egregius. Cuspinianus *de Caesarib.* Siffrid. *Epitome Histor. lib. 1.* Crusius *Annal. Suevic. P. 2. l. 12. cap. 7. & seqq.* Paul. Lang. *Chron. Citiz.* Otto de S. Blasio, Conradus Abb. Ursperg. Gobelinus Persona, Naclerus, Vincentius Bellovac. Alii. (f) Eo imperante Byzantini Augusti fuere, Alexius adhuc III. Alexius IV. Alexius V. & Balduinus I. Flander, quorum ultimus hic Constantinopolim cepit, ann. 1204. In Tartaria, Sinensium dominatu excusso, amplissimum regnum *Magna Tartaria* nomine condidit Cingiz, vel Changius Chan, ann. 1202. Mirkondus *Histor. Reg. Pers. in eo.* In Gallia, recuperavit Philippus Normanniam & Pictones, ann. 1204. in deliciis interea marcescente Joanne Anglo fratre Richardi I. Rigordus *de Gestis Philippi Aug.* & Matthæus Paris. *Histor. Angl.* In Bohemia, Primislaus a Philippo Imp. cujus partes egregie tuebatur, Rex creatus est, 1199. sed ob divortium suum dimidia regni parte multatus tam obstinate Ottoni se adjunxit, ut *Ottocarus*, quasi *Gar Ottisch* inde diceretur, 1201. Daubravius *Histor. Bohem.* In Ecclesia, Almericus Gallus, Theologus insignis, errores Ecclesiæ Romanæ acriter oppugnavit, circa ann. 1200. & quia Albigenium numerus indies crescebat, contra illos, ab Innocentio III. inquisitione instituta, ann. 1204. crux prædicari & bellum geri cœpit, ann. 1208. præcipuo incentore Dominico Guzmano Calarogenfi Hispano, qui novum *Prædicatorum Ordinem* auspicatus est, ann. 1202. & 1207. Antonin. Florent. *Histor. Vol. 3. tit. 23. c. 4.* quo eodem Beginarum Ordo a Clara inceptit, *Idem ibid. tit. 24. cap. 6.*

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

Philippus Imp. qui in Epitaphio Spiræ (nam a Friderico II. eo Bambergæ, ubi juxta Henricum S. sepultus fuerat, translatus erat:) cognominatur, forsan ut a loco natali, *Bambergensis*; & a quibusdam, imo & in diplomatis ipsis, nimis longe petita a *Philippo Arabe* P. & F. computatione, II. vel III. dicitur, creditur natus circa annum 1170. Stemma Ejus fuit Suevicum, de quo ante est dictum. Uxor illi fuit *Irene*, Isaacii Angeli, Imp. Otrani F. quam Fr. *Henricus VI.* interceptam & Tancredus Siculo antea destinatam Fratri *Philippo* cum parte quadam Apuliz uxorem dedit 1195. Godefrid. Monach. *ad d. a.* Ex hac fustulit *Filias I. Constanctiam*, primo Ottoni Palatino Wiltelspachio desponsatam, sed ob admisum homicidium deinde eidem negatam, & Wenceslao Bohemo, Ottocari F. elocatam: II. *Erbisiam*, primum Duci Brabantiz, deinde Hispano Regi nuptam: III. *Mariam*, (ut dictam puto quia cum nomine Matris *Irenes* hoc confundit Godefr. Mon. *ad an. 1204.*) nuptum datam (an tantum sophismate politico promissam, sine nuptiis secutis:?) Richardo, Innocentii III. Papæ ex Fratre, Signiz Comite, F. (ut scilicet ambitiosam hanc vulpeculam, Papam puto, Philippus jam seditionibus fessus, ostentatis domus Signiz privatis processibus, placaret:) futuro nimirum Tusciz, Spolieri & Marcæ Anconitanæ Comiti Ducive: IV. *Beatricem*, Ottoni IV. Imp. deinceps collocatam. Quid sibi vult Gervasius *Chron. ad an. 1197.* qui inter Imperii Candidatos refert etiam *Reges Franciæ & Angliæ* fuisse, in diffensione illa Magnatum super electione faciendâ? an ergo Ottonum leges abrogatz erant? Coronatus est Aquisgrani cum Uxore 6. Jan. 1204. ab Adolfo, Archiep. Colon. Arnoldus Lubec. VII. 1. Godefr. Mon. *ad d. a.* cujus hæc verba obiter notanda sunt: *Ibi Rex consilio cum suis habito, ut Principes suam liberam Electionem secundum Antiquitatis institutum non perdant, regium nomen & coronam deponit, & ut concorditer ab omnibus eligatur, precatur. quod & factum est.* Nam antea Erfordiz (aut *Mulhusii* Thuringorum, Ursperg. *ad an. 1197.*) a Superiorum Partium Principibus, Austriæ Marchione Bernardo Saxoniz Duce, Archiep. Magdeburgensi, Aliisque electus fuerat, an. 1198. Godefr. *ad d. a.* (qui paullo additior videtur Ottoni IV. & omnino legendus est, ut accuratus & æqualis huic ævo.) Fuit Imp. doctus & doctorum amans. Clericos & Scholares a se non removebat, sed quasi conscholares eos habebat, Arn. Lub. VII. 14. Scitum Ejus fuit: *Quod male ceptum est, ne pudeat mutare.* confer & Lehman. *Chr. Spir. V. 70. 71.* Furiosum adversarium expertus est Innocentium III. quia Juris Cæsarei erat tenacissimus; nam Romani Hierophantæ clam palam, per fas & nefas, per dolos, strophas, sophismata religionis fuco splendentia, per hypocrisin, humilitatis scilicet & pietatis Christianæ pallio amictam, jam olim cœperant usque ab Hillebrando, ad Hieromonarchiam profanissimam grassari, conculcantes, quantum & ubicunque modo poterant, auctoritatem legitimam Impp. eorum vires enervando, regiones Italicæ quavis specie sibi rapiendo. Ait Urspergensis, l. l. qui

hoc ipso tempore vixit Romæque erat, narratum sibi, Papam illum Thraconice minitatum: *Ablatum se Philippo diadema, aut illum sibi insigne Pontificium.* hæc nimirum ait Servus servorum, mansuetissimi Christi discipulus? imò vero olent feroculi ista gladiatoris gregalem. Urspergensis (qui Ottoni IV. paullo iniquior est:) omnino legi meretur, qui gravem hanc exclamationem l. l. de isto ævo subjicit: *Vix remansit aliquis Episcopatus sive dignitas Ecclesiastica, qua non fieret litigiosa, & Romam deduceretur ipsa causa, sed non manu vacua. Gaude mater nostra Roma! quoniam aperimus catarracta thesaurorum in terra, ut ad te confluant rivi & aggeres nummorum in magna copia. Letare super iniquitate filiorum hominum! quoniam in recompensationem tantorum malorum datur tibi precium. Jocundare super adjutrice tua Discordia! quia eripit de puteo infernalis abyssi, ut accumulentur Tibi multa pecuniarum premia. Habes, quod semper sisti, decanta canticum! quia per malitiam hominum, non per tuam religionem, Orbem vicisti. Ad te trahit homines, non ipsorum devotio, aut pura conscientia, sed scelerum multiplicium perpetratio, & litium decisis precio comparata.* Cæterum hunc Imp. valde laudant a virtutibus plurimis, mansuetudine, animo submisso, affabilitate, liberalitate, pietate, potentia, rei militaris peritia, Arnold. Lubec. VII. 14. Chron. Belg. Magn. *ad hos an. Ursperg. ad an. 1208.* qui addit, fuisse debilem corpore, sed satis virilem, facie venusta & decora, capillo flavo, statura mediocri, magis tenui, quam grossa. Ibidem in eo, cum Aliis, culpatur, quod nimis largitionibus exhausto ærario, primus cœperit vendere aut oppignerare prædia sua paterna latissima per Alemanniam, ut & Ecclesias & Monasteria Nobilibus, ut esset, unde militibus stipendia solverentur. hinc pro Monachali Theologia cruentam mortem divinâus Philippo immisissam credit, quia isti Nobiles postea non patroni & fiduciarii, sed tyranni & expilatores Clericorum fuerint. Poenam talionis putat Chron. Belg. M. *ad an. 1208.* quod Conradum Episc. Wirceburg. interfici vel jussit, vel dissimulando permiserit. Vide de rebus hujus Imp. porro Carion. l. IV. in *Eo. Sigon. de R. l. l. XV. Avenun. l. VII. p. 525-527. Hoxh. H. U. in *Eo*, ubi inquit inquisitionis, religionis causa institutz, & Inquisitionum origines, incrementa & causas. Cluver. in *Eo. Henr. Meibomii Apolog. Otton. IV. p. m. 331-349. Crantz. Saxom. VII. 26. & seqq. Baron. Ann. ad hos ann. Paul. & Wilh. Merulæ Tijt-Threecz. ad h. a. Burkhard. de cas. Mon. S. Galli c. 12. Conrad. de Fabaria de isd. c. 7. & 8. Bek. & Hed. Hist. Ultr. Ep. xxxii. Chron. Augustens. ad an. 1197-1207. Engelhus. Chron. p. m. 243. 244. Chron. Lauterberg. ad an. 1198-1208. Craws Brunsv. p. 97. etff. Adde Fontes alias sæpius & in præced. Imp. indicatos. de *Gingischani* mirandis plane rebus vide Haith. Arn. Hist. Or. c. 16. 17. Juchasin Abulfarg. Nassiroddinum, Arabsjam, etff. Orientalium scripta: item Collectanea egregia in Perillustis Witsenii Noord-en Oost-Tartarije Tomo 1. passim.**

OTTO (a) IV. BRUNSVIC. (b).



L O T I C H I U S.

Quartus ad Imperium, sublato morte *PHILIPPO*,
 Pro votis Papæ transit Otto bonus.
 Papa sed Imperio mox idem pellit eundem,
 Dum petit Imperio debita regna suo.

H O F M A N N U S.

Non mihi parva fuit tum lis cum sede Quirina (c),
Afferui capiti cum diadema meo.
Æmulus hinc Fridericus (d) *erat, Francusque Philippus* (e),
Et pons fatalis de Bove (f) *nomen habens* (g).

E N A R R A T I O.



50. (a) Principibus Francofurti Imperator electus, successit æmulo successorque Philippo, ann. 1208. (b) Henrici Leonis fil. cui Brunsviga & Lunæburgum reddita sunt ab Henrico VI ut diximus. (c) Post antiquatam Henrici, de successione hæreditaria, legem, & Electorum numerum definitum, ann. 1209. *Constitut. Imperial.* apud Goldastum, ad ann. 1208. Contr. Abbas Ursperg. *Chron.* & Calvisius *Op. Chronol.* ad ann. 1198. Italiam ingressus, ab Innocentio coronam accepit. Sed mox, dum Marchionatum Anconæ aliaque, a Mathilde Pontificibus donata, velut Imperio debita, repetit, ab Innocentio (qui & Philippo diadema se ablaturum juraverat) excommunicatus, rediit in Germaniam, ann. 1210. (d) ubi

adversarium expertus, Fridericum Henrici VI. Imp. filium, Papæ instinctu, a Principibus nonnullis sibi oppositum, Ottocaro quidem Bohemo, quod de Friderico eligendo cum Hermanno Thuringo consilia iniisset, regiam dignitatem abrogavit, at a Friderico primum, ann. 1212. dein (e) a Philippo Aug. Francorum Reg. Friderici amico, juxta Tornacum, (f) ad Bovinum pontem, ann. 1214. victus, atque a maxima Principum parte desertus, in Saxoniam se recepit, ibique curis confectus, (g) obiit ann. C. 1218. Imp. 10. Otto de S. Blasio *cap. 50. & seqq.* Arnoldus Lubec. *cap. 16. & seqq.* Godefridus Mon. Coloniensis *Annal.* Trithemius *Chron. Hirsaug.* Alii, quorum non pauci supra jam laudati. Byzantino Imperio tum præfederunt Henricus Flander, & Petrus Antifiodorensis. In Africa, Abdulacus, familiæ Merinensis Fessæ, regnum rapuit. In Francia, Philippus Flandrum, ab Imperatore licet & Anglo adjutum, cruentissimo prælio vicit, Ottone Imp. & Lotharingæ Duce ægre fuga elapsis, anno quo diximus. In Anglia, Joannes Rex a Papa excommunicatus & rapinæ Galliarum Regis expositus, ann. 1209. tandem huic regnum vectigale fecit, ann. 1213. indignantibus subditis & exclamantibus: *Vae tibi Johannes Regum ultime!* ipse post cladem Bovinensem fassus: *Postquam se suaque regna Romana subjecisset Ecclesiæ, nulla sibi secunda amplius, adversa omnia evenisse*, Matthæus Paris. *in eo.* Walliam tamen sibi subjecit, & Galliarum Regis filium a Baronibus vocatum pepulit, ann. 1217. Idem *ibid.* Quod *Ecclesiæ* attinet, adversus Waldenses, seu Albigenes, cruce ut diximus prædicata, Simon Montfortius Dux belli contra illos delectus, post multiplicem innocentium lanienam, in oppugnatione Tholosæ, ictus lapide interiit ann. 1218. a Papa Honorio hoc tropæo, *quod centum millia Albigenum hæreticorum trucidasset*, honoratus: postmodum *Christianissimi* titulo a Sixto V. mactatus, Papyrius Massonius *Histor. Gall. lib. 3.* Paul. Æmylius *lib. 6.* Girardus du Haillan & Isaac. Vaake *in Rege Plat. ex descr. Vatic. Angeli Rocha.* Romæ, Innocentio III. successit Honorius III. ann. 1217. Franciscus Assisius *Minoritarum Ordinem* orsus est, ann. 1209. at Dominicus suum institutum absolvit, ann. 1217. quo & Franciscanorum Ordo confirmatus est, Vincentius Bellovac. *Spec. Histor. lib. 30. cap. 94. & seqq.*

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

Ottonis IV. (quem nonnulli, nimis elonginquo petita ratione a M. Salvo Othone, V. numerant:) stemma recensent Reusnerus *Basil. Geneal. p. 138-139.* it. in *Sirpe Atia*: (sed errat, cum tantum unicam uxorem Mariam, Henrici Boni, Ducis Brabantæ, F. tribuit; cum ex ea duas filias illi assignat; cum tandem repudiatam dicit:) Micræl. *Synt. Hist. III. 12. qu. 18.* Bucelin. *Nucl. Hist. Univ. p. 291.* (sed qui errat quoque circa duas filias, quas nullas e Maria Otto IV. habuit:) & omnium optime Henr. Meibomius, in accuratissima & eruditissime conscripta hujus Imp. *Apologia*, quæ & vitam Ejus totam ordine digestam & ex veris fontibus derivatam habet, p. 402. 403. 420. 226. 427. Natum puto Brunsvigæ, quia illam valde dilexit, circa an. 1172. ex traditis ab Arnoldo Lubec. II. 2. Uxores habuit I. *Beatricem*, Philippi Imp. F. quam hoc cæso sibi despondit duodecennem, ex consilio Principum, Francofurti ad Mœnum, an. 1209. Godefr. Mon. *ad an. 1208.* aut Wirceburgi Otto de S. Blasio. c. 51. Arnold. Lubec. VII. 18. vide Meibom. I. I. p. 356-359. 402-405. duxit eam ex Italia redux sedecennem admodum, an. 1214. Northufæ, magnifico apparatu, sed inauspicato, quippe die XIV. ut habent Chronica Saxonica vernacula, die IV. ut plerique Alii, post nuptias defunctam, unde atroces rumusculi, & maligni susurri, & quidam Ottoni IV. indecori. Vide Meibomium hos diffiantem p. 402. 403. II. Mariam, quam dixi, desponsatam sibi jam anno 1199. sed subsecuto bello civili non ductam domum, ac deinde ob rationes politicas præ *Beatrice* omisam: unde forte Urspergenensis *ad d. a. ait, desponsatam, sed postea repudiatam*; ex quo idem tradunt Cario & Cuspinianus, sed male affluunt: *propter consanguinitatem.* nam biennio post *Beatricis* obitum eandem duxit, quæ Marito superstes fuit, ut apparet ex Testamento Ottonis IV. ap. Meibom. p. 392. Hæc nullos liberos peperit, sed accepta, aleviro Henrico Saxoniarum Duce & Rheni Palatino, nomine donationis propter nuptias certa argenti summa, legatiquæ in Testamento expressis ad suos rediit; post obitum, sepulturæ tradita Lovanii in S. Petri prope mausoleum matris Mathildæ, Comitissæ Bononiensis: I. I. p. 405. Etiam hic Imp. ludibrium & pila fuit Ates Romanæ, quia debita Imperatoris maiestati jura, ditiones & regiones vindicabat; qua in re miror Sigonii *de R. I. I. XVI.* passim iniquitatem, qui ubique maligno stilo hunc Imp. confodit, ac si præter fas & æquum repetiisset illa, quæ summa injuria erant abalienata ab Imperio. sed sic solet Sigonius Germanos, ipse Romani Pontificis adulator. In his autem minus recte fecisse Otto IV. videtur, quod statim ab Electione ann. 1199. mensē Martio, sponte an Electorem Clero Principum importunis precibus aut verborum lenociniis victus, maximo Successorum damno, parum consulte abrogavit jura Imperatorum in decedentium majorum Prælatorum & Antistitum utriusque sexus bonis, quæ Fisco alias Imperatorio cedebant, quo de jure vide eruditum Henr. Meibomium *Diff. in Opusc. Hist. p. 441-454.* Hencl. *Silviogr. c. 6.* Hæc

jura vitio abrogata aut revocavit, aut revocare voluit, post cædem Philippi an. 1209. ut colligo ex Ursp. *ad d. a.* deinde & in eo lapsus est, quod, ut *novus homo & raiñesius* Terras Mathildis, Imperio restitutas, Papæ reddere ante consecrationem promiserit, Godefr. Mon. *ad an. 1209.* Otto de S. Blasio c. 52. sed post consecrationem, a potestatibus & Magistratibus revocatus & prohibitus, minime restituit. Godefr. I. I. Tædio tandem Papalium vexationum, & noverce in bello Francico fortunæ, servatis Imperii titulis & insignibus, privatam vitam Brunsvici amplexus, Hartzburgi pie obiit 19 Maji an. 1218. sepultus Brunsvici in æde S. Blasii juxta Parentes & conjugem Beatricem. Epitaphium omnium commune habet Meibom. p. 395. *Apolog.* Obfignabo hanc vitam aureis Meibomii verbis p. 386. 387. quæ ex Naucler. Vol. II. *Generat. 41.* Mutii *Chron. I. XIX.* Aliisque concinnavit: *Quoties Ottoni IV. jam privatam vitam amplexo in mentem veniebat Imperii, vel jam mortui, vel extremum spiritum trahentis, calamitosus status, toties ingemiscens fatalis istius mali fontem, originem & incrementa familiaribus exponebat, querebatur non sine lacrimis de effrenata impudentique pertinacia & libidine dominandi in Romanis Pontificibus, qui, Germanici sanguinis Imperatoribus inani titulo delusi circumscriptisque, maximam florentissimamque Italia partem vel ipsi tenerent, vel obnoxiiis clientibus jure beneficiario locarent: potissimos Reip. reditus & obventiones, per inobservatam fraudem infuscatamque malitiam acquisitas, non usurpare tantum illicite, sed turpiter illis abutendo aliquot jam sæculis legitimum magistratum oppugnarent. Qua in re, exarscente in dies singulos sincera pietate, senescente simul officii commissura, æmulos etiam inveniant alios Ecclesiastici Ordinis Optimates, quibus pericundum, abdicato summi Principum dominatu, in absolutam perfectamque libertatem vindicari. In quibusdam Principibus Germania sui avi detestabatur, parum desultoriam levitatem, ab inexplorabili dupodonia profectam; præterea summam ingravitatem, quædam expertus fuerat in Magistino & Magdaburgio, Archiepiscopis, Rege Bohemo & Thuringia Landgravio, quos, luculentis beneficiis affectos, hostes invenisset adversissimos: partim segnitiam, ignaviam & socordiam, quod, augescente quotidie inevitabili periculo, tam a callidis Italorum machinationibus, quam simultatibus & insidiis domesticis, nemo de remedio tempestive adhibendo esset sollicitus, omnes in utrumvis oculum & aures dormirent. Semetipsum in tanta capverfione rerum & perturbacione consolabatur optime mentis conscientia. Hæc ille, quæ expungant iniqua Aliorum de hoc Imp. judicia. Meibom. subjicit I. I. quædam diplomata, & sigillum elegans p. 419. adde Lehman. *Chr. Spir. V. 74-77.* Micræl. II. 9. qu. 14. Brunner. *Ann. Boj. I. XIII.* passim, Aliosque subinde alibi indicatos. Emblema Crantzii Saxon. VII. 37. ex Alberto Stadenfi *ad an. 1218.* interpolato, & per Sigon. I. I. pro solita malignitate adoptato, de calcato jussu Ottonis IV. per coquinarios collo suo, ut *vilissima Dei creatura*, quia scilicet Papam offendisset, arguit Crantzii superstitiones, & æmulationes.*

CIII.

FRIDERICUS (a) II.



L O T I C H I U S.

Nomine, sed nulli FRIDERICUS laude *Secundus*,
 Edidit invicta grandia gesta manu.
 Incertum mortis genus est; quoniam vetus illum
 Fama refert summum non obiisse diem.

H O F M A N N U S.

Tandem ad me veniunt jam dudum (b) debita sceptrā,
Quæ fortis mira prosperitate (c) tuli.
Pontificum quinis (d) vicibus fera fulmina sensi,
Et junxi Imperio mœnia sancta (e) meo (f).

E N A R R A T I O.



Ueviz (a) D. & R. Siciliæ, (b) contra Ottonem Imperator electus est, ann. 1212. cum jam triennis Imperio ab Henrico VI. patre destinatus fuisset, ut vidimus supra. (c) Princeps sapientia, fortitudine ac felicitate nobilissimus. (d) Quod Imperii majestatem strenue assereret, quinquies a variis Pontificibus excommunicationis fulmine percussus est. Et quidem, post Palatinum Ottoni Vitelspachio Baviaræ Duci datum, ann. 1215. juramentum ab Italis repetendo, ac Mathildis provincias Imperio vindicando, Honorium Pontif. sic offendit, ut ab eo excommunicatus in Palæstinam expeditionem suscipere cogeretur, ann. 1220. (e) Ducta itaque Jolanta Joannis Brenni filia, cum dote regni Hierosolymitani, ann. 1222. bellum sacrum sibi gerendum sumpsit, Gregorio interim IX. & socerum & urbes Lombardiæ adversus ipsum concitante, ann. 1227. imo & conato Cæsarem prodere Sultano, qui virtute illius motus, ac Christianorum versutiam, perfidiamque detestatus, proditricem literas suis ostendit, addito,

addito: *en fidem Christianorum!* & regnum Hierosolymitanum, crucem & alia Christianis erepta Imperatori restituit, ann. 1229. Ex Oriente proin redux Fridericus, perfidum socerum in Sicilia devicit, omniaque recuperavit, ac Pontifici, pro absolutione pecuniam solvit, *cod.* Ast hic filium Henricum contra Imperatorem mox concitavit, qui eo victo captoque Mediolanenses profligavit, ann. 1237. ac Sardiniam Saracenis eripuit, ann. 1239. quam cum Ecclesie Romanæ concedere noller, denuo a Gregorio, *omnibus sese ipsi opponentibus liberationem ex Purgatorio & vitam aeternam promittente*, excommunicatus, ad Urbis muros cum exercitu accessit, atque in tantas angustias Pontificem redegit, *ut in processionibus nudus pedibus capita Petri & Pauli circumgestaret*, ann. sequente. Nec hic irarum finis. Gregorio enim centesimo ætatis anno defuncto successus, post Cælestinum IV. brevis ævi, Innocentius IV. Imperatori *ut amicus Cardinalis* prius, sic jam *insensus Pontifex*, Anticæsares illi excitavit, Henricum quidem Thuringiæ Landgr. ann. 1246. & Wilhelmum Hollandiæ Com. ann. 1248. quo utroque virtute Cæsaris amoto, ipsoque Pontifice Italia pulso, veneno is per Petrum de Vineis Cancellarium suum tentatus, in auctoris caput scelus retorfit, ann. 1249. (f) Tandem in castro Florentino Apuliæ decessit, vel, ut Sigonius habet, veneno a Manfredo filio oblato, an pulvino in os injecto, peremptus est, ann. C. 1250. Imp. 38. Heroici ingenii Princeps ac virtutibus insignis, de literis quoque, ut qui Aristotelem, Ptolemæum & Galenum Latine verti curavit, studiaque discentium egregie juvit, optime meritis: cum quo prisca Cæsarum auctoritas & Germanici Imperii decus concidit, Conr. Abbas Ursperg. *Chron. cum Paralipom. ad eum*, Godefridus Mon. Colon. *Annal. ad ann. 1212. & seqq.* Thomas Fazellus *de Rebus Sic. lib. 18.* Pandulf. Collenutius *Histor. Neapol. lib. 4. & Vita Friderici II.* Sigonius *de Regno Ital. lib. 17.* Cuspinianus, Naucleus, Platina *Honorio III. & Gregorio IX.* Heroldus *de Bello Sacro*, Alii. Ejus tempore Orientem rexere, Robertus & Balduinus II. Byzantini, Theodorus II. Lascaris & Johannes IV. Ducas Nicæni. In Ægypto Damiata a Christianis, Brenno Duce, expugnata, ann. 1219. sed a Coradino, Ægypti Sultano, recepta, ann. 1220. iterumque a Ludovico IX. Gall. Reg. occupata est, ann. 1249. Vincentius Bellovac. *Spec. Histor. lib. 31. cap. 87. & seqq.* In eodem regno Turcomanni seu Mammelucci, rerum potiri inceperunt, ann. 1244. Leo Afric. *Descript. Afr. lib. 8.* Apud Tartaros, Ochtaï, patris Changii successor, fratres cum copiis ad varias Orbis partes occupandas emisit, e quibus Batto, cui Septentrio obvenit, ad Lignicium, Henricum Ducem cruentissimo prælio, incantationibus in auxilium adhibitis, superavit, *occisorumque singulis auriculis præcis novem ingentes saccos explevit*, ann. 1242. Mart. Cromerus *Histor. Polon. lib. 8.* In Italia, conjugio Imperatoris cum Jolanta, *Hierosolymorum Regis* titulus Siciliæ Regibus accessit, Hierosolyma quamvis iterum amissa, ann. C. 1244. In Germania, Alsatiæ Episcopo Argentin. dedit Imperator, ann. 1238. In Francia, Philippum excepit filius Ludovicus VIII. ann. 1223. huncque Ludovicus IX. ann. 1226. inter Sanctos postmodum relatus, sub tutela matris Blancæ, quæ prudentissime rexit, Guil. Nangius *de Gestis ejus*. In Hispania, Ferdinandus III. Castellæ & Leg. Rex contra Mauros felicissime pugnavit, eosque Castella pulsos intra Bæticam compulit: Batiæ, ann. 1227. Emerita 1230. Corduba 1236. & Hispali 1247. iis ereptis, Rodericus Tolet. *de Rebus Hispan. lib. 9. capp. 5. 12. 16.* In Aragonia, Petrus Rex, Albigensum in partibus occubuit, ann. 1213. successore Jacobo I. Præliatore, Mariana *de Rebus Hispan.* In Anglia, Johanni successus est fil. Henricus III. ann. 1216. In Polonia, Boleslaus V. Pudicus, Lesci Albi fil. ann. 1227. a Conrado fratre Lesci, Mafoviæ ab hoc acceptæ Domino, pacem habere non potest, atque insuper a Prutenis vexatus, Fratres Cruciferos in Borussia vocavit, ann. 1217. Cromerus, ubi supra. In Hungaria, Bela IV. fil. Andreæ II. propter Tartaros profugus, dum in regnum revertitur, Fridericum Austriæ Ducem transitum negantem vicit & obtruncavit, ann. 1246. Anton. Bonfinius *Rer. Ungaric. Dec. 2. lib. 8.* Quod ad Ecclesiam, Albigenes cætus numerosos variis in locis habebant, in Gallia inprimis, Mediolani & circa: item in Bohemia, Bulgaria, Croatia, Dalmatia Germanique, Sigonius *lib. 18.* Naucleus *Gen. 41.* Matthæus Paris. *Henric. III.* Qui tamen per *Persecutiones & Inquisitiones* varie turbabantur, a Ludovico inprimis VIII. bello petiti, quamvis admodum infelici successu, ann. 1225. quemadmodum & ex Inquisitoribus duo cæteris rigidiores, Robertus Bulgarus, & Conradus *de Marburg*, post crudelissime innocuos confessores habitos, & ipsi misere interierunt, Mornæus *Mysterio Iniquitatis*, & Trithemius in *Chron.* Sed & Græca vicinæque tum Ecclesie a Romana communione amplius recesserunt. Romæ interea quinam Pontifices fuerint, jam supra dictum. Ex his Innocentius III. Concilio Lateran. *Transubstantiationem approbavit, Confessionem auricularem introduxit, Laicis Eucharistia partem ademitt, Expeditionem in Palestinam decrevit*, ann. 1215. Honorius III. *hostiam adorandam* sanxit, ann. 1220. Gregorius IX. *Decretales* promulgavit, ann. 1235. Innocentius IV. Cardinales *rubris pileis* ornavit, ann. 1245. Platina *Vitis Pontific.* In eadem communione floruit Hugo Card. *Concordantiarum Biblicarum* auctor, ann. 1240. 1250. Albertus item Magnus, ann. 1240. *seqq.* Vinc. Bellovacensis Burg. qui in *Speculis* suis de omni re scibili scripsit, ann. 1240. 1250. & *seqq.* Henr. Gandavensis & Trithemius, *de Viris Illustr.*

RUDOLPHUS (a) I. HABSPURGICUS (b).



L O T I C H I U S.

Teutona dum fremeret bellis civilibus ora,
 Ceu rectore carens errat in amne ratis.
 Imperii *Primus* moderatur fræna RUDOLFUS,
 Restituitque almæ nobile pacis opus.

H O F M A N N U S.

Austriaca surgo (c) lumen prænobile gentis,
 Et lapsum Imperii (d) rursus adorno decus.
Ottocarum (e) subigo, caveo vestigia Romæ (f),
 Ex me Sceptrigerum gens numerosa (g) fluit (h).

E N A R R A T I O.



Illius (a) Alberti Sapientis, lecti expeditionis Christianæ adversus Saracenos Ducis, ann. 1238. & ad Accaron extincti, præcipuum gentis decus & novæ dignitatis auctor extitit. (b) A. castro in Helvetia id cognominis Familiæ illustri inditum: cujus primus auctor Erchenbaldus seu Erchinoaldus, Gerbertæ Richomere Patritio & Gertrude Hamaticensi genitæ filius, Clodovei II. Palatii Magister, ex Leudesio fil. itidem Palatii Mag. & ab Ebroino cæso, circa ann. 680. Ethiconem nepotem habui cogn. *Adelricum*, Alsatiæ Ducem a Theodorico Franc. Reg. creatum. Inter filios hujus Etho seu Hetto Albericum genuit, Eberhardi Jun. patrem: quo editus Hugo Com. trium familiarum x *Alsatica* hac procedentium. *Lotharingica*, *Dagsburgica* & *Habsburgica* caput fuit. Et quidem Guntramus, filiorum natu minimus, cogn. *Dives*, Habsburgum nactus, Sevit Comites Habsburgios, ac in seditione Ludolphi Saxonis adversus patrem, illi adhærens, ditionis parte mulctatus est, ab Ot-

Ee

tone

tone I. Imp. & defunctus ann. 946. Eo natus Lancelinus vel Gonzelinus, filios habuit duos: quorum minor patri cognominis *Zeringia* Duces ex se dedit; major Rapato seu Ratbodus *Habsburgios* continuavit: e cujus posteris Adelbertus vel Albertus Dives, *Landgravius Alsatie* titulo auctus, Rudolphum genuit, ex minori fil. Rudolpho Taciturno ultimorum Comitum *Habsburgiorum*, *Lausenburgiorum* & *Kyburgiorum*: ex majore vero natu Alberto Sapiente prefato Rudolphi Imp. *Austriacorum*, auctorem. (c) Cum patri successisset, redux Palæstina, Magister Aulae Ottocari Bohemæ Reg. factus est. Inde varia in Helvetia & Alsatia bella gerens, eam singularis fortitudinis famam sibi comparavit, ut a Tigurinis, Uriis, Suis, Basiliensibus, ac Argensinensibus, certo stipendio militiæ Dux designaretur, ann. 1261. sed Nobilitatis violentiæ, aliis bellis occupator, resistere satis non poterat. Interea cum tot jam per annos Interregni undis fluctuasset Imperium, multi Principes Germaniæ Quedlinburgi conventu indicto, fœdus *de se invicem non offendendo, & injurias communibus opibus repellendo* inierunt. Quib. mox Gregorius X. ut Imperatorem eligerent, nisi a se sibi aliquem præfici vellent, injunxit. Alio itaque conventu Francofurti instituto, quia tam diuturno Interregno pene dissolutum Imperium forti & prudenti restitutore egere videbant, omnes, ex commendatione in primis Wernerii Moguntini & Ludovici Palatini, (d) in Rudolphum, in obsidendo tum Episcopo Basiliensi occupatum, consenserunt, eique per Henricum Pappenhemium insignia obtulerunt, ann. C. 1273. Sic Imperator lectus, Friderico Com. Zollerio, qui avunculo primus nuntius dignitatis Imperialis fuerat, *Burggraviatum Noricum* contulit, anno eod. sequenti vero a Sigfrido Colon. Archiepisc. coronatus est. (e) Post Marchionem dein Badensem & Com. Wirtembergicum coercitos, ann. 1275. Ottocarum Bohemum, quod Austriam (seudum Imperii masculinum) reddere nollet, in ditionem accepit, *superbiamque ejus dissoluto tabernaculo risui propinavit*, ann. 1276. rebellem, ex uxoris instinctu, 14. mill. cæsis vicit ac per Austrios, quibus illum permiserat, occidit, ann. 1268. regnum tamen, filio ejus Wenceslao, elocata ipsi filia Jura, reliquit, addita Silesia. Austriam Alberto, ann. 1282. Sueviæ Ducatum Rudolpho, filiis donavit, ann. 1283. Burgundiam Imperio adjecit: in Thuringia, alibique ad 60. vel 80. arces latrocinii infames demolitus est. Erfordiensemque seditionem sedavit, ann. 1289. post Tilonem, qui se pro Friderico Imp. venditaverat, combustum, ann. præcedente. Inter Nobilitatem vero & provincias Helveticas pacem fecit, ætatis harum privilegiis; datis quoque præfectis, *non Austriaco, sed Imperii nomine*. (f) Italiam, *scilicet* monitus, ingredi noluit, *vestigia se terrere*, ex veteri de vulpe apologo, caufatus, illamque neglexisse visus est, ut qui libertatem civitatibus, Florentiæ, Bononiæ, Genuæ & Lucæ vendidisse, Pontifici Nicolao III. autem Exarchatum concessisse dicatur. Vicarium tamen eo misit. Hoc certum, superbiam & fastum Romanensium mire sub eo in Italia crevisse, Imperii vero vires ex eo tempore vehementer imminutas esse. Idem Provinciam quoque Galliæ partem, seu Regnum Arelatense Carolo II. Siculo jure fiduciario possidendum permisit: quod Philippus Pulcher Galliæ Rex postea obtinuit. In Imperio autem, ut *Germanica lingua* publica instrumenta scriberentur, primus sanxit. (g) Ex nulla enim Familia plures unquam Cæsares prodire, ut videbimus. (h) Valde jam senex, postquam vitæ finem sensit adventare, *Eamus Spiram*, inquit, *ad alios Reges* (ibi enim Imperatorum multis sepulchra) jamque vicinus urbi, *Germershemii* decessit, ann. C. 1290. ætat. 73. Imp. 17. quod decies quater collatis signis superior extitisset *Victoriosi* cognomen adeptus, insuper facilitate ac clementia laudatissimus Princeps. Cuspinianus in *Rudolpho Cæs. Phil. Jac. Spenerus Sylloge Geneal. Histor. in Fam. Austr.* Siffridus, Henr. Stero, Æneas Sylvius *Histor. Bohem.* Trithemius, Nauclerus, Aventinus, Alii. Eo imperante, Michaël VIII. Palæol. ob nimium cum Latinis commercium spretus a suis, obiit ann. 1283. successore fil. Andronico II. qui patrem ob eandem causam in loco sacro tumulari noluisse dicitur. In Italia, præter jam dicta, Joanne a Prochyta impulsore, Galli omnes in Sicilia, Paschatis die, signo vespertini officii dato (unde *Vespera Sicula* dictæ) sine ullo ætatis sexusve discrimine, occisi, ac continuo Petrus Aragonius, Constantiæ Manfredi genitæ maritus, regnum occupavit, ann. 1282. Thom. Fazellus *de Reb. Siculis lib. 8.* In Gallia, Philippus, Navarræ regnum filio per uxorem acquirit, ann. 1276. qui patri successit, Philippus IV. *Pulchri* cognomine insignis, ann. 1285. Guil. de Nangis *de Gestis Philippi III.* In Portugallia, Dionysius Rex, liberalitatis fama inclytus, regnat, ann. 1290. In Anglia, Eduardus I. Henrici fil. Wallos Leolino duce rebellantes cæcidit, ann. 1282. & Judæos Anglia expulit, ann. 1287. Polydorus *lib. 17.* Quantum ad *Ecclesiam*, Waldenses ut in omnibus fere locis crescebant, ita & persecutiones adversus eos, qui tamen dirissima quæque adeo constanter tolerabant, *ut Episcopi & Judices stuperent*, circa ann. 1280. Mornæus *Myster.* At Romæ, Gregorius X. in Concilio Lugdunensi, cui Michaël Palæologus interfuerat, Ecclesiam Græcam subjecit Romanæ, (quo successu, jam diximus) & *ceremonias in electione Pontificis observandas in posterum*, sanxit, an. 1274. Sequuti eum; Innocentius V. Adrianus V. & Joannes XXI. brevis ævi, ann. 1275. & 1276. Post quos Nicolaus III. Siculæ conjurationis faber, ann. 1282. successorem habuit Martinum IV. qui Petrum Aragonium excommunicavit, ann. sequente, & Germaniam per summam avaritiam expilavit, ut &, qui eum excepit, Honorius IV. *quarta ex Germania bonorum Eccl. petita*, ann. 1287. Probo vero Tullensi Episc. in *Romuleos* hos *vultures* acriter invecito, Aventinus *Annal. Bojor. lib. 7.* & Bulingerus *de Concil. lib. 12.* Successit Nicolaus IV. ann. 1288. In eadem Communione, florere Wilh. Durandus auctor *Rationalis Divinorum*, & Jac. de Voragine, *Legenda aurea*, (quam ab homine ferrei oris, plumbei cordis, scriptam dicebat Claudius Espensæus Theologus Sorbon. ex Lud. Vive) auctor, ann. 1280. 1290. Vid. Trithemium *de Scriptor. Eccles. p. 300.*

ADOLPHUS (a) NASSOVIUS (b).



L O T I C H I U S.

Scandit ad Imperii venerabile culmen ADOLFUS,
Dejectus quo mox Rege sequente fuit:
Qua vetus in flavum præspectat Vangio Rhenum,
Cæditur, at cineres urbs Nemetana tenet.

H O F M A N N U S.

Nassovio fasces capio (c) de sanguine, verum
Imperii gentes (d) dum male tracto mei:
Milito dum Britoni (e), mereo & stipendia (f) Cæsar,
Et vitam Albertus (g) dempsit & Imperium (h).

E N A R R A T I O.



Illic (a) secundo genitus Walravii, lineæ Weisbadensis auctoris, (b) Vid. ubi nos *de Nassovia Fam.* (c) favore Gerhardi Moguntini ad Imperium proventus est, post aliquot mensium interregnum, ann. C. 1291. (d) Thuringiam, emptam ab Alberto Landgr. qui in pellices propensus legitimos suos filios iniquissime exheredaverat, bello cum his gesto, crudeliter devastavit, aliis quoque Imperii regionibus non mitius habitis. (e) Ab Eduardo I. Angl. Reg. stipendio 100. mill. aureorum, contra Philippum Pulchrum Gall. Reg. conduci se sivit, nullo tamen impensæ pretio. (f) Hinc a Principibus depositus, & Albertus Austriacus, qui, eo contempto, *Si Dominus meus se stipendiarium Anglo facit, quidni ego me Franco*, inquiebat (g) electus, Adolphum in prælio ad Dornberg in agro Wormatiensi, propria manu confodit, ann. C. 1298. Imp. 8. Cuspinianus in *Adolpho*, Albertus Argentin. Chron. Trithemius Chron. *Hirsaugensi & Sponheim.* Naclerus, cæterique supra laudati.

laudati. (b) Ejus tempore Orienti adhuc Andronicus II. præfuit. In Asia Seraphi, Sultanus Ægyptius, totam Syriam occupavit, ann. 1291. Othmen seu Ottomannus, Ertulus filius, a Turcorum Principe Iconiensi Carmaniz præfectus, ann. 1297. *fundamenta Ottomannicæ potentie, quæ hodieque dominatur*, jecit; Chalcocondylas *de Reb. Turc. lib. 1.* In Italia, Carolus Claudus Caroli II. Andegav. fil. Apuliz Rex, ex captivitate dimissus est a Petro Aragonio, ea lege, ut *Neapoli, Calabria, Apulia & Tarento* contentus, *Siciliam & Sardiniam* Aragoniis relinqueret, ann. 1288. Paul. Æmylius *lib. 7.* In Francia, Philippus Pulcher, Aquitaniam occupavit, ann. 1293. & Flandriam, ann. 1297. Idem *lib. 8.* In Anglia, Eduardus, ob duas naves captas, Normanniam vastavit, classemque Gallicam vicit, ann. 1292. sed Aquitaniam amisit, ut dictum, Polydorus Virg. *Histor. Angl. lib. 17.* In Scotia, Johannes Balliolus, eodem provchente, post magnas dissensiones, Rex fit, ann. eod. In Polonia, Primislaus nomen Regium, a Majoribus per 200. annos intermissum, repetiit, ann. 1295. in Bacchanalibus cæsus, ann. 1296. Martinus Cromerus *de Reb. Polon. lib. 11.* In Hollandia, Joannes Com. contra Frisios, Episcopo Trajectensi *eum frustra excommunicante & remissionem peccatorum bellantibus concedente*, feliciter pugnavit, ann. 1297. Matth. Vossius *Annal. Holland. lib. 4. & 5.* Quod ad *Ecclēsiā*, Græca a Romana denuo se sejunxit, Synodo Adramytti ab Andronico habita, Nicephorus *lib. 6.* Petrus Joannes Bitter, Franciscanus & Petrus Cassiodorus Italus, quod *Papam Antichristum esse* scripsissent, e monumentis extracti combustique sunt: Mainardus item Tirolis Com. a Tridentino Episc. excommunicatus, in vitam Episcoporum graviter invecus est, Aventinus *Annal. Bojor. lib. 7.* Romæ, post obitum Nicolai IV. & interregnum 27. mens. electus est Cælestinus V. sed huic mox (per vocem desuper in cubiculum ejus clanculum demissam, qua monebatur *Papatum deponeret, si salvus esse vellet*,) decepto successit Bonifacius VIII. ann. 1294. Platina & Ciaconius, *Vitis Pontif.*

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

A *Dolfi Nassovii* Imp. genus & stemma habent Reusner. *Bas. Gen. p. 143.* Bucelin. *Nucl. H. U. p. 298.* Cario *Chron. l. V. in Eo*, Bert. *de German. II. 24.* Grot. *Sylv. II. 1.* Smallegang. *Geslacht-reen. des Hais van Nassau, p. 40-45.* Sed cui non dictus Hylas? Fuit Walravite (PF. PR. Rudolphi Habsburgii Imp.) ex Adelheide; comite Cartimeliboci, F. Henrici Divitis N. Uxor Ejus fuit *Imagina*, Gerlaci Limburgensis Comitis F. ex qua sustulit, secundum Smallegangum, I. *Henricum*, qui tenera ætate obiit. II. *Rupertum*, cui nupsit Juditha, Wenceslai VI. Bohemiz Regis F. in Socreri regno & servitio mortuum: (hic est ille, qui in fatali illo prælio captus, Moguntinoque traditus se redimere coactus est impendio aliquot locorum.) III. *Gerlacum*, qui ex Agnete, Conradi Hassiæ Landgravii F. Pater est familiarum Weilburgensis, Idsteinensis, Sarapontanz. IV. *Adolfum*, natum Imperatori, de quo nihil porro reperio. V. *Adelheidem*, Vestalem. VI. *Imaginam*, mortuam virginem. VII. *Machgildam*, uxorem Rudolphi, Electoris Palatini. Imperator electus est 20. Maji 1292. Francofurti ad Moenum, *Principum Electorum uniformi consilio & consensu*; ubi *Dux Austria seductus a Suevis*, per literas & nuncios solennes vocatus & rogatus, ascendere ad Rhenum, spondentes ei coronam Regni ac eligere Eum in Regem Romanorum: ita spe sua frustratus, receptis a Rege Romanorum fœdis suis reversus est. Hist. Australis *ad an. 1292.* Natæ postea invidia & æmulationes, ignem sufflante Domino de Swaimaw, quem *Virum probum & Ministerialem solennem Albertus de terris & confinibus suis, contractis castris & destructis munitionibus suis, expulserat.* ibid. *ad an. 1296.* Hinc tandem, quia *Albertus* repulsam nunc injuriam interpretabatur, Principum conspiratio Viennæ pro Alberto adversus *Adolfum* Imp. an. 1298. *ibid. d. an.* Ille ergo advolat copiis suis & factionum auxiliis succinctus, & a Suevis ac Alsatiz magnifice ad invidiam *Adolfi* recipitur. Tunc Archiepiscopus Moguntinensis Regem *Adolfum*, per sententiam justam & condignam, (imo nec citatum, nec auditum damnavit ob causas mox dicendas:) *Moguntia factam exsecrat* (i.e. Consecrationem olim factam declarat nullam:) & *condemnat.* (i.e. deponit, sed præter juris & æqui formam:) & in vigilia B. Johannis Baptista facta electione *Albertus Dux Austria in Regem Romanorum est electus.* ibid. *ad d. an.* Scilicet bonus ille Archimysta Fortunam potentioris secutus est; tum & irarum causæ fuerant, quod avaritiæ Moguntini non objecerit *Adolfus* pinguem aliquem bolum ex illis 100000. aureis Anglicanis: vide Paralip. Ursp. *ad b. an.* Porro quia amplius nolebat esse *Rex Sacrisanctorum, Der Pfaffen-König*, (ita ideo vulgo dicebatur:) i. e. ex Moguntini præcipue, ac aliorum Archimy-

starum voluntate perdere, qui sibi summam rerum vindicabant, nomen duntaxat potestatis inane *Adolfo* relinquebant, ut habet Aventin. *l. vii. p. 578.* hinc illa Chron. Magni Belg. *ad b. an.* intelligenda: *Quod Adolfus se negligentius ad Principes gessit, consilia eorum postposuit, & militaris ordinis homines Eis præposuit.* item Chron. Colmar. *part. II. ad b. an.* aperte: *Quod nollet regnum secundum Eorum Principum regere voluntatem, taliter sibi mutuo loquebantur: Adolfus Rex pauper est in rebus & Amicis, Regnum sub Eo breviter deficiet in divitiis & honore.* Ita illi. Prætextus execrabilis SC. contra *Adolfum* inauditum vulgati fuerunt: *Admissum homicidium, stuprum in virginem, socordia, negligentia, perjurium, quod a Francis intercepta non repeteret.* ne sine pompa fieret SC. Moguntinus Pontifex, Brandeburgius, Legati Regis Bohemiz (nam Trevirensis & Palatinus venire noluerant:) Saxonem velut arbitrum tribunali imponunt, ibique *Adolfum* accusant, sed absentem, nec citatum; cum Palatinus sit, de querimoniis adversus Imperatorem delatis cognoscere, jus dicere, sententiam pronunciare. vide Avent. *l. l. p. 587.* Præclarus ille Consanguineus *Adolfi* Moguntinus Gebhardus (Al. Gerhardus Sigefridus:) Epsteinius ultro insuper illi imputabat ingratum animum, Ecclesiarum vastationem (solenne illo ævo carmen contra illos, qui Clero non placebant:) diminutionem Imperii, mercenariam militiam. Et tamen post Idem videns exanime interfecti cognati *Adolfi* corpus flens (crocodili lacrimas!) inquebat: *Ab quam sunt res humanæ deploratissima! Ex probissimum cor, quod in mundo est, hic jacet prostratum!* Vide Ursp. Paralip. *ad b. an.* Ergo calumniæ fuerunt imputata, non probata, *Adolfo* crimina. Tandem in avarissimo Præfule magnum momentum habuere ad res novas & conspirationes molientes, irruptis Wenceslai Bohemiz Regis cum Gutha Sorore Alberti Austriaci Pragæ an. 1297. ab Alberto ei inescando promissa argenti 5000. marcæ, sive uncie 40000. Aventin. *l. l. p. 585.* Hoc ipso tempore *Adolfus* Imp. expeditionem in Francos parabat, ob Arelatense regnum aliaque Imperio prærepta, (Stero *ad an. 1294.*) copias promittente & ingentes sumtus (100000. Aureorum aut 100000. Marcarum Argenti, aut 75000. pondo Argenti, ut Paral. Ursp. *ad b. a.* feruntur fuisse:) representante, sub conditione mutui auxilii, Eduardo I. (qui alias & IV. est:) Anglorum Rege, cui cum Philippo Pulcro Galliz Rege bellum erat. Atque hæc est invidiosa illa militia mercenaria, quæ pro Imperio tamen fuit. In his destinatis vero impeditus est Imperator. restiterat enim machinationes Moguntini, cui ideo bellum indixit, & per Rupertum F. in quodam castro Eum obsedit, cum Egram aut Cadanum ad conductum properaret conjurationis.

tionis Auctor & tuba, unde partes factionum capite absente tunc re infecta dilapsi multis risum inanium molitionum praeberunt. Stero Althahens. *ad an.* 1297. Hinc serio rem sibi fore cum Alberto vidit, quare Ejus fautores mature atterere, & ipsum in ordinem redigere conatus est. Sed Albertus hic a conspiratis factionum partibus animatus jam aperte summam rerum affectat, socios parat, copias contrahit, ex varia Austriorum, Bohemorum, Ungarorum colluvie. Ottonem Bavarum Affinem, Adolfo fidum alias, expugnat 16000. unciarum argenti puri puti, ut cunctis bonis vitio vertentibus, potestatem transeundi concederet, uti suis ad Rhenum laborantibus suppetias ferret, quo facto secreta interioraque patriae hosti inveterato prodebantur, nec enim tantus exercitus ex variis nationibus, dissonis moribus & lingua, absque maximo regionis & incolarum detrimento, etsi amicissimus atque abstinentissimus fuisset, transire potuit. ita sine fuco loquitur Avent. l. l. p. 586. Monachium, (deprecantibus adventum Augustanis, ne perfidiae nota inurerentur.) ubi venit, eo Rudolfus Palatinus cum paucis nihil hostile animo agitans ad Avunculum paci studens festinat, in gratiamque Socerum cum Avunculo redigere conatur. verum frustra hanc operam sumebat, nam Albertus spe Imperii captus haud ulla pacis conditiones accipere dignabatur; sed & Rudolfus victus Matris (quae Alberti Soror erat:) precibus pollicitisque Avunculi parum a defectione abfuit, nisi Amici ab Adolfo pecunia redempti eam summopere dissuasissent. notes mihi scitor, quod ceperit labascere, revera enim postea lapsus est, & Dominum deseruit. Itaque ad Sommerum Ulmam, ubi Eum ille expectabat, perrexit. Interea Albertus ceptum persequitur iter, militibus suis obiter ubique, quicquid in villis erat, etiam sacras Superum aedes diripientibus. Avent. l. l. Landsbergae Albertus Caesarem, quem Lyci campos cum copiis infidere, seque hostili animo operiri opinabatur, longius abesse cognovit, tantoque metu liberatus ob id laetus fuit, atque serio triumphavit. Sic nemine prohibente in fines suos incolumi exercitu tandem pervenit. adjuvabant Eum Argentiniensis & Constantiensis Episcopi, & quidam Nobiles. Stero *ad an.* 1298. Hoc ubi nunciatum est Caesari, per Rudolfum Palatinum Generum & Alberti Sorore F. invitat Albertum heroico animo, ut secum aperto Marte congregiatur, armisque de corona disceptet. at hic pugnam detrectat, se ad sua tutanda, non ad vi decertandum cum quopiam venisse, ait: copiam ergo confisgendi hosti denegat, fugamque simulat. nondum enim ad plenam maturitatem venerat conspiratio Gebhardina. Adolfus avidus pugnae subsequitur vestigia cedentis, Albertique tergo haeret. Utrunque multa mala, data acceptaque vulnera, varia hinc inde victoria, omnia infecta latrociniiis erant. nusquam totis viribus dimicatum. Austriacus peditatu valebat, quod privatim egregia liberalitate, publice maximis muneribus donativa largiebatur, carus militibus. Ejus exercitus in dies magis & magis augebatur, accedentibus novis insuper auxiliis. Caesar tamen equitatu Albertum superabat, ob avaritiam (ita interpretabantur neglectas largitiones inimici:) militibus, si hosti credimus, inivisus. Fines tamen Alberti ad Rhenum igne ferroque vastat, praedas abigit. Nemo citra periculum maleficiumve ultro citrove commere poterat. Hae Aventini fere verbis, ex l. l. diximus. nemini tutum erat peregrinari. viae regiae herbis & gramine plenae. Paral. Ursp. *ad b. a.* quia nulli erant viatores. interim Caesari auxilio properat Otto Bavarus, & Albertum Comitum Hagerlochum transitu prohibentem obiter caedit, insperata victoria potitus. Hic Hagerlochus multos funes ac catenas pluresque novaculas secum habuerat: nam certus victoriae Bojos funibus colligatos, catenatos tonsosque Avunculus Nepoti, Albertus Alberto, mittere destinaret. at in auctores conversa sunt ista. caesi sunt comites Hagerlochi cccxl. pauci fuga elapsi. Ita triumphans venit ad Caesarem, qui tum Rufachium, Argentoratensis Episcopi municipium, obsidebat, maximo gaudio exceptus. Avent. l. l. Si verum sine fuco amamus, Adolfus Alsatie Praesidem constituerat Comitem de Ferraria, & Hartmannum de Geroltzeck Praesidem ditionis Cirsbenanae, qui duo cum Equite avarato de Bergheim graviter nocebant Alsatie, & Conrado Lichtenbergio, Argentoratensi Episcopo, damna inferebant. Quare Episcopus & Civitas Argentoratensis cum Dominis Lichtenbergiis, Ochsensteinis, Landgraviis Alsatie, Comitibus Frisingensibus, Bipontinis, multisque aliis Principibus & Dominis confederabantur contra Adolfum, non laturi Ejus & suorum Praesidium tyrannidem. Paralip. Ursp. *ad b. an.* Capiant hinc Principes exemplum, ne ad scelera, faci-

nora, concussiones & cruciationes Magistratum Provincialium, quos sanctos & continentes caute legere debent, & provinciam male administrantes statim amovere ac pro re nata punire conniveant, hasque tolerando suas faciant. Solet enim populus Dominum imputare impunita Ministrorum flagitia, unde janua patet rebus novis. Interim dum haec aguntur, Moguntinus jam ab obsidione liber, *ad Regis Adolphi humiliationem fraude occulta laboravit, non quiescens, donec venenum mente conceptum crudeliter expueret.* apud suos jactabat & assererat, quod ante Electionem Regni Adolphi sollicitationes de conferendo Regno factae essent Alberto duci Austriae, filio Regis quondam Rudolphi, sub certis instrumentis, per idoneos Barones internuncios sibi missis. Albertum porro invitaverat, ut collecto exercitu ad partes Rheni veniret, ad capiendum Imperium, ceu ad quod antea fuisset designatus. nec tamen omnino confidebat Albertus verbis Archiepiscopi, qui ipsum scilicet primo, ut ferebatur, electum defraudasset Adolfum praeferebat. Hae ex vetusto Chron. Wormatiens. in Paralip. Ursp. *ad b. an.* Apud popellum interim per conjuratos eorumque emissarios Adolfus lacefatur publice privatimque, tanquam inutilis, Imperii & publicae Utilitatis perniciosus, qui malefactis meruerit Imperio privari. Paral. Ursp. l. l. Interea Albertus, evitato Caesare, per Argentoratensem agrum Moguntiam, tibi conspiratae factionum Adolfo adversarum partes jam conveniant, contendit. Inde Alzeiam, oppidum Rudolphi Palatini, ut Eum a Caesare abstraheret, obsidet. Hic Albertum Moguntinus cum civibus Moguntinis accessit; socialisque operas in oppugnanda, expugnanda, incendienda atque vastanda Alzeia conjungit: *elegitque ibi, Aliis contradicentibus, & absentibus Electoribus, dictum Albertum Ducem in Regem, apud villam Schafhausen, pertractantes invicem, quomodo amantissimum Regem Adolfum perderent, occiderent vel privarent.* haec sunt ipsa verba Chron. Wormat. l. l. Adolfus de hisce rebus certior factus, arma in Albertum qui inter coenobia Munsterdreis & Rosenthalium castra metatus erat, Hist. Austr. *ad an.* 1298. intrepidus movet, castra proxime hostem metatur in prato Heppenheimii, Chr. Worm. l. l. Spira ante haeserat, expectaturus, quid Electores Moguntiae essent designaturi. at vero de Alberto electo certior factus in subsidium sui exercitus accepit civitates Spiram, Wormatiam, Francof. Par. Ursp. l. l. at Chr. Worm. l. l. ait in auxilium cives Wormatienses honorabiliter occurrisset; sed dum Rex se praecingeret contra hostes iturus, bona fortuna Eos Wormatienses domum rediisse. Res ita se habet. Albertus in agro Vangionum confidens & Regis Romani nomine jam assumpto, quanquam tum equitatu Adolfum superabat, tamen milites Urbium Imperialium, & copias Boemundi, Electoris & Archiepiscopi Trevirensis, quas in auxilium Caesaris postredie adventare fama erat, metuens, noctu cum Comitibus cedit, fugamque simulat. Adolfus ubi hoc cognovit, prima luce, non expectatis peditum cohortibus, auxiliarique manu, (quas tamen ut expectaret, prudentissime erat monitus:) animi vehementior avidus ad quartum decimum lapidem cum paucis equitibus Albertum fugitantem, ut ipse rebatur, insequitur. Chr. Worm. ait l. l. quod transverberavit & occiderit illum, qui in armorum similitudine oppositi Ducis (tanquam si foret ipse Albertus: strata-gema hic obfero Alberti, qui ita Adolfum ab auxiliis longius abduxit:) occurrisset. fit confictus toto medio die, Paral. Ursp. l. l. Albertus vero id operam dederat, ut adversum haberent Solem hostes. Mart. Pol. App. *ad b. an.* erat enim summus aestus, ut praeco multi suffocarentur, interque eos Otto Ochsensteinus, supremus Vexillifer Alberti, & Comes Isenburgus, Vexillifer Adolphi. Paral. Ursp. l. l. Albertus, ubi conspexit, cum tam paucis Adolfum, copias suas, circiter 1500. milites, in tria agmina divisit: Adolfus Equites, quos admodum 500. penes se habebat, bipartitus erat. Primae Turmae, quae ex Bojis & Palatinis erat, praerant Rudolfus Palatinus & Otto Bavarus: Alteram ex Belgis & Rhenanis ducebat Caesar. Boji pugnam cient, Austriaci fortiter repugnant. Adolfus Bojis subvenire quam celerrime, ut aciem hostium facilius perumpant, festinat. Interim dum Rex Adolfus in spe victoriae viriliter usque ad lassitudinem corporis debellat, Rudolfus Palatinus, Gener Adolphi, terga vertit in fugam, sine omni vulnere, suis omnibus Eum sequentibus & fugam aliis quoque incutientibus, sicut cum Avunculo, praedicto Duce Alberto pridie, ut firmiter credimus, fuerat praconceptum, & sic suorum adjutorio destitutus Rex Adolfus occubuit; quae servata debemus Chron. Worm. l. l. quod hoc ipso aeo scriptum est. dum ergo Adolfus equum calcaribus urget, ac impetu vasto fertur,

fertur, equo decedit, moxque a comitibus rursus sublatius, rejecta galea, adaperto capite, solus concitatus, quam par erat, in turmam, ubi Albertus erat, invehitur. Avent. l. l. at Stero Altah. Ann. ad an. 1298. accusat primo nimiam Adolphi festinationem bellicis rebus non expedientem; dein narrat, Bojos & Palatinos fortissime ac pertinacissime pugnasse novo bellandi genere, gladiis præacutis, quibus omnes dextrarii (i. e. equi militares, quorum 1400. cecidisse tradit Engelhus. Chron. p. 260.) confossi perierint: pedites, super acervos cætorum equorum militumque, adhuc diutissime præliatos. Prima acie, cum Adolphus suis vellet succurrere, & aciem præcedendo ordinare, cujus rei erat peritissimus, equo suo cadente ex infortunio, ante ingressum ad bellum, cecidisse, & ab eodem equo gravissime esse concussum, adeo ut cum a Suis restitueretur in equo, minime sui compos esset, nec galeam præ debilitate recente ferre potuerit, atque sic se hostibus exposuisse minus caute. Hostes Eum conficati, ordines laxant, impetui cedunt, furorique Adolphi dant locum: mox Eum circumveniunt, equo Ejus confosso. advolat statim Albertus, & victo crudeliter ac ferocibus verbis ita insultat: *Hic dimittes Imperium!* cui composita & pia mente regeffit Adolphus: *Hoc esse situm in Dei manu.* Avent. l. l. Paral. Ursp. l. l. (Lehm. Cbr. Spir. V. 118. illa verba confundit, & alterius alteri adscribit male.) ita gemino vulnere, altero secus oculum, altero, cum jam humi prostratus esset, in collo, perit. contigit hoc prælium 3. Julii, 1298. in Vangionum agro, inter Roromonasterium, Præmonstratensis instituti, pagum Gellinheim, & Rosenthalium Vestalium Bernardinarum Monasterium, in loco *Hafenpubel* dicto Avent. l. l. Stero, & Hist. Austr. ad d. a. existat ibi hodie columna ita inscripta ad rei memoriam: ADOLFUS A NASSAW ROMANORUM REX INTERFICITUR AD GELLINHEIM. Imp. armis vestibisque exsitus deinde Rosenthalii, (Albert. Argent. ad b. a. ait *Frauenfeldæ Monasterio*.) præsentibus ipso Alberto, Moguntino, face harum turbarum; Conrado Argentinensi, aliisque Comitibus sepelitur. Nam Albertus corpus Spiram ad Mausoleum Cæsarum deferri, regioque cultu funerari prohibebat, abdicatum causatus. ita cum Manibus defuncti adhuc luctabatur. quanto generosior Henricus Lucelburgicus Imp. qui translatus hinc Spiram apud Cæsares honorifice condidit? *Postea spatio mensis unius non transacto, solertia Archiepiscopi Moguntini, Electores omnes Francofordiæ conveniunt, & Albertum Austriæ Ducem eligunt,* Chr. Worm. l. l. ab hoc nempe jure *Electiois in manus Electorum resignato, ne de violenta regni usurpatione notaretur.* Paral. Ursp. ad b. a. adde Brunner. Ann. Boj. l. xv. p. 927-982. Observatum est, & notarum inprimis, neque sua morte quempiam conjuratorum, adversus Adolphum, defunctum esse, neque diutius supervixisse; nam pars aquis obruti, pars prælio, nonnulli atra bile perciti interierunt, alii ferro necati sunt. Curiosi & hoc annotarunt, quod tribus sæculis postea, nempe an. 1600. eodem die 2. Jul. Heros Nassavius alium Albertum Austriacum castris exuerit, mutatis fatis, ad Neoportum, reportata insigni victoria quasi Manibus Adolphi Nassovii parentans. Grot. Hist. l. ix. p. m. 569. Fuit Adolphus heros magnanimus, Latinæ ac Francicæ linguæ peritissimus, Rudolfo in oculis fuerat, Paral. Ursp. ad an. 1292. cujus etiam Leges & Pacem Publicam Coloniae 24. Jun. an. 1293. renovavit, confirmavit & jurejurando Principes adexit, Civitates Imperiales valde fovit, Lehm. l. l. 118-125. Omnes uno ore Eum laudant a virtute & peritia militari. quod Cleri immunitates non imminuerit, docet Stero ad an. 1295. Henr. Rossa, Saxo, æqualis Adolphi, in *carm. de Herlingsberga*: comparat Adolphum *Carolo M. Augusto, Julio Cæsari, Constantino.* Fuit tamen homo. Culpatur in eo, quod ab Alberto Landgravio Thuringiam, invitis hujus Filiis & populis, emerit 12000. marcarum Auri, sive 94000. Florenis, privato suorum commodo, quo augeret fortunas suas per se tenues, atque ita Misniam Thuringiamque renitentem immani & crudeli bello vexarit, expilavit, vastavit. hinc non potuisse militem scribere, nec Anglo ferre auxilium. Vide Carion. l. V. in *Eo*, qui tamen Adolfo iniquior est: ut & Siffridus ad b. ann. quippe Misnensis. At quid mali erat rem venalem emere; deinde non adeo tenues erant fortunæ Adolphi; Erat Henrici Nassavii Divitis N. qui ad Rhenum, in Norico, citra & ultra Abnobam latissimas tenebat regiones: porro sedcant calumniatores ad calculos, ut videant, num Anglicanas 100000. totas marcas suo emolumento impenderit, in emenda Thuringia, ut ideo Flandros, quos in Francos incitaret, laborantes destituere debuerit. an ergo 12000. sunt 100000? atqui cum Thuringiam emisse dicitur, nondum habebat pecuniam Anglicanam. Moguntini machinationes eum revocarunt. Furiosum in Thuringia bellum fuit: fateor; an ergo mitius deinde Al-

bertus se gessit? unde ergo proverbium eo ævo apud Misnos: *Schwaben und Schaben, verderben Land und gewand?* Albin. Chron. Misn. tit. 20. adde tit. 15. ubi Carionem corrigit. Sed audiamus Chron. Worm. l. l. *Inter cetera virilia acta Adolphi habetur, quod terram Misnensem in asperissimis frigidibus debellavit, Imperioque (non Suis) subegerit.* Stero ad an. 1293. ita narrat: *Terræ Thuringiæ & Misnenses rebellantes sibi intravit, & duobus annis manens ibidem expugnavit easdem, & Nepotes olim Friderici Imp. persecutores Ecclesiæ, qui easdem terras occupaverant, ejecit penitus ab iisdem.* porro *Marchio, præter alia mala, quibus terram turbaverat, Episcopum & Canonicos Misnenses a suis habitaculis & rebus ejecerat, & horrenum fœni pro equis suis fecerat de Ecclesiæ cathedrali.* Eadem tradit Engelhus. in Chron. p. m. 260. Sordes & avaritiam in *Eo* calumniantur, quia noluit profundam Moguntini avaritiam explere. Idem tamen Amicos non paucos ære redemit, habuitque milites addicissimos, ut ex bellis Ejus apparuit. At Freibergæ Misnorum, arce per proditionem capta, aut per cuniculos expugnata, comprehensos xl. præcipuæ Nobilitatis Viros immani crudelitate securi percussit! Respondeat Stero l. l. *Subito impetu omnes, qui in castris fuerant, captivavit, inter quos quadraginta Viros, qui magni nocentes fuerant, proscriptos ante, sicut hostes Imperii, incontinentiter decapitari præcepit, Aliis ad proditionem Nobilium suorum pro tempore reservatis.* Addit mox his suppliciis terrum *Marchionem se Domini Regis gratia subdidisse, & rogasse, ut Rex illis parceret, quos de servitoribus suis in suis vinculis detinebat, quod factum sit, & sic pacem eidem Terræ redidisse.* Cl. Schurzfleisch. Diss. LV. contr. 6. Adolphum Nassaviu arguit, quod in *premissis Imperio præcepit, & in administrando cautum non fuerit.* statuit enim, „non ex capite juris, sed ex ratione „prudentiæ, Imperium Ei fuisse recusandum: Imperium „tantæ molis excessisse ipsius vires, cujus nervi, ab aliena „tis Imperii vectigalibus incisi essent,“: (At recte Grotius l. l. *Felix, felix foret ille, negatum Jure, nisi Austria des bello quæisset bonorem*;) „Ad hæc Comitum non suis „opibus nixum. (At hoc gratis dicitur;) „tot tantisque „bellorum sumptibus imparem (par certe fuit Misnico & Thuringico;) „non resistendo fore æmulis, quos in Austria & magnis valentibusque Principum familiis haberet: (cur non? cur minus, quam Rudolfus decessor? „Æmulos suppressisset, nisi tum conjurationes, tum Principum „dissensum & perfidia ejus res turbassent;) „Rudolfi Comitum felicitatem singularis esse exempli, nec pertinere „ad quoslibet Successores: (Esto! ergo nihil unquam tentandum, & tollere humo nemo se debet, alieno exemplo licet blandiente; atqui octo annos satis feliciter Adolphus regnavit, si extremas seditiones excipias;) „Non habebat, unde faceret impensas tuendæ dignitati sufficere; „ras: (Atqui satis tuebatur dignitatem, nec pauper erat, ut patet ex dictis;) „Ea ex causa magnam sustinebat inviam, & acerbis passim sermonibus arguebatur, quasi „ab Anglis stipendia acciperet, & venalem bello operam „navaret: (hæc malignæ conjuratorum calumniæ erant, quas jam ante refutavimus;) „Statim ut Imperator renuncius est, invidiosam conatus sui fiduciam intellexit: (hæc alius eadem facilitate negaret, qua dicuntur „mentis alienæ arcana a tot sæculis unde paterent?) „neque, quæ æs alienum dissolvere potuit: (suumne an Imperii? si hoc, de suo dissolvere non debebat, sed de Imperii vectigalibus: si illud, probetur per idoneos testes!) „neque „turbas discordiasque auctoritate sua exstinxit, sed incendit magis: (Cur ergo per Generum Alberto reconciliari voluit, hoc superbe aspernante concordiam? Extinguere tot incendia nequibat, ubi tot faces Conjuratorum erant; quibus nemo Principum par est, ubi hi hydram Lernæam imitantur.) „Novæ post offensæ initium fuit, cum Adolphum incessit cupido habendi, & Principes jure suo tutos „laceffendi: (respondum est in ante dictis, neque hæc jactata omnino extra controversiæ aleam posita sunt;) „His rebus ad malas artes conversus (si quidem credimus calumniis Inimicorum & Calumniatorum Conjuratorum;) „nec famæ consuluit; (at hæc jam vindicata est;) „& pacem quietemque turbavit: (imo verius machinationibus suis Moguntinus & Albertus cum suis;) „Sed „appetens alieni Cæsaris (Imperio Misniam & Thuringiam, non sibi, vindicabat, ut vidimus;) „majores excivit æmulos (atqui Albertus Electo statim erat iniquus „dedignatus, addito cavillo, Filiam dare Adolphi Filio;) „& Imperium vitamque in agro Vangionum amisit (injuria & seditione, ducibus, sed vindicem habuit Deus oculum;) „In quo etsi moderationem requirimus, non tam „men id ejusmodi fuit, ut propterea Imperium ipsi jure „eriperetur. (Recte!) Hæc libuit pro assensu fama Imp. Adolphi sine studio aut odio in medium proferre, cum alias Historici mirifice in *Eo* dissideant, alio hoc, alio illud, laudantibus, vituperantibus.

ALBERTUS (a) I. AUSTRIACUS (b).



L O T I C H I U S.

Ense trucidabat regnantem *Primus ADOLFUM*
 ALBERTUS Princeps ; Austria terra , tuus.
 Ipse trucidatur crudi sic ense Nepotis :
 Sæpius impietas poena vel ipsa sibi est.

H O F M A N N U S.

Rudolphi soboles victrix (c) diadema capeffo ,
Ulcisorque omnes (d) , qui mihi bella movent.
Sed gravis Helvetiis (e) dum sum , gens hacce celebris
Eterno coit fœdere (f) , dante DEO (g).

E N A R R A T I O.



Ilius (a) Rudolphi I. Imp. (b) per Elisabetham , filiam Meinardi præfati , ex Tirolensi Comite Carinthiæ Ducis , & Agnetis Badensis Austriacæ (cujus fratrem cum Conradino Neapoli decollatum supra diximus) uxorem suam , primus ex Habsburgicis *Austriæ Dux*. (c) Cum pater , ut se vivo Rex Romanorum eligeretur , non potuisset obtinere , post obitum ejus , a Principibus Adolpho infensis Cæsar renunciatus , victoria de illo parta firmavit Imperium , ann. C. 1298. & Bonifacii VIII. cum ense & corona Imperiali in publicum prodeuntis ac dicentis : *Ego sum Pontifex & Cæsar* , per Oratores ægre tandem assensum impetravit. (d) Ecclesiasticos Electores , ob injurias quasdam bello Bavarico illatas , se adortos coercuit , ann. 1302. Bohemiam aliquoties frustra tentavit : & a Marchionibus Misniæ & Thuringiæ ,

ringiæ, quos ditionibus excutere volebat, magna clade affectus est, ann. 1307. (e) Helvetiis inprimis gravis visus, dum de Principatu apud eos stabiliendo cogitat: hinc præfectorum crudelitate ac injuriis adacti illi, (f) & quidem nominatim tres isti Pagi, *Urii, Sui-tii & Underwaldii*, prima fœderis fundamenta feliciter posuerunt, ann. 1307. (g) Ipse bello hæc vindicaturus, a Johanne ex fratre Rudolpho Sueviæ Duce nepote (cujus bona tutoris nomine adhuc detinebat) & conjuratis prope Schafhusiam eo loco, cui dein vidua Kœnigsfeldam cœnobium superstruxit, trucidatus est, anno 1308. Imp. 9. vindicta percussores ejus a tergo sequente, quemadmodum & Adolphi quoque *oppugnatores fere omnes violenta periere morte*. Albertus Argentin. *Chron.* Siffridus *Epitome Histor. lib. 2.* Henr. Stero Altach. *Chron.* Felix Faber *Histor. Suev. lib. 1.* Henr. Rebdorf. *Annal.* Trithemius, Naclerus, Alii. Ejus tempore, Andronicus II. Imp. adhuc Byzantinus, Turcis Asia cessit, ann. 1306. quorum dux, Othmen vel Osmanes præfatus, Turcicorum Imp. Ottomanicorum conditor ac pater (unde *Ottomannica Porta* illa Aula dicta) rem Turcicam incredibiliter auxit, ut videre est apud Nicephorum Greg. *lib. 7.* In Italia, *Gibellinorum & Guelforum* (quæ nomina sub Friderico II. de novo increbuerunt) factiones, præ aliis viguerunt: cumque Imperator Italiam non intraret, præcipue urbes sibi Præfectos constituerunt. Antoninus, *Part. 3. titulo 21. cap. 1. 2.* In Gallia, Philippus Aquitaniam Anglo reddidit, ann. 1299. a Flandris victus, ann. 1302. Rob. Gaguinus *Histor. Franc. l. 7. c. 5.* In Anglia, Eduardus, post Johannem Balliolum captum, Scotos, Valla duce rebellantes, cecidit, ann. 1299. Scotiam subjugavit, ann. 1302. & Robertum Brussium Reg. vicit, ann. 1306. Matthæus Westmon. *Flor. Histor.* & Buchananus *Rer. Scotic. lib. 8.* successit Eduardus II. fil. ann. 1307. In Polonia, Vladislao I. Loctico Gedanum eripuerunt Cruciferi, ann. eod. Joach. Pastor. *Floro Polon. lib. 2.* In Bohemia, post Wenceslai filiique ejus cognominis obitum, ann. 1306. Rudolphus cogn. *Mitis*, & juxta Gerh. de Rcë primus *Austriæ Archidux*, adversus Henricum Carinthium, a patre Imperatore, Bohemiæ Rex creatus, obiit ann. 1308. Dubravius *Histor. Bohem.* In Hollandia, mortuo sine liberis Johanne Com. succedere Hannonienses, quorum primus Joannes fuit, Wilhelmi Imp. ex sorore Adelheide nepos, ann. 1299. Flandrorum victor, ann. 1304. Matth. Vossius *Annal. Holl. lib. 5.* In Helvetia, tres Pagi supra dicti, injuriis Præfectorum Imperatoris provocati, fœdus iniere, ann. præf. 1307. & ducibus rusticis, inprimis Wilhelmo Tellio, celebri in illa gente nomine, qui Præfectum, superbia & lascivia ferocientem, sagitta trajecit, ann. sequente, libertatem fortiter asseruerunt. Joh. Simlerus *de Rep. Helvetiorum lib. 1.* Quoad res Ecclesiæ, Waldenses, sub variis nominibus & inauditis calumniis, mirifice inter Monachorum persecutiones crevere, inhibitas tandem a Philippo Reg. in Gallia, ann. 1304. In Italia, *Fratricellorum* nomine exagitabantur, quorum tum Doctores præcipui erant Gerardus Sagarelli Parmensis, & Delcinus Novariensis, Vid. Mornazum *Myster.* & Blondum *Dec. 2. lib. 9.* At Romæ, Bonifacius VIII. *Jubileum annum* instituit, ann. 1299. & se *Dominum Mundi in Spiritualibus ac Temporalibus*, literis ad Philippum Pulchrum Gall. Regem, vocavit, *Fatui* nomine ab hoc propterea insignitus, ann. 1300. qui Rex ulterius pergens, Synodo Parisiis convocata, Papam variorum gravissimorum scele- rum convicit, ann. 1302. ac per Wilhelmum Nogaretum Ananiz cepit, Romamque ignominiose perduxit, ubi is mœrore animi decessit, ann. 1303. Jactatum de illo: *Intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus est ut canis*, Platina in eo. Molin. in *Monar. cap. 8.* Crantzius *Saxon. lib. 8. cap. 37.* Alii. Ei successit Benedictus IX. huicque post dissensionem II. mens. Clemens V. qui *sedem Papalem Roma Avenionem in Galliam transfudit*, ann. 1305. annos 72. Naclerus habet 74. ibi mansuram. In eadem Communione florue- re, Johannes Duns Scotus *Doctor subtilis*, circa ann. 1290. 1300. Raim. Lullius, ann. 1300. 1310. Arnoldus Villanovanus, de quo infra, Alii. Vid. Trithemium *de Scripto- rib. Eccles.* & L. Waddingum *Annal. & Biblioth. Ordin. Minorum.*

HENRICUS (a) VII. LUCENBURGIUS (b).



L O T I C H I U S.

Quis sibi non raso sapiens a fratre caveret?

Ambigis? HENRICUS *Septimus* illa docet.

HENRICO Monachus, sub corpore, toxica, Christi
Occultata sacro pane voranda dedit.

H O F M A N N U S.

Magnanimus, prudens, industrius atque peritus

Pacandi Imperii (c), te quoque, Roma (d), domo.

Pontificum hinc ira (e) immanes, panisque (f) sacratus,

Auctor qui vita est, mi fuit ansa necis (g).

E N A R R A T I O.



Ilius (a) Henrici Com. Lucenburgii, qui praelio adversus Joannem Brabantinum, ob Ducat. Limburgium, commisso ad Woringam cecidit, ann. C. 1288. fraterque Balduini Archiepisc. Moguntini & Trevir. post multas Principum deliberationes, ob studia affectantium Imperium, maxime Philippi Pulchri Gall. Reg. Alberto in Imperio surrogatus est, ann. C. 1308. (b) A Lucenburgo castro, Familiae nomen: quod primus obtinuit Sigfridus ex Ardennensibus, permutationis jure, a Wickerio S. Maximini Trevir. Abbate, ann. 963. In hujus posteris, Ermesindis ex Godfredo Namurcensi Com. suscepit Henricum Lucenburgii Comitem, cujus filia aviae cognominis, extincta ann. 1246. mater fuit ex Walramo II. Limburgio Duce, Henrici I. cogn. *Blondi*, Lucenburgiae gentis novae fatis. Hoc genitus Henricus praefatus,

Ff

tus, pater Imperatoris. (c) Opibus non quidem adeo instructus, at industrius, magnanimus, & prudens, in componendis Germaniæ Italiæque rebus totus fuit. (d) Post Joanni filio conciliatam Elisabetham, Wenceslai Bohem. Reg. filiam ac simul cum ea regnum, ann. 1310. cui addita Lusatia dein, Italiâ ingressus est, non sine precibus, *ne funestæ execrabilesque factiones Italiæ sibi quoque pesti exitioque forent*, ubi urbes rebelles idonea severitate ultus, Brixiam evertit, & Cremonam mœnibus nudavit: Genuæ decretum tulit, *Imperatorem Romanum Pontifici juramentum præstare non debere*, an. 1312. Romæ dein post coronationem, aurum coronarium pro more veteri poposcit, urbi Ludovicum Sabaudum præfectum imposuit, ac Robertum Apuliæ Regem, (e) a Clemente Papa contra se excitum, proscripsit totaque Italia pellere statuit. Sed, dum Florentinos obsidet; (f) Bernhardus Monachus Dominicanus, eorum ut volunt, an Senensium conductu, virus sacro calici miscuit, & per ultimum ac inauditum hætenus scelus, *columnam hanc magnanimitatis & justitiæ, florem germinis Germanorum*, ut est apud Albertum Argentin. *Chron.* subvertit, ann. C. 1313. Imp. 5. quo orbatî Germani Italici belli consilio destitire, vigorque Imperii apud Transalpinas gentes concidit. Conr. Vecer. *de Henrico VII. Imp.* Paul. Langius *Chron. Citiz.* Auctor *Rhythmorum de Imp. hoc*, apud Marqu. Freherum, Aventinus, Cuspinianus, Nauclerus, Alii. (g) Ejus tempore Andronicus II. Byzantii adhuc rerum potitus, Hospitalariis Rhodum reliquit, an. 1310. & Turcis imprudenter contra Alanos evocatis, in Thraciam iter aperuit, ann. 1312. In Italia, Mantuani, Veronenses, Patavini, Veneti, aliique Imperatori se dediderunt, & S. P. Q. R. in eum *omne suum jus contulit*, ingentes insuper Principum civitatumque contentiones, illius auctoritate, sopitæ sunt, circa ann. eund. In Germania Idem bellum Thuringiacum composuit ac Friderico March. cui cum Adolpho & Alberto Imp. de Thuringia Misniaque fuerat contentio, avitas possessiones firmavit, an. 1310. In Gallia, Philippus Pulcher non tantum aboleri Bonifacii VIII. memoriam, sed & a Germanis ad Gallos Augustam potentiam transferri contendit, ann. 1308. ei, cum equo in venatione excussus obiisset, successit filius Ludovicus X. Huttinus. In Hispania, Ferdinandus IV. Sanctii IV. fil. Castellæ Rex, fratres duos Carvajalios, cædis Benavidii insimulatos, capitis damnavit, sed, ad tribunal Dei ab illis vocatus, dicta die decessit, ann. 1312. Fr. Tarapha *in eo*, Alphonsus a Carthag. *de Regibus Hispan. cap. 86. &c.* In Anglia, Eduardus II. primi filius, lascivus ac ignavus, a Roberto Bruffio tota Scotia exturbatus est, ann. Henrici Imp. extremo, Buchananus *Rer. Scotic. lib. 8.* In Hungaria, Carolus Robertus Neapolitanus, Caroli Martelli fil. post æmulos, Wenceslaum Bohemum, & quadriennio exacto Ottonem Bavarum, sub Alberto I. remotos, feliciter regno præst. In Bohemia, Johannes fil. Henrici Imp. Henrico Duce Carinthio, qui regnum per triennium tenuerat, pulso, cepit Pragam, ann. 1311. Dubravius *Histor. Bohem. & Æneas Sylvius cap. 21.* In Helvetia, post obitum Alberti, ultio de Nobilibus sumpta, eorumque arces destructæ sunt, Phil. Jac. Spenërus *in Fam. Austriaca.* Quod Ecclesiæ concernit, in Valdenses Papæ jussu crux assumpta, iique in Italia, Austria, Bohemia male habiti, *consensu tamen unanimi perseverarunt usque ad mortem*, Abbas Hirfaug. *Chron.* Præter hos Dantes Aligetiuss Poëta, & jam ante eum Arnoldus Villanovanus, in variis Pontificem & Clerum arguerunt, circa ann. 1310. & seqq. Dantes *Tr. Monarchia*, Auctor *Chron. Noriberg.* Vid. etiam *Colloquia* Friderici Reg. Sic & Arnold. de Villa Nova, laudata Phil. *Mornæo Myster. Iniqu. p. 436. & seqq.* At Avenionē, Clemens V. Venetos excommunicavit, & Franciscum Dandulum Ducem eorum, qui deprecatum venerat, ad pedes suos provolutum, *ferrea catena collo revinctum, instar canis* (unde illustre nomen) *subter mensam suam jacere permisit*, ann. 1310. Viennæ dein Concilio habito, *de Bello Sacro, de Reformatione Ecclesiæ, & excidio Templariorum* egit, ann. 1311. & quidem hi, in gratiam Philippi Reg. qui præsens Concilio intererat, hæreseos condemnati, ac uno quasi momento excisi sunt, ann. 1312. cujus rigoris causam nimias illorum opes fuisse, haud pauci autumant. Vid. ubi nos de *Templariis*.

LUDOVICUS (a) V. BAVARUS (b).



L O T I C H I U S.

Quintus defuncto Ludovicus sceptrâ *FRIDRICO*
 Indomita *Bavarus* corripit ecce ! manu :
 Pontifice offenso qui dum venatur, ab alto
 Concidit exanimis præcipitatus equo.

H O F M A N N U S.

Hostem quinque (c) *meum* vicibus mea dextera fudit,
 Afferui leges (d) fortiter Imperii.
Helvetios (e) fovi, præclaraque plura (f) peregi,
Ausonia (g) jaceo fraude peremptus humi (h).

E N A R R A T I O.



Il. (a) minor natu Ludovici Severi Elect. Palatini, frater Rudolphi itidem Electoris, a plerisque Germaniæ Principibus Imperium ob insignes animi, corporis & fortunæ dotes, capessere, post Henrici obitum, jussus est, ann. C. 1314. (b) Primus separatam a Rudolphi Familia lineam cœpit, *Bavaricam* viz. & extinctis plurimorum Comitum familiis, atque etiam Joanne inf. Bavariz Duce mortuo, eorum hæreditate crevit, sicque in summum culmen rem Bavaricam adduxit. (c) Fridericum Pulchrum, Alberti Imp. filium, ab Henrico Colon. (a quo coronatus) Rudolfo Palatino & Rudolfo Saxone, contra se electum, quinque præliis, opera imprimis Sigfridi Schweppermanni, vicit, cepitque ann. 1322. qui cum dimissus nomen Imperatorium gessisset, annos 16. obiit ann. 1330. (d) Invito Pontifice Johanne XXII.

Italiam ingressus, Mediolanique & Romæ coronatus, Synodo ibi contra Papam celebrata, hunc deposuit, Nicolao V. ei surrogato, urbi Romæ præfectum Castrutium imposuit, aliis quoque oppidis Papalibus & cæteris Imperii civitatibus *Vicarios* dedit, ac antiqua Cæsarum in Pontifices jura exercuit, ann. C. 1328. Inde reversus, in Comitibus Francofurtensibus, de Imperatorum auctoritate, contra insolentiam Pontificum, gravissime disseruit, anno sequente: hinc Joanne, & post eum Benedicto X. vel XII. qui anno 1334. ac Clemente VI. qui anno 1342. succedere, anathemate notatus est, postquam in Comitibus Procerum re denuo ventilata decretum esset: *Pontifici nullum jus competere in Imperatorem*, ann. 1338. (e) Helvetiorum, qui Leopoldum Austriacum vicerunt, ann. 1315. fœdus confirmavit, ann. sequente. (f) Robertum Reg. Neapolitanum proscripsit: Galeatium Vi. cecom. Mediolan. in carcerem conjecit, & Actium fil. ejus Mediolani constituit Vicarium: Philippum Gall. Regem, ut ab occupatione terrarum Imperii abstinere, monuit: Eduardum Angliæ Regem Vicarium Imperii creavit: per uxorem Margaretam (Wilhelmi Hollandiæ Com. sororem) Hollandiam, Seelandiam & Hannoniam stirpi addixit, ann. 1345. Ulmam liberavit, ann. 1346. &c. (g) Tandem Clemens, implacabiliter Imperatori iratus, Carolum Bohemiæ Reg. contra Imperatorem excitavit, ann. 1346. sed cum pro voto nec id succederet, venenum inclyto Principi propinatum est, quod cum venando excutere conaretur, de equo excussus obiit ann. C. 1347. ætat. 60. Imp. 33. Albertus Argentin. *Chron.* Henricus Rebdorf. *Annal.* Jac. Meyerus *Annalibus Flandr.* Cuspinianus *in vita illius*: Nauclerus, Aventinus, Trithemius, Alii. (h) Ejus tempore Byzantini Imperii res indies in pejus ruerunt. Andronicus III. Michaelis Jun. filius, Andronicum II. avum suum, in Monasterium detrussit, ann. 1321. 1328. Successit Joannes IV. Cantacuz. Calo-Johannis II. fil. Andronici Jun. cui Imperium obtigit ann. 1341. tutor, pupillo tantisper summo. Osmanis seu Ottomanni præfati (a quo Turcicorum Imp. series incipit) filius Orchanes, Prusam ann. 1326. Niceam 1331. Nicomediam 1338. & Pergamum ann. 1340. expugnavit, sede Imperii Prusæ constituta, Nicephorus Greg. *Histor. Byz. lib. 9.* In Gallia, Ludovico X. surrogatus est frater Philippus V. Longus, ann. 1316. cui tertius frater successit Carolus IV. Pulcher, quo itidem sine mascula prole defuncto, excluso vi Salicæ legis Eduardo III. Ang. Reg. ex Isabella Philippi Pulchri filia genito successit Philippus VI. Valesius ob jura Eccl. defensa *Catholici* nomen nactus, ejusdem Philippi, ex fratre Carolo Valesio nepos, ann. 1327. unde atrocis inter utramque gentem per 50. annos belli origo. Ipse ingenti prælio ad Clusas, ann. 1340. & ad Cressiacum, ann. 1346. victus ab Eduardo est, in quo posteriori prælio duo Reges cecidere, Joannes Bohemiæ & Rex Balearum, Froissard. *lib. 1.* In Hispania, Alphonsus XI. Mauros devicit, ann. 1340. & Algeziram in Africa cepit, ann. 1344. Roderic. Sanutus *Histor. Hispan.* Petrus IV. Aragonius Jacobum Balearum Regem, paterno pepulit regno, ann. eod. Mariana *de Rebus Hisp. lib. 16. cap. 12.* In Dania, Christophorus Rex, Erii VIII. frater, a Slesvicensi victus pulsusque, ann. 1326. sed restitutus est ann. 1329. Pontanus *Rerum Danic. lib. 7.* In Suecia Magnus II. Smeek, regno admotus, ann. 1319. Holsatis Ketelmundo duce ejectis, Scaniam occupavit, ann. 1332. Joh. Magnus *Histor. Goth. lib. 21. cap. 1. & seqq.* In Polonia, Cruciferos Vladislaus Locticus superavit, ann. 1331. ei successit Casimirus III. ann. 1333. qui Russiam in provinciæ formam redegit, ann. 1341. In Bohemia, Joannes Lucelburg. postquam multa præclare, in Germania, Italia, Lituaniaque gessisset, Silesiam quoque regno adjecisset, obiit pugna Cressiacena, de qua diximus. Martin. Cromerus *Histor. Polon. lib. 11. & 12.* In Hungaria, Carolus Robertus, Dalmatia, Croatia, Servia, Russia, Bulgaria, Bosnia & aliis Regionibus occupatis, regnum mire dilatavit, circa ann. 1320: ei successit fil. Ludovicus, qui Walachos subegit, ann. 1342. & Croatas 1345. Sed Jaderam per Venetos amisit, ann. 1346. Bonfinius *Dec. 2. lib. 9.* De Hollandia & Helvetia jam aliquid vidimus: addo, Lucernam fœderi accessisse, ann. 1332. Quod ad *Ecclesiam*, Valdensibus Marcam Anconitanam & ipsam Florentiam refertam fuisse, atque inde pulsos in Græcorum regiones se diffudisse, refert Antoninus *Part. 3. tit. 2. cap. 5. §. 1.* Circa eadem tempora, præter Dantem & Villanovanum, scripsit contra Pontificem Marsilius Patavinus, ann. 1320. 1330. Wilh. item Occam, ann. 1320-1340. Trithemius *de Vitis Illustr.* Nicolaus porro Lyranus, annis iisd. & Petrarcha ann. 1340. & *seqq.* At Avenione, Clementis V. successor Joannes XXII. Aliis XXIII. *Clementinas* publicavit, ann. 1317. & *Extravagantes*, circa ann. 1320. & 1325. Vid. *Præfat.* ad utrasque. Eum excepere Benedictus, qui *Cameram Pœnitentiariam* excogitavit, ac se pro *Vicario Imperii* gessit, ann. 1339. & Clemens VI. uti dictum. Vid. Platinam *Vitis Pontificum*. Sed & status Ecclesiæ Græcæ, quam Latinæ reconciliare frustra tentaverat Johannes, ob iniquitatem Patriarcharum valde concidit, Nicephorus Greg. *lib. 8.*

CAROLUS (a) IV.



LOTICHIVS.

CAROLE *Quarte* tuum munus fuit Aurea Bulla,
Munus item Pragæ structa Lycea tuum.
Pargenius meritis, Marte, Arte, Calore, Fideque,
CAROLE *Magne* tuus, CAROLE *Quarte* tuus.

HOFMANNUS.

Aurea Bulla (b) patrem me jactat, Teutonis ora
Quo fulcro salva est, incolumisque manet.
Imperii verum arc (c) meo quod publica nato
Afferui, illius vitricus (d) usque vocor (e).

ENARRATIO.



Henrici (a) VII. Imp. ex filio Johanne Bohemiarum Rege, nepos, a Clemente VI. jam Ludovico oppositus & a quibusdam Principibus electus, ann. C. 1346. nihil tamen pro Imperio egit, Ludovico superstite. Sed & defuncto ann. 1347. in Comitibus Francofurtensibus rejectus, ac Imperium Eduardo primum III. Angliarum Regi, dein Friderico Thuringiarum Landgr. oblatum est, qui tamen ambo se excusarunt. Electus igitur Guntherus Com. Schwartzenburgius, quem Carolus per Medicum ejus pecunia corruptum, submovit, ann. 1349. sicque Imperio obtento, in Italiam transgressus, ac Mediolani primum, dein Romæ, a Pontificis Legato, coronatus est, ea tamen lege, ut *quamprimum Italia excederet*, quod & fecit, ann. 1355. post Henrici VII. & Ludovici V. Augg. mortem extincto, quidquid ad Jura Impe-

rii in Italia propugnanda supererat, vigoris. (b) Inde redux, Galeacio ac fratre ejus Barnaba Imperii per Italiam Vicariis constitutis, *Bullam auream*, quæ & Carolina ab Auctore, partim Norimbergæ, partim Metis, condidit, ann. 1356. Bohemiam dein suam ornavit, ann. 1360. 1370. (c) Ut vero Wenceslaum filium suum ad Imperium eveheret, ex Imperii patrimonio multa vendidit, ac Electoribus vectigalia oppignoravit, ann. 1376. (d) a Maximiliano I. proin alter *Crassus*, Imperiique vitricus dictus. Sigismundo dein alteri filio Electoratum Brandenburgensem contulit: (e) defunctus ann. C. 1378. Imp. 31. Joan. Cuspinianus in eo, Henr. Rebdorff. *Annal.* Gobelinus *Persona Cosmodromio*, Blondus *Dec. 2. lib. 10.* Aventinus *Annal. Bojor. lib. 7.* Naclerus, Trithemius, Alb. Crantzius *Histor. Saxon. lib. 9. cap. 27. 29. & lib. 10. cap. 3.* Albertus Argentin. *Chron.* Alii. In Imperio Byzantino, Calojohannes tum II. Palæologus, cum Joanne Cantacuzeno de Imperio contendens, eum Genuensium opera dejecit, ann. 1355. Amurathi I. Turcar. Imp. Urchanis filio (qui in Græciam transit, ann. 1357. & Genizaros legit, ann. 1361.) tributum pollicitus: qui sedem Imperii Adrianopoli constituit, ann. 1316. Laonic. Chalcocondylas de *Reb. Turc. lib. 1.* In Apulia, Joanna I. a Ludovico Ungaro leviro pulsa, ope Pontificis, cui Avenionem donavit, an vendidit, restituta est, ann. 1352. Pandulf. Collenutius *Histor. Neapol. lib. 5.* In Gallia, Humbertus Delphinatum Princeps Philippo Regi Delphinatum, Cœnobium ingressurus, donavit, ea lege, ut *Regum filii successores, Domini Principatus sint & Delphini vocentur*, ann. 1349. Paul. Æmylius *lib. 9.* Ei successit fil. Joannes, ann. 1350. qui ab Anglis victus captusque, ann. 1356. Aquitania deinceps, ac lytro ingenti perfoluto dimissus, seditionibus vexatus est, ann. 1357. Burgundiam Philippo Audaci filio concessit, ann. 1363. obiit; successore filio Carolo V. Sapiente, ann. 1364. qui, Guesclino duce, Navarrum vicit, ann. 1365. & Anglos, ann. 1370. Idem *ibid.* In Hispania, Petrus Crudelis Alfonsi XI. filius, Castellæ Rex, ann. 1350. ob crudelitatem, a fratre notho Henrico pulsus, ann. 1366. ac confossus est, ann. 1369. Roder. Sanutus *Histor. Hispan. Part. 4. cap. 14. & seqq.* In Anglia, Eduardus III. ut judicia non amplius Gallico, sed Anglico, sermone peragerentur, statuit, ann. 1361. ei successit, ex filio Eduardo, fortissimo Heroë, filius Richardus II. ann. 1377. Polydorus Virg. *Histor. Angl. lib. 20.* In Scotia, David Rex, cum se beneficiarium Eduardi (a quo victus & captus fuerat, ann. 1347.) fecisset, dimissus est, ann. 1358. ei successit Robertus Stuartus, hodiernæ familiæ conditor, ann. 1370. Buchanan. *Rer. Scotic. lib. 9.* In Suecia, Albertus Megapolitanus Regnum obtinuit, ann. 1363. Magnumque II. Norvegiæ Reg. cepit, ann. 1365. Joan. Loccenius *Histor. Suec. lib. 4. cap. 1.* In Polonia, mortuo Casimiro III. ex Miecislai stirpe ultimo, ad Ludovicum Hungarum Caroli Robert. ex Casimiri sorore filium, regnum pervenit, qui VII. sic Polonorum Dynastiam orfusus est, ann. 1370. Cromerus *Histor. Polon. lib. 12. & 13.* In Hollandia, *Afellata & Hamata* factiones, quæ per 200. annos sæviere, ortæ sunt circa ann. 1350. excitante illas Margareta Augusta, quæ ab Afellatis compulsæ est cedere Wilhelmo filio, Comitatu Hannoniæ contenta, ann. 1351. Calvisius *Chronol.* Hanseaticarum civitatum fœdus incepit, ann. 1366. Huitfeld. *Chron. Dan.* In Helvetia, post Lucernam, perpetuo fœderi nomen dedere, Tigurum & Glarona, ann. 1351. Tugium, ann. 1352. & Berna, ann. 1353. ac peculiare contra iniquas Sacerdotum excommunicationes fœdus pepigerunt, circa hæc tempora. Suevicum Fœdus contra Wirtenbergensem Com. initum, ann. 1374. Martin. Grusius *Annal. Suev. lib. 5.* Quoad *Ecclesiam*, præter Franc. Petrarcham in Italia, Joan. Taulerus, in Germania, Nicol. Oremus (qui jussu Caroli V. Biblia Sacra Gallice vertit) & Joan. de Rupefcissa, in Gallia, Jo. Wiclefus, in Anglia, contra Papatum scripsere, & in seculi mores erroresque acerrime invecti sunt, ann. 1350-1380. S. Brigitta idem fecit, Mornæus de *Eccl. cap. 6.* At Avenione, Clemens *Jubileum ad 50. annos* reduxit, ann. 1349. & *Angelis mandavit*, indulgentiis amplissimis propositis, quas Academia Paris. scripto refutavit. Successor Innocentius VI. ann. 1352. Joann. de Rupefcissa Franciscanum, quod *Apocalypsin contra Papas exponeret*, comburi jussit, ann. 1358. Hunc excipiens Urbanus V. ann. 1362. *Rosam consecratam* excogitavit, & *Agnos cereos* finxit, ann. 1367. post quem Gregorius XI. ann. 1371. Papa creatus. Avenione Romam rediit, ann. 1377. postquam ibi Pontifices sedissent, ann. 72. Platina *Vitis Pontif.* Blondus *Dec. 2. lib. 10.* Sabellicus *Ennead. 9. lib. 9.* Alii. Sub hæc Musarum studia vires resumebant, institutis de novo Academiis, Heidelbergensi a Rudolpho Palatino ann. 1346. Viennensi, a Rudolpho Austr. ann. 1356. Pragensi a Carolo Imp. ann. 1360. & Cracoviensi a Casimiro M. seu III. ann. 1364.

W E N C E S L A U S (a).



L O T I C H I U S.

VENCESLAE pigrae dum transigis otia vitae,
 Ignavi nomen Principis inde refers.
 Cæsareis merito privaris honoribus ergo
 Vita velut, tua mors sic sine laude fuit.

H O F M A N N U S.

Qua prece, qua pretio fueram fastigia (b) natus,
Socors (c), crudelis (d), deditus usque gula (e).
Ponere sum jussus (f) tandem: muliebria sceptrum
In quatuor regnis (g) tum viguere simul (h).

E N A R R A T I O.



Caroli (a) IV. filius, (b) primo Rex Bohemiarum a bimatu: dein pretio
 & prece patris ad Imperium promotus, ei successit, ann. C. 1378. (c)
 Reipublicæ negligens complures urbes terrasque ad Imperium spectan-
 tes alienavit, atque Joannem Galeacium, sceptrum pileoque transmis-
 sis, ex Vicario Imperii creavit Ducem Mediolanensem & Comitem
 Papiensem, ann. 1398. (d) Neque ignavum solum, sed & cru-
 delem se exhibens, penes se carnificem, quem *Compatrem suum* appel-
 labat, semper habuit, hinc a Pragensibus, quod Procerum aliquos oc-
 cidisset, in carcerem conjectus; sed inde opera balneatricis nudus evasit, anni. 1392. cum
 vero ad ingenium rediret, Viennæ sub custodia servabatur, verum & hinc, piscatoris cu-
 jusdam ope, liber, Regnum recuperavit proceresque multavit, ann. seqq. (e) Vini,
 quam

quam Imperii, curiosior fuit: unde Norimbergenses, missis aliquot curribus vini Bacca-
racensis, a juramenti, quo ipsi obstricti erant, nexu se soluturum significavit, (f) post-
quam ab Electorali Collegio, ob Imperii res male administratas, depositus esset, ann.
1400. quum Imperatoris nomen gessisset, annos 12. Bohemiæ tamen regno præfuit,
ann. 55. Joan. Cuspinianus *in eo*, Æneas Sylvius *Histor. Bohem. cap. 34.* & in eadem
Dubravius *lib. 23. cap. 1.* porro Freherus, ubi de *Sentent. exautor. Wenceslai*, Alii.
(g) Ejus tempore mulieres IV. in totidem diversis regnis dominatæ sunt. In Apulia, Jo-
hanna I. qua tandem a Carolo Parvo Dyrrachino misere strangulata, ann. 1381. hic re-
gnum obtinuit, & Ludovicum Andegav. æmulum vicit, ann. 1384. cui fil. Ladislaus suc-
cessit, ann. 1389. Pandulf. Collenutius *Histor. Neapol. lib. 5.* In Dania, Margaretha,
Haquini Norvegiæ Regis vidua, Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ regna conjunxit, an. 1396.
Joan. Meursius *Histor. Dan. Part. 2. lib. 5.* In Hungaria, mortuo Ludovico, surroga-
ta est, sub Elisabethæ matris tutela, filia Maria, ann. 1382. nupta Sigismundo Brande-
burgico, ann. 1386. qui hoc pacto Ungariæ factus Rex, a Bajazete I. Turc. Imp. ad Nico-
polim acie victus est, Joanne Burgundo Philippi Ducis filio (qui invito Sigismundo primam
aciem sumserat regendam) initium fugæ faciente, ann. 1396. Ant. Bonfinius *Rer. Un-
garicarum Dec. 3. lib. 2.* In Polonia tandem, Hedvigis, Ludovici Reg. filia natu minima,
diademate exornata, maritum accepit Jagellonem Lithuaniz Principem Ethnicum, qui
Christiana religione, & nomine *Vladislai II.* suscepto, Lithuaniam Poloniz junxit, &
Jagellonidarum Dynastiz VIII. initium dedit 1386. Cromerus *Histor. Polon. lib. 14. &
15.* (h) In Oriente, Calojohannes II. Palæologus, a filio rebeli Andronico captus,
ann. 1381. a Turcis restitutus est, ann. 1392. Eum excepit Manuel II. Andronici fra-
ter. Turcarum vero Imperator Amurathes I. Hierapolim cepit, ann. 1382. cujus fil. &
successor Bajazetes I. a Tartaro Tamerlane caveæ inclusus est, ann. 1399. Mirkondus
Histor. Regn. Pers. in Rege Tartar. 14. In Italia, Veneti, a Genuensibus ad extre-
ma redacti, mox resumpserunt animos, bombardis & tormentis a Bertholdo Nigro Mon.
tunc primum inventis, feliciter usi, an. 1379. Fl. Blondus *Dec. 2. lib. 10.* In Gallia,
Carolus VI. patris successor, ann. 1380. prodigus, crudelis, phreneticus tandem evasit,
ann. 1392. Rob. Gaguinus *Histor. Franc. lib. 9.* In Anglia, Richardus Hiberniam sub-
jugavit, ann. 1394. a Lancastrio captus & fame necatus, ann. 1399. qui *Henrici IV.*
nomen assumpsit, ann. 1400. Polydorus Virg. *Histor. Angl. lib. 22.* In Belgio, Phi-
lippus I. Audax Burgundiæ Dux uxoris nomine Flandriam obtinuit, ann. 1385. In Hel-
vetia, Leopoldus Austriacus, fil. Alberti Sapientis, ad Sempacum, cum 676. Illustri-
bus & Nobilibus, cecidit, ann. 1386. Koenigsfeldæ sepultus. Simler. *de Reb. Helvet.
lib. 1.* Quod *Ecclesiam* spectat, Viclefus ex Anglia in Bohemiam secedens Valdensium
doctrinæ lucem attulit, ann. 1382. atque inde in Angliam rediit, discipulis quampluri-
mis, Johanne inprimis Husso, post se relictis, ann. 1387. 1395. Camerarius *Histor.
Fratrum Bohem.* Lithuania, opera Regis Jagelloms, ut dictum, fidem accepit, ann.
1387. Herberstein. *in Moscov.* At Romæ, post Gregorii obitum, Schisma gravissi-
mum annor. 50. ortum est, ann. 1378. Italis Urbanum VI. Romæ, aliis Clementem
VII. Avenione, eligentibus: E quibus prior *Jubileum ad 33. ann.* contraxit, & *Festum
Visitationis Mariæ* instituit, istud ann. 1388. illud ann. 1389. Ejus successor Bonifacius
IX. *Annatas* exegit, ann. 1391. ac Albatis (mirabili secta, de erroribus Ecclesiæ con-
querente in candido vestitu) oppressis, Romæ dominatus est, ann. 1399. Avenione au-
tem, Clementi Benedictus XIII. suffectus est, ann. 1394. Galliz Rege per triennium,
& Rege Aragoniz aliisque Principibus per annos 40. neutrum ex hisce Antipapis agno-
scentibus. Froissard. *lib. 4. cap. 58. 91, 97.* Antimach. *Præfat. ad lib. 2.* Platina
Vitis, Alii.

FRIDERICUS (a) III. (b).



Supplementa HENR. CHR. HENNINI.

Hei nihil invito fas quenquam sumere Fato!
 Cur FRIDERICE Tibi sacra corona datur?
 Scilicet ut per iter pereas Antistitis armis:
 Hæc vere propter Sacra nefanda viam.

Tetrasichum Historicum.

*TERTIUS Imperium FRIDERICUS in ordine gusto;
 Lectus eram recte (c), sed mihi curtus honos (d).
 Nam sacra Ambitio Furiis armata malignis
 Sustulit immeritum (e): Publica lesa via est (f).*

ENARRATIO HENR. CHR. HENNINI.



Ujus Imp. (a) stemma dabit Reusner. *Basil. Geneal. p. 138.*
 139. erat Dux Brunsvici & Luneburgi, in *Eimbeck*: *Magnus*
 qui *Torquatus & Insolens* dicebatur, F. ex Catharina, Wol-
 demari II. Elect. Brandeb. (ultimi ex Ascania Gente F.) *Ma-*
gni Pii N. Alberti Pinguis PRON. Alberti Magni ABN.
Ottonis ATN. Wilhelmi (Henrici Leonis F. & Fratris Ot-
tonis IV. Imp.) TRIN. Uxor Illi fuit *Anna*, Wencellai Saxonie Electo-
 ris F. ex qua sustulit *Annam*, Friderici Austrii, Comitiss Tyrolis Uxorem;
 &c.

Gg

& *Catharinam*, Comiti Schwartzburgico elocatam. Princeps prudentia & bellica laude excellens. Diem, mensem, annum, locumque natalem nondum reperi. *Tertius* (b) numeratur, si omittitur *Fridericus Austrius*, cognomine *Pulcer*, Anticæsar Ludovico IV. Bavaro lectus an. 1314. at si & hic computatur, ut nonnulli faciunt, intet Impp. hoc nomine *Quartus* erit: Qui vero hunc, ob dierum Imperii brevitatem, & quia nondum erat inauguratus, omittunt, illi *Tertium* putant *Fridericum Austrium*, qui adiit Imperium an. 1440. Electus rite est (c) ut Princeps bello acer, consilio promptus & circumspectus ac providus, deliberato consilio, *suffragiis majoribus*: (*under den meisten stimmen*, ut habet *Tabula Pergamena*, suspensa in Templo primario, Brunsvici e regione sepulcri Henrici Leonis:) *in solenni concilio Principum pro Electione Imperatoris Francofordiæ celebrato*, Engelhus. *Chron.* p. 228. Mense Majo, an. 1400. *Cario Chron. l. V. in Ruperto Imp.* Sed (d) Moguntinus Archimysta, Johannes Nassavius, ex concepto quodam erga Fridericum odio cæteris adversatus, (*durch insperunge des Bischoffes van Meintz viendlik vander gahn*: *Tabula dicta* :) ne arma occupandi Imperii causa expedire posset, in reditu a Comitibus Eum ad Fridellariam (e). Hassiæ urbem in ipsa Via (f) publica (*Tabula laudata: in gudem sekeren geleyde*, i. e. cum condaceretur per Moguntini terras, *das gelaid* vocant Nostri; id enim videtur intelligi :) insidiosè ac perfidiosè circumventum & oppressum, per Henricum Comitem Waldeccensem (qui forte nomine Moguntini illum conduxit per fines Fridellarios:) die profesto Pentecostes 5. Junii an. 1400. percussoribus *Friderico ab Hartingshausen & Cunzmanno a Falckenberg*, si credimus Annalibus Brunsvicensium, interemit. Fuerant in *Friderici* comitatu Rudolfus Dux Saxoniae, & Sigismundus Princeps Anhaltinus, qui pro se ipsis & Imperatore acriter pugnarunt. Sed Rudolfus captus est & Episcopus Verdensis una cum 400. Equitibus, post tamen relaxatis: Engelhus. *l. l.* *Compilatio Chronologica Anonymi*, ex ed. Maderi, *ad an. 1400.* Sigismundus Anhaltinus aliquot invasoribus sua manu jugulatis evasit. Hoc atrox & parricidiale scelus Moguntini, & in præsentia magnas concitavit turbas, quæ necessarios Principum Electorum congressus atque consultationes aliquandiu remoratae sunt, & renovavit in animis memoriam veterum molitionum, quæ Moguntiae auctoribus illius Archimystis structæ in detrimentum atque perniciem Patriæ, subinde aliquid pepererunt mali, perfecitque, ut multa in Antistitem Moguntinum dira, sed iusta jacerentur convitia, multa inferrentur subjectis illius damna, ab Henrico Friderici Fratre. enatum enim hinc est furiale bellum quinquennale, quo Henricus & Bernardus, Luneburgenses, & Otto Archiep. Bremens. (Frrr. Friderici:) Landgravius Hassiæ, & fere omnes Nobiles Saxoniae, adjuvante etiam Sueciæ Rege, exercitu 13000. militum terras Moguntini & Waldeccenses vastarunt, & comitem Lippiacum vicissim captum non nisi lytro 100000. florenorum relaxarunt. Engelhus. *l. l.* Natum tunc ferunt ac divulgatum proverbium illud: *Moguntia ab antiquo nequam*, his occasionibus: repertum enim tradunt ad limen Basilicæ Cathedralis lapidem cum hac Inscriptione: *Verte & invenies*: hunc lapidem noctu a quibusdam inversum, mane spectantibus altera parte illud Moguntiae Encomion exhibuisse. sed antiquius multo esse, docent repetita Historiarum monumenta. *Cario l. l.* cujus verbis subinde locuti sumus. Engelhus. *l. l.* p. 289. habet inconditos nescio cujus versus, in quibus dicitur, „*Moguntiam nequam* dici non ficta regula; „ alterum Pilatum denuo surrexisse, qui Christum cruci adfixerit; Fridericum

„ cum optimum Principem fuisse ad exemplum Davidis; ipsum procurando
 „ bono Reip. Francofordiam venisse; ubi proditiōis cœperit tela texi ad-
 „ versus illum, quæ in cædem Ejus prope Frissariam detexta sit; fuisse
 „ ipsum militia strenuum, & rebus gestis inclutum „. Sepultus est in Tem-
 plo primario S. Blasii Brunsvici apud Majores suos. Vide porro de hoc Imp.
 Krantz. *Saxon.* X. 19. *Metrop.* XI. 2. *Serar. Rer. Mog.* l. V. p. 838. At quo-
 niam rebus hisce valde innexa sunt Wenceslai Imp. mirifica fata, lubet paullo
 accuratius invitante hac occasione inquirere, primum, *Cur Imperator Wen-*
ceslaus, Princeps non optimus quidem, sed tamen nec etiam omnino malus, com-
muniter tam male audiat, & an revera tot & tantis vitiis, ut vulgo scribitur &
creditur, obnoxius & commaculatus fuerit? deinde, *An legitime, secundum*
regulas æquitatis naturalis, secundum principia moralia & politica, sive secun-
dum Leges Juris Naturæ, Gentium, Civilis, Divini, Publici Germanici, &
anigitur merito fuerit depositus, abdicatus & exauctoratus? Utemur hic accu-
 rata & cordata industria Chr. Thomasi in *Qq. Promisc. Dodecade*, qu. 2. & 9.
 Cui nostra observata addemus. Ad primam quæstionem respondemus: *Vi-*
deri, Odium Cleri Pontificii, & protectionem aut tolerantiam Hussi, ansam ini-
quissimæ famæ, qua Wenceslaus traducitur, dedisse: tum, *Videri, tam vitiosum*
non fuisse. Dicimus: *Ipse & oderat Clerum Pontificium, & huic ideo vicissim*
erat exosus: Ipse veriore Hussi doctrinam, quantum status turbulentus Bohe-
miae, & Genius ipsius Imp. admittebat, defendebat. Acta rem probent. Sym-
 bolum ejus erat: *Morosophi moriones pessimi:* aut: *Moriones docti, moriones*
mali. Mich. Sax. *Kays. Chron.* c. 2. quo notabat Clericos illius temporis cor-
 ruptissimos, putatitia & falsa eruditione turgidos, qui eo ipso nihil nisi mo-
 rionum pessimorum personas sustinebant, turbarum rixarumque auctores.
 Bartholdum Schwartzium, Monachum, pestilentissimum pulveris pyrii &
 bombardarum inventorem, (egregie actam vitam Deo devotam & consecra-
 tam in perniciem Generis Humani!) jussit necari. Sax. *l. l. c. 5.* scilicet, si
 credimus, non erat ferendum ab Imp. (Laico nimirum:) tam memoran-
 dum exemplum in sacram Monachi personam exerceri! Porro „ Monachum
 „ in nemore sibi Venatum ituro obvium sagittâ transfixum peremit, cavilla-
 „ tus, a se feram singularem transfixam: cum adstantes *Monachum esse*, dice-
 „ rent, regessisse: *Monachum esse & debere manere in suo claustro, non in syl-*
 „ *va, ubi habitatio & conversatio ferarum.* Chron. Magn. Belg. p. 327. ed.
 „ Pistor. (Hæc, si vera sunt, petulantem sævitiam arguunt in Monacho-
 rum vagantium osore: at fabellæ videntur propiora, & ad invidiam Ejus ab
 ipsis Monachis, ut plura alia, conficta:) „ Ex Templo Arcis Pragensis, &
 „ ex sacello Corporis Christi in novæ Urbis foro, omnes sacras Reliquias
 „ sustulit, easque obsignatas in arce Carolosteinia, invitis Pragensibus, oc-
 „ clusit. Pragensibus eas repetentibus, & ne commoda sua ac Lucella hinc
 „ amitterent, quiritantibus, respondit: *Eccur Bohemorum Magistrorum Pra-*
 „ *gæ ambitio tria sibi præ Germanorum uno suffragia rapiens omnes Studiosos Praga*
 „ *exegisset, a quibus potiora, quam ex Reliquiis, emolumenta habuissent?* Si illi
 „ *studiosos potuissent abigere impune, cur ipse Reliquias auferre nequiret: eos*
 „ *æque harum commodis, ac per Magistros, adventitio Studioforum emolumento*
 „ *posse carere.* „ (Notandum est, eo ipse tempore Hieronymum Pragensem
 contra cultum Reliquiarum publice pro concione dixisse.) Theobald. *Huss-*
ten-krieg, l. 7. p. 20. & 23. Cum postea ex omnibus cathedris Clerus tona-
 ret contra Hussum, Imp. non poterat jûsto metu plura contra Eos tentare.

ib. p. 30. Ziscæ, Hussitarum Duci, dato diplomate regio eique addito sigillo, concessit, ut stuprum a Clerico suæ Ziscæ Sorori illatum vindicaret in Auctorem & ulcisceretur. ib. p. 137. (Scilicet hoc erat, Sanctum Sanctorum profanare: Laico puniendum objicere Clericum pudicitiae virginæ temeratorem violentum!) Anno 1380. Wenceslaus litem compositurus inter Clerum & Populum Vratislaviensem illuc venit, & divina ob reverentiam sui resumipetiit: Clero autem abnuente, ut scelus profanationis non incurreret, Rex iratus oppida & villas Ecclesiæ & Monasteriorum spoliare jussit: & tam ingens gregum pecudumque numerus Vratislaviam inductus est, ut trecentæ oves pro tribus marcis usualibus, bos vero pro fectone venderentur; & propter emtorum penuriam major pars ad Bohemiam pulsa est. Paralip. Ursip. ad d. an. Item Anna 1393. Wenceslaus de universo regno Bohemiæ Fratres Teutonicos ordinis S. Mariæ, cum nigra cruce, ejecit, eos inutilis fore asserens, bonaque, castra & civitates ipsis abstulit. ibid. ad d. an. Eodem anno, 8. Maji Berauni in Bohemia Imp. persona dissimulata Monasterium intravit, clam exploraturus Monachorum mores & vitam: ibi a sedecim Viris (proditus procul dubio) invaditur, capitur, & clam Pragam mittitur, ubi per quindecim hebdomadas usque ad 24. Augusti, in teterimo carcere, Spinka dicto, sub Curia Veteris Pragæ detentus est. Lehm. Chr. Spir. VII. 61. Insignis vero sacri ordinis pietas in Principem, & plane Apostolicis legibus congruens, de ferendo etiam malo Principe!) Husso autem & Hussitis favit Wenceslaus, & hi vicissim Illi. Consulamus Acta publica & privata. Clericis de Husso, (Bohemice *Anferem* notat:) acerbè querentibus & perditum volentibus respondit: *Quin Vos mihi istum anferem illæsum finitis; aurea enim mihi pariet ora!* Theobald. l. l. I. 3. hinc Subinco Archiep. Pragensis questus est incuriam Regis, qua creverint Hussitæ. ib. l. 7. p. 20. Hussitæ Sacerdotes e contrario Regem pro concione laudabant, Suosque ad pacem adhortabantur colendam; quamvis hoc ipsum maligne aliorum rapiat Cuspinian. in Eo. Wenceslaus Pontificis literas minaces & iracundas, ut Wiclefi hæresin supprimeret, flocci faciebat. Theob. l. l. p. 33. Hussi asseclis Pragam redux quædam Tempia concessit, in quibus populum docerent, & Sacramenta secundum Christi instituta celebrarent. ibid. p. 132. Ziscam, Hussitarum postea nobilissimum Ducem, benigne accepit & dimisit. ibid. p. 137. Hinc Engelhus. l. l. p. 281. aperte de Eo affirmat: *Hæresin Hussitarum fovit: item: Indicibilem pecuniam per tempus suum collegit, & Hussitis nunc dereliquit: item: Sepultus in Aula Regia per Hussitas, ibidem cum Monasterio mortuus est combustus.* Vides, mi Lector, ut puto, unde illud immortale odium Theologicum Sacri Ordinis, illæ iræ & diræ in Wenceslaum ortæ sint. Si ad exemplum Paris, & Fratris Sigismundi, Clericorum sputa linxisset, tum demum laudabilis Princeps fuisset! Pergimus & affirmamus, *Wenceslaum tam vitiosum non fuisse.* Si audimus Æneam Sylv. Hist. Boh. c. 34. Cuspinian. in Eo; Lehm. Chr. Spir. 57-74. Carion. l. V. in Eo, & quos non? Uno quasi ore omnes tam Romanenses, quam Protestantes, Eum tanquam piacularem victimam petulantissime & licentissime conspuunt; sed Pontifex, sed Austrii, sed Bohemi, sed Monachi, sed creduli Ariorum Exscriptores; uno verbo: Inimici odio Vatiniانو contra Eum inflammari, & horum sine ullo judicio Exscriptores. Hos omnes si audimus, fuit *monstrum nulla virtute redemptum, Sardanapalus, Nero Germanicus, Margites, Theristes, hisfrío, porcus, non diademate in capite, sed laqueo in collo dignus, iners, ignavus, deses, luxuriosus, libidinosus, crudelis.* Placeat vero candor Aventini Ann. Boj. l. VII. p. 640. *Complura de Eo alia scelera referuntur, quæ Ego falsa at-*
que

que confecta (ita sunt ingenia hominum:) ab Inimicis esse reor. Quid ergo? Sane non fuerit Heros inter Principes; fuit tamen Princeps, qui magis excusationem, quam tot diras merebatur. Fuit timidus, piger, vino deditus, nec ad magna natus: sed fuit tamen etiam sincerus, benignus, clemens, nequitiae osor, veritatis amans, certe non osor. Hinc Paralip. Ursp. ad an. 1378. satis moderate: *Wenceslaus Bohemiae Rex jam Patre vivente, & plurimum annitente Rex Romanorum creatus, cepit utrumque Regnum sine magna sollicitudine administrare. nec etiam annisus est Imperii coronam accipere, quam etiam non promeruit Vir animo non satis ad Imperium idoneo, qui, ut ferunt, ventri deditus omnia posthabuit.* Eamus vero per capita criminationum: „ Documenta vitiorum non obscura dedit in partu, cum Matrem exstinxit, : ita Auctor Reip. Germ. p. 312. „ In lucem prorumpens ita Naturam offendit, „ Limnæus J. P. II. 11. num. 29. & seqq. Anticyras vero uterque mittatur: ecquis sanæ mentis inter crimina refert & infanti imputat, quod Mater in partu exstincta? „ Deinde in baptismo, cum aquam „ polluit, : Rp. Germ. l. l. at Limnæus atrocius nugatur: Deum offendit, „ nam sacro fonte baptismatis abluendus, baptisterium, ventrem exonerando, conspurcavit, : novum crimen! infans onus ventris decore retinere non potuit! stercorea hæc argumenta sunt indicia infrunitæ calumniæ. imo vero sunt somnia vigilantium Monachorum ex fabellis de Constantino Copronymo derivatæ. sed & Mater in puerperio non est exstincta. Audi Henricum Rebdorffium, Monachum cordatiorem, qui hoc ipso ævo floruit, & hoc ipso anno die ac mense, fuit Noribergæ, & ipse hæc tunc vidit: in *Annal. ad an. 1361. In principio mensis Martii Imperatrix in Nuremberg Filium masculum genuit, de quo Imperator letitiam habuit non modicam, & eundem baptizandum solenniter reservavit per unum mensem & amplius. Nam ad baptismum invocat solennem curiam in Nurnberg, & Electores Imperii quasi omnes. Et hic Filius baptizatus est Dominica, qua cantatur: Misericordia Domini, quæ tunc fuit III. id. April. in Parochia S. Sewoldi in Nurnberg, Bavenbergensis Diocesis; & levatus de fonte per Archiepiscopos, Moguntinensem, Coloniensem, Pragensem, & per Episcopos sex, & quinque Abbates, & nomen Ejus Wenzellaus appellatum, & duravit hæc curia cum magno gaudio per octo dies. Nam & Insignia Imperialia jubet Imperator deduci de Bohemia, & solenni apparatu ostendit ibidem; & existentibus ibidem denunciantur magnæ Indulgentiæ, quas Innocentius VI. Papa tunc gratiose concessit, videlicet easdem Indulgentias, quas in Urbe Romani Pontifices in die Cænæ Domini concedere consueverunt; & habita ibi sunt hastiludia, & alia solatia infinita. Post hæc Imperator disponit habitare limina B. Virginis Aquisgrani, sed deliberat mittere offertorium illuc pro Filio suo nato: unde jubet Filium ponderare in statera cum auro, qui ponderavit XVI. marcas auri, quas mittit Aquisgranum. Et ipse, cum Uxore, & Filio, & Insignibus superscriptis in Bohemiam est reversus. Et nota, quod Insignia Imperialia, quæ tunc vidi, (de quibus Papa festum indixit) sunt hæc: Primum, Ferrum Lanceæ, quæ transfixit latus Christi: Item Clavus cum aliquali petia ligni S. Crucis, quæ transiit in manum Christi: Item Gladius Karoli Magni, primi Imperatoris Romanorum, quem tunc Imperator tenebat in manibus, & Corona, qua coronatus est in Imperatorem a Leone Papa III. Item Gladius Mauricii Martyris: Item petia brachii S. Annæ, Matris Mariæ Virginis; & Deus Johannis Baptiste: Item petia cordæ, qua Christus ad columnam fuit ligatus; Spongia, qua fuit in*

Cruce potatus, & alia multa Reliquia Sanctorum. Ita Ille testis oculatus quem locum integrum libuit adscribere, propter multa notatu digna. Mater Wenceslai obiit demum *circa festum Johannis Baptiste*, i. e. finem Augusti, ann. 1362. Rebдорff. *ad d. an.* Pergit Limnæus *l. l.* paratragediari : „ Imo fere biennis in Regem Bohemiæ coronatus Deum offendit, Aram, „ in qua sedebat, onere ventris fœdans turpissime „. Rp. Germ. *l. l.* inde quoque ait „ documenta vitiorum non obscura dedisse, cum in ipsa in- „ auguratione (maligne omittitur, quænam, quare Wenceslai ætate fuerit.) „ aram cœno suo contaminavit „. At quis hic iterum non abominetur stercorea nugatorum & calumniatorum figmenta? Videntur Annales Volusi pingere voluisse. sed finge verum, licet idonei testes fileant: Ergo male educatus fuit puer fere biennis, nondum assuetus isti necessitati naturæ certo tempore & debito loco peragendæ. quid inde? „ Mala tamen sunt „ præfagia, quod in Baptisterio, in Ara, locis sacris, ventrem exonerarit, „: imo fœtida præfagia (si res eæ vere contigerunt:) lotricibus & lotoribus conspurcatum infantem, pollutam Aram, vestesve eluturis. miror istas nugas in Limnæo & Auctore Rp. Germ. Protestantibus, qui more Cleri Pontificii sanctitatem in lapidibus & templis, salva cordis profanitate, quæ- runt. Cario *l. l.* addit: „ *Pastoralem domum ad D. Sebal dum, dum aqua ad- „ hibenda baptismo calefit, exarsisse fama est* „. at tacet hoc Rebдорffius. fama hic est ficti pravique tenax. Pergit & vaticinia ex stercore perque ignem legit: „ *Quod sapientes ita sunt interpretati, futurum eum stolidum, ignavum, „ voluptuarium, sordidum, luxuriosum, Imperio dedecori & exitio* „: At Ego „ illos sapientes in arte sive vaticinandi, sive Hetrusca plane desipuisse pu- to; nullam enim video harmoniam inter ista præfagia & res prædictas: for- san alius majori convenientia prædixisset: sub eo superstitiones contemtim habendas, & expurgandas fore e Sacris; ipsum fore in luce rerum, cum Pastores major lux illustratura sit. „ Aventinus, *l. l.* ex maligna fama ait, „ quod fuerit *ineptus* „: Cur ergo Illum ad Imperium Electores admise- runt? Gesta certe Spiræ an. 1378. Oppenheimii in abolendo telonio præ- datorio Hoechstano, quod Adolfus Spirensis sibi ultro arrogabat, an. 1379. Artes, quibus Bohemos in ordines redegit; & quibus e carcere bis elapsus est, ann. 1393. & 1394. Pax Publica confirmata, fundata & legibus sancita Francofurti 1389. in solenni conventu Principum; Spira telonio ad viginti annos, in Rheno, concesso recreata an. 1380. Poena & arma decreta in Pa- cis publicæ turbatores an. 1388. Eadem Pax renovata an. 1389. (sed a Principibus mox iterum conculcata:) Spira denuo vicennali telonio, aut ulterius, donec a se vel Successoribus revocaretur, mactata, & concessi ite- rum ex Caroli IV. privilegio Judæi, an. 1394. item renovari Urbi eidem, consensu Principum, veteres prærogativæ de adsciscendis ex alieno territo- rio & dominio civibus, Noribergæ 1397. Decisa super hac lite per senten- tiam controversia in solenni conventu Francofurti, ex consilio Principum, inter Spirenses & Bernhardum Marchionem Badensem, an. 1398. ibidem confirmata possessio & usus amnis Spirensis Urbi, ex antiquis privilegiis, quem præter jus & æquum Ministri Ruperti Palatini, ab anno 1394. (quo Wenceslao clam detento Palatinus erat Vicarius:) ad suas molas derivarant: An, inquam, hæc argumenta, quæ ex publicis ipsis Diplomatis ap. Lehm. *l. l.* ostendi possunt, probant Principem adeo *ineptum*? Sed Aventinus di- cit porro „ *Probrosum* „: Certe talis non fuit iudicio Primorum & Proce- rum,

rum; qui illum habuere pro *Principe Pio & benigno*, Lehm. l. l. c. 62. deinde *Probra* illa clarissime probanda forent, sed fuerit *Probrasus*! an ergo omnes ante ipsum Impp. fuerunt meri Trajani? ut ideo solus hic sit eximius & quasi singulari præ reliquis stigmate inurendus? Aventinus narrat porro, „ *sevitia infamem fuisse* „: sed quam provocaverant & armaverant Bohemorum impiæ in legitimum Principem molitiones, geminus carcer, conatus nefarii, seditiosa debiti obsequii negligentia. Pergit Aventinus, „ *Ignavia infamem fuisse* „: At Gesta modo recensita non plane ignavum fuisse clamant, & calumniam nimiam refutant. Benevenutus de Rambaldi in lib. *Augustali*, in *Wencest.* qui hoc ipso sub Imp. vixit; vocat Wenceslaum *Juvenem robustum Venatorem, qui minetur se venturum in Italiam*, quod iter ipse Benevenutus valde deprecatur. Addit Aventinus atrociori stylo, quem vulgaris de hoc Imp. fama acuit: „ *In latebris Hercyniæ, velut serpentem, delituisse, nec unquam ceteros Germaniæ Imperique fines adire sibi permisisse* „: Audacissima hæc fuit calumniandi & mentiendi libido, quæ frontem omnino perfricuit & omnem pudorem exterisit. Lustremus publica & certissima testimonia, Diplomata inquam, apud Limæum l. l. & contrarium probemus: Mense Martio an. 1378. & Mense Februario an. 1379. fuit Oppenheimii ad Rhenum: Eodem anno fuit Spiræ & Francofurti: Mense Sept. & Oct. an. 1381. fuit iterum Francofurti: Mense Februario an. 1389. Principes convocavit Egram, in confinibus Bohemiæ & Imperii: Anno 1397. mense Octobre & Novembre Comitia celebravit Noribergæ; Anno 1398. mense Januario Comitia celebravit Francofurti. Hæc sufficiant retundendæ calumniæ. Porro teste Aventino l. l. „ Johannes Archi- „ mysta Moguntinus, in Oratione, quam adversus illum in celebri conventu Francofurti habuit, narrat: Canem ferocissimum atque Carnificem, quem lustricum Patrem vocabat, Comites Ejus Wenceslai semper fuisse, & quemcunque ille indice denotasset, absque cunctatione invasisse; atque Eundem, dum deambulanti præcederet, obvium quemque corripere, ac distento sago impositum in sublime jactare solitum „ Quid si & hæc inter conficta forent? Ab hoste infensissimo, qui declamatoria licentia quidvis ad invidiam corradit, quis æquum expectaret & sine odio testimonium? De *Cane* insuper tradit Chron. Belg. Magn. l. l. „ quod Regina Johanna, Alberti I. Comitris Hollandi Filia, a Molosso, „ quem Wenceslaus in cubiculo alebat, perempta sit „: Latet hic ulcus malignum. *Canis* ne tum in Reginam fuit incitatus ab hero? aut an casu factum, cum absentis mariti cubiculum a Cane ferocissimo custoditum intraret? At Alii, quos Cario sequitur, ajunt, „ Reginam sexto post nuptias „ anno interiisse, consumptam dolore, propter mariti flagitiosos ac perditos „ mores „: At unde constat, mortem imputandam non morbo alicui alii, sed animi dolori ex ista causâ fuisse? Cur in rebus Alberti I. Bavari, Hollandi Comitris nec de Cane, nec de isto Reginæ Filiæ mœrore fatali quicquam habetur? Et, si verum fuerit alterutrum, jure quis miretur, qui illi post ausa fuerit nubere primæ Uxoris tam crudeliter habitæ consanguinea Sophia, Johannis Bavarie Ducis F. „ Sed *Canis* ille in „ dice denotatos statim invasit „: At si per petulantem crudelitatem delicias ea in re, dum *Canis* denotatos morderet & læderet, fecerit, si semper tam sævo ludicro indulgere sobrius solebat, sane vituperio dignus erit *Canis* mali pejor Dominus: verum si tantum molestos & se vitio ingerentes ardelliones

liones injecto cavendi Canis terrore amoliebatur, cur in invidiam rapitur res minime mala? Quot Magnates exauſtorandi eſſent, ſi talia valerent ad Illos dignitate ſua ſpoliandos? „ Sed obvios diſtento ſago impoſitos in ſub-
 „ lime jaſtavit „! Verum ſobrius, ebrius ipſene, an ſolum per alios? per ludibriumne, an per meram laſciviam nocentiſſimi animi? Obvioſne omnes, an aliquos, an unum, an ſemper, an ubique, meritoſne ludicram pœnam, an immerentes? Hæc diſtincte ipſis factis probari, non tantum declamatorie jaſtari debuiſſent. Atque hæ, tamen, ex Moguntini ſententia, (ad hoc enim ſcena iſta comparabatur:) erant ſatis prægnantes cauſſæ ad Imperatorem deponendum! neſcio, taliane indignationem an miſericordiam mereantur. „ At *Carnificem*, „ quem *Compatrem* (*Lieber Gevatter*:) „ ſolebat vocare, familiariter penes ſe habebat „; Vide *Dubrav. Hiſt. Boh. l. XIII. p. 219.* (unde & *Tyrannum* vocat Cluver. *Epit. Hiſt. in Eo*:) Verum facilis eſt reſponſio: *Compatrem* vocabat, quia ritu Chriſtiano filium Ejus de ſacro fonte levaverat, unde apparet Wenceſlai animum non fuiſſe faſtu tu-mentem; deinde *Carnifex*, Juris Criminalis neceſſarius miniſter, jure infamis non eſt, nec qui Eum penes ſe habet, aut cum Eo familiaris eſt, infamiam contrahit aut tyrannidem; alias omnes Magiſtratus Romani majores fuiſſent infames & tyranni; & ubique terrarum hodie plurimi forent infames & tyranni. Majeltatis circa juſ vitæ & necis nota aliqua eſt, Carnificem penes ſe habere; nec hoc deinde apud æquos rerum arbitros infamiam aut tyrannidem irrogavit Sixto V. Pontifici, exactiſſimo Juſtiæ Aſſertori. „ At quando Rex Wenceſlaus bibit exceſſive, & ad ebrietatem, incurrebat in
 „ furiam, & fuit tunc multum perversus & periculofus „. Chron. Belg. M. l. l. Reſpondeo *Æn. Sylvii* verbis l. l. *Si a vino & ebrietate abſtineret, haud imprudens erat.* Vituperanda omnino fuit Ejus vinoſa intemperies; ſed hanc habet cum pluribus Magnatibus communem, ut ideo ſingillatim notandus non ſit; niſi & illos velimus ideo deponendos & ob hoc ipſum vitium exauſtorandos eſſe. Quoſdam ebrios homines vino furibundos fieri, naturalibus cauſſis debetur, quæ crudelem non faciunt, nam crudelitas eſt vitium ſobrii & mentis ſuæ compotis. „ Dicitur quadam vice
 „ (ſcilicet adeo potus & ebrietate furioſus) *Coquum ſuum, qui ad voluntatem ſuam, ſed ſecundum appetitum ſuum cibos non paraverat, ad veru ligatum
 „ aſſari juſſiſſe* „: Chron. Belg. *ibid.* Sed an eſt aſſatus? tacet Hiſtoria. at fuerit aſſatus! Ergo crudeliſſimi fuerunt miniſtri ebrio Regi (quem in foro humano ebrietas excuſaſſet:) in re injuſtiſſima obſequium præſtantes. imo vero caute fabulator ait: *Dicitur juſſiſſe*: hoc ipſo rem incertam pronuncians. „ Item dicitur (nam ſenſus ex illo ſuperiori dicitur pendet:) „ quodam
 „ tempore ad experiendum, quid decapitandi ſub tempore executionis cogitar-
 „ rent, arceſſiſſe ſpiculatorem, cujus *Compater* fuit, & flexis genibus oculiſque
 „ ſuis velatis præcepiſſe „ut ſe decollaret; & quia ſpiculator enſe nudo diſſimulans
 „ ipſum cum platto in collum percuſſiſſet, ſurrexiſſe Regem & dixiſſe Spiculatori „ ut
 „ poneret ſe ſuper genua, quem ſic velatis oculis tunc decollavit „: At fabula-
 tor hic non bene calluit artem mentiendi. quomodo enim ex alio decollato potuerit ſcire, quid decapitandus ſub tempore executionis cogitarit? ſed dicitur i. e. ad invidiam Imp. nugæ mendaces a Monachis finguntur, quæ ne quidem ullam veri ſimilitudinem habent. Pergamus: „ Inter Purpura-
 „ tos ſuos crebro ſermone uſurpabat: *Ego ſi me diripiendis urbibus Italiæ ſors
 „ præſentem dederit, cæterarum rerum prædam militibus impertiar, vini tantum
 „ apud*

„ *apud me spolia reservabo. si quis autem in cellam vinariam fuerit ingressus, gladio ferietur* „ Hæc Æn. Sylvius, Italus & Papa, in *Alfons. Paralip.* II. 15. At an ille piger, ille deses, ille ignavus potuit cogitare de diripiendis beatæ Italiæ urbibus? an leges amaras tulit de pelle ursina, urso necdum capto, nec ulla spe capiendi? hoc emblemata posterius ipsi Sylvio forsân debetur. Deploranda sane sors militum fuisset, si ita fors tulisset, qui omnem prædam reliquam, excepto solo vino, sibi habuissent! quanto benigniores e regione sunt illi Principes erga Milites, qui expugnatis assultu urbibus & vinum & reliquam prædam omnem sibi servant solis! „ Unde de Eo veriverbium ortum est, esse *Auricontemptorem, & Vini amatorem* „: Bucholc. *Chronol. in Eo*: Adde fabellam ex *Crom. Hist. Pol. l. XVIII. & Lehm. l. l. c. 62.* „ quod „ gratulatus sibi sit vinum Rhenanum servatum, exusta Arce Wisgradi „ splendidissima: quam vel denuo jam exuri liens pati posset, salvo nempe vino „: At quantum hoc crimen, quam enorme! forte longe melius fuisset, quod si populos suos exhausisset variis artibus per summam sobrietatem? „ A Noribergensibus pro remissione jurisjurandi fidelitatis offerentibus 20000 aureorum, sprete pecunia petiit aliquot vini Rhenani „ plaustra „: Bucholc. *ib.* At forte pecunia non habuit opus, sui regni divitiis contentus! quid mali est, quod tantum pecuniæ civitati remiserit, ac solum illud vinum petierit? Verum fabulæ sibi non constant. nam Chron. Norib. habent 30000. *Aureorum & insuper quatuor cupas vini Furstenbergensis*: quibus credemus? „ Post depositionem contemptim dixit: *Illam sibi placere, modo quotannis quatuor plaustra Vini Franconici Pragam ad potum sibi mitterent* „: Scharfchmid. ex nescio quo ad Schutzi *J. P. I. 3. S. 30. p. 218.* Videtur non adeo delicati palati Imp. fuisse, nec Apiciorum vina nota habuisse. sed hic iterum traditio diversa est ex *Hist. Boh. ap. Lehman. Chr. Spir. VII. 59.* Dixisse enim fertur ad nuncium suæ depositionis & electi Ruperti: *Libenter hoc Imperii onere levamur, speramusque in posterum majori emolumento nos Bohemiæ regnum administraturos*: & revera Bohemos ad 19. porro annos fuisse gavisos eo tolerabiliore Domino. Pergo: „ Bohemi Wencellaum „ Patri virtutibus ac ingenio imparē contemnere cœperunt; Ille vicissim „ Bohemis contemptis Germanos præfert. hinc mutua invidia, & Bohemorum clandestinæ coitiones adversus Germanos, quos illi ubique data occasione vexabant. itaque Sabbato post Pascha præcipuos harum seditionum „ & turbarum duces Bohemos capi, & die Lunæ sequente decollari iussit. „ Hinc Senatum veteris & novæ Pragæ ad Epulas invitat: dum prandent, „ Carnifex intrat, Imperatorem rogans, *quamobrem sit arcessitus?* Respondet „ Imperator: *Amice Compater, exspecta foris tantisper, post prandium habebis, quod agas.* Convivæ pallere ac tremere, quia Imp. assueverat fontes „ cum infontibus punire. (*de suo assuit hanc glossam Lehmannus.*) „ post „ prandium exprobravit illis sua facinora, & mandata varia illis dedit; ad „ quæ illi obsequium vitamque ipsam Imperatori sacramento auctorarunt. „ Ita illos conciliatos sibi benevole dimisit „: Ista vulgo adferunt pro argumento tyrannidis & crudelitatis Wencellai: at tu observa ex hac historia, Cives illos rebelles & irreverentes Imperatori occasionem dedisse, severa remedia ad eos coercendos adhibendi: Ipse tamen, si adeo crudelis Tyrannus fuisset, tam benigne istos Senatores omnes non dimisisset, quorum aliquos rebellionis innexos fuisse verosimile est, ex tremore illorum, metu & pallore. Porro Lehm. *l. l. c. 61.* narrat, „ qui evaserit nudus carcerem Spinkæ,

Hh

ka; „ & in Nova Arce statim a Janitore agnitus, a Præfecto admissus, ve-
 „ stitus & resectus cibo sit; ut balneatrici Susannæ, Liberatrici suæ mox
 „ 100. florenos Aureos donarit; ut illam concubinam assumferit; ut dein-
 „ de Primores Pragenses in Arcem Zibracum invitarit, sed venire nolen-
 „ tes caussatos: *quod illis Pragæ melius esset* „: At ex hac historia tantum
 apparet, Wenceslaum rebellibus Pragensibus Senatoribus fuisse exosum; a
 Plebejis vero & Suis valde amatum, voluptuosum & erga beneficos gratum.
 Idem Lehm. c. 62. narrat: „ quomodo Imp. iterum an. 1394. a rebellibus
 „ Bohemis captus, clam Viennæ & duriter in carcere detentus, (*in egregiis adi-*
 „ *bus, quibus exinde cognomen Praga datum, quod eas Rex Pragensium incoluisset* :
 „ Ursp. Paralip. *adh. an.*) a Piscatore Johanne Grundelio iterum liberatus fuerit;
 „ ut in arce Wischeradi per fidos subjectos Præfectum Arcis ceperit, & hunc
 „ coegerit literas suo Præfecti nomine & manu scriptas, & annulo suo Præfecti
 „ obsignatas, ad Senatum veteris Pragæ (male & invidiose Cario l. l. *præcipuas*
 „ *Regni Proceres* addit:) mittere, quibus ad se eos statim evocaret, deliberaturos
 „ super re magni momenti, quæ incidisset; ut frequentes hi venerint, quos
 „ omnes mox per Carnificem loci prius arcessitum decollari (Cario l. l. iterum
 „ invidiose & declamatorie habet: *crudelibus suppliciis interim* :) jusserit; ut de-
 „ inde Pragam redierit, alios Senatores crearet, multosque sibi conciliarit per
 „ verborum blanditias; ut per urbem cum Compatre Carnifice ac Liçtoribus
 „ obequitarit, & pervicaces rebelles domo extrahi, ac ante fores statim a desi-
 „ liente Carnifice jusserit publice decollari; ut subinde tam benignum se, tam læ-
 „ tum Summis & Imis exhibuerit, publico gaudio; subinde alium publico tædio;
 „ ut Piscatorem cum omni familia Vienna evocarit, & egregiis commodis,
 „ favore, emolumentis ac equestri honore beaverit „: At ex hac historia
 constat impietas furialis Bohemorum in Regem legitimum, animus Imp.
 solers & acutus, prudens, & justas ob causas severus, benignus, gratus,
 & subinde varius, prout scilicet animati erant erga Eum subjecti. An au-
 tem justa severitas est Crudelitas? Licetne subjectis suum Regem capere,
 & clam alieno Domino custodiendum tradere? nullo crimine condemnatum,
 nec auditum? imo an Bohemi potuerint illum citare, citatum audire, audi-
 tum condemnare? Lehmannus *ib. c. 62.* narrat, „ Oppressos cives (in Ger-
 „ mania puto:) mirifice quæstos perpetuis quiritationibus; accusasse Imp.
 „ incuriam & malitiam: Imperatorem vero, ubi has querelas intellexerit,
 „ dixisse: *Si quibus est onus gravius, illi hoc abjiciant; si quis angatur, ex-*
 „ *pectoret anxietatem* „: Respondemus, ne Jovem quidem omnibus placere,
 quamvis hoc melior fuerit Wenceslaus. non poterat defendere Germanos op-
 pressos, si maxime voluisset; ipse bis a rebellibus Bohemis in carcerem detru-
 sus erat: nec adeo vana erat timoris causa, ne se furialibus Germanorum bel-
 lis intestinis immisceret. Audiamus plura: „ nempe obscenas ac turpes li-
 „ bidinum voluptates Ejus „: *ap. Carion. l. l.* „ Tantamque lasciviam, ut
 „ alienas uxores ac virgines vi doloque, ubicunque potuerit, violarit „. Sax.
 l. l. c. 3. Hæc si vera forent, ea certe Electores non fuissent oblitii inter cri-
 minationum publicatam seriem, qua exauðtorationem Ejus colorabant. Sane
 a lascivia non erat quidem omnino alienus; nam minus decenter cum Susanna,
 sed liberatrice, sed invitata nec invita, vixit. ex hac occasione nata calumnia.
 Engelhus. Chr. p. 281. ait: „ *Studium Pragensæ neglexit: Doctores & Magistros*
 „ *aliorum Nationum, quam Bohemorum, expulit* „: Distingue Engelhusi:
 Papismi crassas superstitiones ibi doceri noluit; Germanos harum tum patro-
 nos

nos dimisit, suisque Hussitis favit: at ubi hi Germanis sua eripere suffragia voluerunt, egregie indignatus est, & studiosorum Germanorum abitum doluit. Theobald. l. l. Jam porro audiamus Carionem, sive Peucerum, seu Melanchthonem, (omnes enim operam ad eos *Chronicorum libros* contulerunt:) qui eloquentiæ suæ cunctos nervos intenderunt, ut odiosissime & invidiosissime hic Imp. traduceretur. Ajunt: „ *Anno 1376. biennio scilicet ante Patris obitum, annos natus XV. successionem in Imperio obtinuit, cum- Etis, sed coemtis multo precio, imo pane extortis, non liberis suffragiis.* „ At cujus hic culpa, *Caroline IV. an Electorum?* Venale Imperium Emtorem reperit, aut Emtor liberalis venale fecit Imperium: non video hæc vergere in laudem Electorum. Ajunt: „ *Nihil fuit in Eo hominis simile, præter speciem, quanquam & ea fuerit distorta & deformis, Therfiti, quam Principi similior.* At si nummis, statuisque credimus, non fuit adeo deformis. ex fronte elucet severa gravitas. sed demus omnia ita esse. Claudii ergo & unoculi Impp. & similes fuerunt inauspicati. Verum nemo sui corporis ipse est auctor aut faber, nec maligne torquendum, quod Deo placuit circa Nostri corporis formam qualemcunque, sive ea formosa, sive deformis, sive recta, sive distorta fuerit. Ajunt: „ *Ingenio fuit hebeti ac sordido, nullarum rerum, nisi voluptatum intelligente.* „: At hoc ipsius Acta satis refutant. Ajunt: „ *Fuit animo non a Rep. tantum, sed pane ab omni honestate alieno; at timido & ad immanitatem usque sævo & truculento.* „: Scilicet quia non potuit Germanorum bella intestina compescere Rex Regum; quia Hussitarum fautor Cleri Romanensis sputa noluit lingere; quia rebelles Bohemos Majestatis ob se bis captum reos jure punivit. Ajunt: „ *Fuit corpore ignavo, neque ad ullam aliam rem, quam ad obscenas ac turpes crapularum, bel- luationum & libidinum voluptates, si modo his voluptas inest, idoneo.* „: At cur non addunt, animam tantum illi pro sale datam, ne omnino putresceret? Vinosus fuit, nec fuit a voluptate alienus, Susannam liberatricem concubinam viduus habuit. Cætera ficta habentur, donec per idoneos testes probentur. Ajunt: „ *Administrationem & curam Regni Paterni & Imperii, tanquam ad se non pertineret, ita neglexit, ut cum latrociniis infesta redderentur itinera, (forte putant in Germania:) & grassatoribus impleretur Bohemia; passim vero in civitatibus seditiones exorerentur, insurgente adversus Magistratus insana plebe, ipse tamen aliud ageret nihil, nisi volutaret se porcorum ritu in cæno vitæ flagitiosissima.* At his iterum reclamant publice privatimque Acta & Gesta Ejus: nam Brabantiam uxorio nomine repetebat satis studiose, Heuter. Rer. Burg. II. 23. Bohemiam suam totos XIX. annos a depositione ab Imperio rexit satis feliciter; & in Imperio fecit, quantum licuit & quantum potuit. Principes enim Imperii, Civitatibus liberis infesti non sinebant se ab Imperatore ad pacis jurisve rationes cogi. reliqua declamationem olent, & probari debent. Ajunt: „ *Hac vita cum incurret in odia ac reprehensionem, & contemptum ea afferret, addebat turpitudini crudelitatem, ut metum injiceret iis, quos ipse metuebat, & amoliretur insidias, quas strui sibi initio suspicabatur, deinde re ipsa experiebatur.* „: At o boni Viri Declamatores, cur paullo ante accusabatis Ejus ingenium hebes, & nullarum rerum, nisi voluptatum, intelligens? Jam nobis sistitis sagacissimi ingenii Principem, qui mature suorum insidias, quæ sibi revera struebantur, (Theobald. l. l. p. 132.) amoliri statuit edita in deprehenso pœna. Odium & reprehensionem debuit Clero Romanensi, quem & ipse Hussi-

tis faventior oderat ; contemptum debuit suis Bohemis , ut supra diximus.
 Ajunt : „ *Nec satis illi erat , supplicio affecisse , quos metuebat ; sed sua ma-*
 „ *nu vel ad mensam jugulabat multos , quasi per ludum & jocum , præsidium*
 „ *ratus Principi firmitus barbarorum stipatorum agmen , quam benevolentiam ci-*
 „ *vium* „ : At quemadmodum sola quidem negatio non faciet innocen-
 tem Wencellaum ; ita tamen nec sola declamatoria accusatio faciet nocentem.
 quærimus itaque testes idoneos. Hæc alias referas tuto ad illa *falsa & con-*
 „ *ficta ab Inimicis* , quæ Aventinus silentio damnavit. Ajunt : „ *Cum numerofo*
 „ *se muniret satellitio ex Germanis Bohemisque , hos ipsos tamen sæpe mutabat ,*
 „ *quod nemini satis fideret , insidiarum metu , quas effugere tamen non potuit* „ :
 At an Germani illi Bohemique satellites erant barbari stipatores ? quid alias signi-
 ficaret declamatorius ille flosculus ? Viennensi enim carcere elapsus diu post
 Pragam cum Carnifice & Liçtoribus obequitavit , qui stipatores huc nondum
 pertinent. mutati subinde satellites ad evitandas corruptelas & insidias , *pruden-*
 „ *tem* arguunt , non vero *stolidum , ignavum , hebetem*. Cum nostri Declama-
 tores mox ajunt : „ Wencellaum captum , *vix multis Regum ac Principum in-*
 „ *tercessionibus* impetrasse , ut semel ei ad squallorem & sordes corporis ab-
 „ luendas balneum ingredi concederetur „ : in his , inquam , quæro judi-
 cium & mentis perspicaciam. Reges ergo & Principes multis literis ac preci-
 bus tandem exorarunt Wencellao licentiam semel abluendarum in balneo for-
 dium ! Nugæ. hæc a solo Senatu Pragensi licentia simpliciter precibus
 Wencellai exorata & statim concessa , promisso in carcerem post ablutionem
 reditu. ita ex *Hist. Bohem. Lehm. l. l. c. 61*. Quod deinde ajunt : „ Ex compo-
 „ sito Ambubaja remigante Eum evasisse „ , Ea inquam verba regunt nescio
 quid obscœni ulceris , quod nolo premere. hoc dico , libertatem casu Wen-
 cellao natam. Ambubaja illa , sive Ancilla balneatrix , ne quidem Impera-
 torem noverat. scapha quoque illa piscatoria casu ad Thermas illas applicita
 erat in Muldæ fluvio , ne hoc ante Imperator sciverat. sed *hebes ille & ignavus ,*
 „ *iners ac stolidus* , ut volunt , statim hic suæ libertati viam reperit. Lege
 Lehm. l. l. Ajunt porro Nostri : „ *Sed rediit ad ingenium & memoria carceris*
 „ *ac vindictæ cupiditate magis exasperatus , sævit in subiectos atrocius , quam*
 „ *antea , nactus etiam idoneos sævitæ ministros* „ : Quid enim ? potius gratias
 agere debuerat optimas maximas suis subiectis , quod se ipsorum legitimum
 Regem tantum totos quatuor menses in tetto carcere in squallore & sordibus
 detinuerant ! An ita impune subiecti solent suos Reges ? sed taceo. Narrant
 deinde , „ quomodo Arcem Wilscheradam mendici habitu per stratagema ce-
 „ perit , & evocatos astu adversarios puniverit „ : quæ iterum non conveniunt
 ingenio hebeti. Cætera mittimus , ut jam refutata , aut mox refutanda.
 „ Cum Pragenses aliquot Judæorum millia delerent , impune id facinus fuit „ :
 Cuspin. in *Wencest.* Engelhus. l. l. p. 28 ; tumultuantis populi causam addit ,
 quia *Judæi blasphemaverant Sacrum Eucharistiæ* , aitque tres *exustos* fuisse ipso
Paschæ die , itaque vides crudam illam de Judæis narrationem fieri , non addi-
 ta causa , ad invidiam Wencellai. In *Chron. Belg. M.* quod valde iniquum
 est Wencellao , l. l. etiam habetur : „ Quod ne a fœdis quidem abstinerit
 „ lustris : a quibus cum dehortaretur Eum Regina , offensionem subierit
 „ tantam , ut Cæsar Sacerdotem , cui confiteri ipsa consueverat , omnibus
 „ modis cogeret arcana effari , renuentemque Muldavia fluvio demerserit „ :
 Sed hanc rem adeo atrocem silent alii testes idonei , silent cæteri inimici ; qua-
 re ad invidiosa Monachi alicujus figmenta eam referimus , præsertim cum fal-
 sum

sum sit omnino, vagis libidinibus fuisse addictum; nec enim hoc siluissent Archimyſtæ in Exauſtorationis diplomate: deinde non video ſatis nexum criminis, cur enim non Reginam, ſed ſacerdotem a confeſſionibus vexavit? quæ delicta arcana Reginæ voluit expiſcari? nonne homo tam truculentæ ſævitæ ex ipſa Uxore, muliere timida, facile ea per vim exploraret, ſi ipſam ſuſpectam habuiſſet? At jam audiamus ipſam *Sententiam Depoſitionis*, ſive *Publicum Diploma Exauſtorationis*, quod habet Goldaſt *Conſtit. Imp. T. I. p. 379*. Summam Ejus retulit Urſiſ. *Germ. Hiſt. Part. II. ex Chron. Kongelshovii*; & Trithem. *Chron. Sponheim. ad an. 1400*. In eo accuſatur: 1. „ *ob in-*
„ decentes & deteſtabiles in imperando mores „: Non dicam: qui alium in-
 culcat probri, eo ipſum oportet eſſe vacuum: ſed ſimpliciter diceret alius,
 plus his jaſtari, quam poſſit probari. qualis fuerit, collige ex dictis. 2.
 „ *quod Eccleſiæ Orbique Chriſtiani defectibus noluerit mederi* „: Primum no-
 ta, invidioſa pompa declamatoria totum *Orbem Chriſtianum* huc citari, quaſi
 ille ſub legibus & ditione Wenceſlai fuiſſet. Scilicet Eccleſia in capite & mem-
 bris, fide & moribus (ut habent cauſſæ *Concil. Conſtant.*) reformanda, ni-
 mirum Papa & Clerus, ſi vel alter Conſtantine M. fuiſſet Wenceſlaus, Lai-
 ci Imp. reformationem *defectibus medentem* uſquam aut unquam admiſſent!
 At hæc alium & reconditum ſenſum habent; nempe: noluit Huſſitas ferro
 & igne delere; noluit Reliquiarias Superſtitiones graſſari; noluit per Ju-
 bilæum Romanum exenterari piſſimo & ſanctiſſimo furto marſupia ſuorum
 Bohemorum, ſi Romam peterent. Vide Chron Belg. M. *ad an. 1400*. Clu-
 ver. *in Ev*: nam cum vorago illa pecuniarum Bonifacius IX. (Vide quos-
 cunque de Eo Scriptores, inprimis Engelhuſ *Chr. p. 282. 283.*) innumeram
 hominum multitudinem ſub lucroſa Jubileæ indulgentiæ nundinatione Ro-
 mam ciceret, & quidem bis intra decennium meſſem illam argentariam me-
 teret, Wenceſlaus eaſdem peccatorum expiationes illis venditabat, qui Pra-
 genſes Reliquias viſerent, ne Stultus Populus Quæreret Romam. Sed pergi-
 mus. 3. „ *Quod pacem in Eccleſia non promoverit* „: Hoc volunt, quod Anti-
 papas Gallos & Italos, qui Catholicismum lacerabant in partium factiones,
 non curarit deponi aut componi; cum alter Antipapa vitam æternam deci-
 masque largiretur illis, ſi qui in oppoſitum alterum Antipapam bello in-
 ſurgerent, quæ ipſa hic viciffim in alterum promittebat. At respondemus;
 non erat Illius, nec illius ævi, tantas componere Pontificum lites, quæ
 tandem tricipitem fecerunt Eccleſiam. Galli enim ſuos tuebantur Avenio-
 nenſes, Britanni, Hiſpani, Itali ſuos Papas. Attamen miramur, qua
 fronte hæc publice Wenceſlao incuria potuerit obijci; cum operam revera
 contulerit ſuam ad *Eccleſiæ pacem promovendam*. Audi exceptionem majorem;
 qui hoc ipſiſſimo tempore vixit, oculatum teſtem graviffimum, Froiſſar-
 dum, qui *ad an. 1388*. ex Sleidani verſione ita loquitur: *Ut Eccleſiæ con-*
cordia ſtabiliri poſſet, illico ſcripſit ad Cæſarem Wenceſlaum Carolus VI. Franciæ
Rex, vehementer orans, ut hic ſuum munus faceret. Utriuſque voluntate dictus
eſt dies, quo conveniretur apud Nemos. excogitata ſunt aliæ cauſſæ, propter
quas eo veniſſe dicerentur, ut ne vera Comitiorum ratio, quam tacitam eſſe volebant
aliquamdiu, proderetur. ibi poſt multam deliberationem placuit, mittere Episcopum
Cameracenſem ad Bonifacium (IX.) Romæ commorantem, quem hortaretur,
 „ *ut confirmandæ in Eccleſia tranquillitatis gratia, munus & honorem Ponti-*
 „ *cium abdicaret, non quidem perpetuo, ſed tantisper, donec Regum & Docto-*
 „ *rum hominum ſententia, quid ſequendum eſſet, ſtatueretur* „. Placide reſpondit

Hh 3

Ille:

Ille: „ *se Cardinalium in ea re consilium adhibiturum* „; Interim populus Romanus, qui legationis causam accepit, videns id luculento suo damno futurum, hortari illum, „ *ut ne in ullius Regis aut Principis gratiam eo se demitteret, sed jus suum potius defenderet* „. Proxima igitur cum Legato colloquutione, „ *se qui-* „ *dem, inquit, non gravate, quod uterque Rex peterent, facturum, modo idem faceret Adversarius* „. Regum hic erat animus, ut, deposita vel in Hunc vel in Illum inclinatione & studio, rem componerent. Legatus Confluentiae Cæsarem Wenceslaum offendit: ubi, cum exposuisset mandata, in Gallias rediit. Theologi consulti judicabant idem denunciandum esse Benedicto (qui vulgo XIII. computatur,) quod Bonifacio. Missus igitur Avenionem a Rege idem Episcopus, quæ Principum mens atque voluntas esset, Pontifici ostendit. Ille, „ *nihil horum* „ *se facturum* „, respondit. Consultis tamen Cardinalibus variabant sententiæ, ita ut quisque cupiditatem & affectum attulisset: cumque certi nihil propter studiorum diversitatem statuerunt, discessum est. Legatus ad Pontificem conversus urgere, quod referret, certum aliquid. Ibi tum Ille satis proterve: „ *se* „ *legitime ad culmen illud sacrum & rite promotum esse, quod minime sit,* „ *quoad vivat, deserturus; nec ullum esse mortalem adeo sibi carum, in* „ *cujus gratiam jure suo velit cedere; tantum abesse, ut potentiam & vim* „ *ullius hic reformidet,* „. Narrat deinde Froissardus, ut hic Benedictus tumoris atque superbiæ plenus, Avenione expugnata, deditionem fecerit: ut Francorum Dux, Equitum Magister, illum, *ne prius e curia discederet, quam in quietem atque concordiam esset reducta Ecclesia*, obstrinxerit, accepta fide; ac simul custodes adhibuerit, & fidejussores, ne fucum faceret, exegerit: Gallum deinde rem omnem ad Cæsarem Wenceslaum perscripsisse. atque hæc vix biennio aut XVI. mensibus ante depositionem Wenceslai in luce orbis & hominum gesta sunt, ut miror audacem impudentiam. Calumniare audacter, semper aliquid hæret! 4. „ *Quod Mediolanum & Provinciam Lombardie Duci Mediolani & Comiti Papiensi vendiderit* „: At de his debuisset ipse Wenceslaus audiri! an vendidit in Imperii fraudem & detrimentum? jurene beneficiario servata Imperio suprema potestate, an secus? an non potuisset reponere criminantibus Decessorum suorum exempla, qui Imperii patrimonium non semel imminuerunt? an ideo minus salvum erat Principum Imperii jus ad repetendum, quod sine ipsorum consensu ille abalienasset? quin imo prudentiæ forsitan erat turbatis Germaniæ rebus, cum Johannes Galeacius ex Vicario Præsidente revera Dominum se gereret, accipere oblatam pecuniæ summam, accisis præsertim Germanici Regni nervis, quam gratis illi permittere arreptam, quæ impediri ea tempestate non poterat, dominationem. An ergo Illi per Capitulationem aliamve Legem, ut Imperatori vetitum erat, aliquam Regni Lombardici partem, in feudum concedere aut vendere? Paullo malignior, jure venditas illas terras diceret, quippe cum Wenceslao Pater Imperium emisset. jure vendere potest, quod quis prius emerat. Cur non deposuerunt quoque Carolum IV. Vitricum Imperii, qui ex Imperii patrimonio multa vendidit? Vide Vitam Ejus. Cum hic Carolus IV. sibi primum, dein Filio, *contra auspicia & intercessionem, adversus leges avitas & patrias, contra morem majorum, novo, inaudito & pessimo exemplo Imperium esset mercatus, Septemviris complura pollicitus solvendo cum non esset, Vectigalia Imperii, nervos Reip. illis distribuit, ut loquitur candor Aventini l. l. p. 639.* An ergo impune, & Salvo Reip. bono publico, cui Sacramentis adstricti erant, bene sibi deinde conscii Electores

lectores privata lucella & compendia Publicæ Imperatorum deinceps dignitati tuendæ prætulērunt? & Wencellaus diris devovebitur ob venditum clientelari jure Ducatum, quem servare tamen non potuisset? Cur jam tantopere paratragædiantur, & postea tamen idem Moguntinus Rupertum Imp. in expeditione Italica ad asserendas hæc Imperii regiones, studiosissime impedivit, sociosque expeditionis Leopoldum Austriacum atque Coloniensem ab Eo avulsit, ut clade non levi accepta Rupertus retrocedere debuerit? Vide Carion. *l. l. in Ruperto*. Cur Sigismundus deinde impune Mediolanum & Mantuam Ducibus concessit? vide *Ejus vit.* Forte duo cum faciunt idem, non erit idem. Audiamus porro: 5. „*Quod membranas, plures raras, suæ tamen Majestatis Sigillo munitas, vendiderit.*”: At & super hac criminatione Imperator audiri debuisset! quin imo paullo speciatim magis notari debuisset, quas, quibus, quando & qua lege dederit? & num hi ad aliorum perniciem, ubi & quomodo abusi fuerint? Solent enim alias sæpe Principes optimi fidis Ministris tales chartas membranasve dare, ut illis pro re nata & necessitate in rebus dubiis & moram non ferentibus possint uti. 6. „*Quod bella & reliquas turbas Germaniæ curæ non habuerit.*”: Respondemus primo, conatum esse illum suffocare civiles discordias; docent hoc Acta Publica apud Lehm. *l. l.* Sic bellum civile inter Episcopum & Civitatem Argentoratensem an. 1393. Pragæ composuit: Urspr. Paralip. *ad h. an.* (ubi male *Carolus IV.* habetur, qui an. 1378. jam erat mortuus.) Sed deinde respondemus, quod illo ævo vere monstruosa fuerit Resp. Germanica, omniumque bellum in omnes. faciem illorum temporum depingunt Cario *l. l. in Wencel.* & Lehm. *l. l. ex Trithem. Chr. Sponh. ad an. 1381. Chron. Elwang. ad an. 1374. & seqq. Annal. Thuring. ad an. 1388. Crus. Annal. Suev. p. III. l. V. c. 9-13.* In hoc turbulentissimo & afflictissimo ævo, in isto precario Imperio, probabile non est, Wencellaum potuisse extinguere turbas, odia, simultates internecivas, bella. Hæc omnia oriebantur ab ipsis Proceribus, imo ab ipsis Electoribus, ut diserte testantur laudati Annales. Scilicet hi debuissent puniri, & in illos publicæ quietis turbatores utinam melius potuisset severitatem suam Wencellaus exercere! At cur ipsi Principes singuli in suis territoriis Pacem publicam toties promissam, toties juratam, toties sancitam ultro non promovebant? Hinc puto natum Wencelao Germaniæ tædium, ad quod refero responsum an. 1383. Legatis Imperii Eum in Germaniam evocantibus datum: *Si qui indigeant sui, quid ni ad Regem suum ipsi veniant? nihil esse, quod e re sua istuc agendum videat.* Sic Legatos magnifice donatos domum remisit. Lehm. *l. l. c. 59. ex Hist. Boh.* & tamen aliquoties deinde in Germania fuit, quin & comitia celebravit, ut supra vidimus. Jam audi facerrimum crimen: 7. „*Quod reverendos Sacrorum Antistites, Sacerdotes, & spirituales personas truculenter peremerit.*”: Quæro, merentesne an immerentes? accusatosne & convictos, an inauditos? nominatim quoque indicari debuissent. neminem reperimus, præter Bartholdum Schwartzium, Monachum, pulveris pyrii inventorem, nominatim tradi ab Historicis, de quo diximus. Cætera enim sunt superstitiosi gregis invidiosa figmenta, quæ calumniis suis relinquuntur. Sed obiter notandum, hæc jactari teste & auctore, Johanne Moguntino Archimysta, qui Fridericum Brunsvicensem, invito illo post depositionem Wencelai electum Imp. per immisos sicarios in ipsa via publica interfecit. Juvenalis, si viveret, exclamaret:

Homi-

Homicida Milonem accusat! Pergunt: 8. „*Quod sæpius admonitus tamen*
 „*Sacræ Ecclesiæ opem & Imperio ferre noluerit, aut mores emendare*„:
 At respondeo: Voluit sane opem ferre Ecclesiæ & Imperio, ut vidi-
 mus; verum exoptato eventu beari non potuit. Tu mi lector audi artes
 Principum ex Lehm. *l. l. c. 69.* Rhenanæ Civitates bello cum Principibus
 implicitæ querebantur inconstantiam Wenceslai; huic Electores Depositi-
 onem minati erant, unde hic vicissim Civitatibus & auxilium & copias pro-
 misit adversus Principes. At hi partim ipsi, interque Eos Fridericus Ba-
 varus, partim per Legatos, quod alias non fecissent, Aulam Regiam in
 Bohemia accesserunt, Imperatori contra quoscunque Adversarios & rebel-
 les opem paratissimam & obsequium promptissimum sponderunt, atque
 hoc artificio fatigatum Eum a Civitatibus Imperialibus alienarunt. hinc
 deinde illæ turbæ. Verum *perpetua Nocte tegi propria patiamur crimina Gen-
 tis!* At *Mores*, quos & quales debuit *emendare*? an ergo Domini illi Pæ-
 dagogi moribus erant emendationibus? *Turpe est doctori, cum culpa redar-
 guit ipsam*, quod ostendere in proclivi foret; sed saturam non scribimus.
 Denique ajunt: 9. „*Quod citatus ad Collegium Electorum non comparuerit*„:
 Quæro: Ergone erat obligatus ad comparendum? illine erant Domini &
 Judices supra Imperatorem? quid si opposuisset justissimam exceptionem
 loci non tuti? jam enim Rupertus Palatinus cum Moguntino colluserat su-
 per exauctorando Imperatore: vide Lehman. *l. l. c. 59. c. 69. in fine, c.*
74. cætera divinet prudens Lector. Concludunt ergo: „*Ut adeo opus fue-
 rit in contumaciam ferri sententiam Depositionis*„: Jam itaque & nos acce-
 damus ad quæstionem initio propositam de *æquitate & merito hujus Deposi-
 tionis, Abdicationis, Exauctorationis.* Ad partes nostras quoque vocabimus
 Schurzfleischium, virum egregie doctum, *Diss. XLIX. p. 23-26.* Qualis
 Wenceslaus fuerit, judicet ipse Lector ex illis, quæ retulimus. Constat,
 ex scribentium odio multa ei afficta: sed an hæc Inimicorum odia; Cæ-
 des paucae privatorum, si veræ sint; Vinositas; Inertia; Mores inde-
 centes; Defectus Ecclesiæ & Orbis Christiani non emendati; Pax Eccle-
 siæ non promota; Venditus Ducatus Mediolanensis; Venditæ membra-
 næ rasæ & sigillo munitæ; Bella & turbæ Germaniæ non curatæ; Sacri
 Antistites, Sacerdotes & Spirituales Personæ truculenter peremptæ; non
 secuta ad crebras admonitiones opitulatio Sacræ Ecclesiæ & Imperio, &
 morum emendatio; & tandem contumacia, dum citatus ad Collegium
 Electorum non compareret: An inquam hæc Wenceslao imputata, non
 vero unquam ipsi probata, fuerint satis prægnantes causæ ad Depositionem
 Ejus? An ex his fuit, Wenceslaum habuisse animum opprimendæ Reip.
 & convellendarum omnium Imperii legum? An ita Tyrannus proprie di-
 ci, haberive debuit? Num Electores tum habebant jus deponendi? qua
 lege & quando sancitum erat? An æque forsan vitiosi poterant jure depo-
 nere vitiosum Imperatorem? An e re publica fuit, per ejusmodi Deposi-
 tionem turbis implicare Imperium? An Electores poterant simul esse
 actores, testes & judices in sua causa? Sententiam Depositionis concepit
 Moguntinus, ut præfert, *nomine* reliquorum *Electorum*; at Vir qualis?
 nolo dicere: hinc dubitari potest, An omnes Electores fuerint ad istum
 actum citati? an omnes fuerint præsentibus? an consentientes omnes? Ad-
 dit aliquod justæ suspicioni pondus, quod Wenceslai successor Rupertus
 ipse Palatinus fuerit Depositionis suasor & auctor: Lehm. *l. l. c. 59.* De-
 positio-

positionem Urbi Spirensi significant ex urbe ad Rheni & Logani confluentes *Lahnsteinio*, 20. *Aug. an.* 1400. tantum hi IV. Electores: Tres Archimystæ ad Rhenum, cum Ruperto Palatino: *Lehm. l. l. c. 72.* & sequenti *c. 74.* iidem tres tantum Archimystæ Urbi Spirensi perscribunt Ruperti Electionem, *ex campis prope Renssee*, 21. *Aug. an.* 1400. Obiter enim notandum est, Depositionem *Wenceslai* factam esse mense Majo, Francofurti ad Mœnum, statimque electum Fridericum Brunsvicensem, hocque per Moguntinum sublato, Depositionem *Wenceslai* esse solenniter publicatam *in Campis Renssee* (qui pagus, hodie *Rens*, est ad Rhenum e regione Arcis Brubacensis, ubi & hodie ostentatur lapideus suggestus, sub nomine *Sedis Regiæ*, *Der König-stuhl.*) 20 *Aug.* 1400. die Veneris ante meridiem, Rupertum vero ibidem electum die Saturni sequente 21. *Aug.* 1400. ante meridiem. Vide *Lehm. l. l. c. 72.* Ego, cum Cll. Thomasio & maxime laudato Schurzfleischio, Illam Exauctorationem *Wenceslai* necdum satis in morum legumque via expeditam ajo; quod nullum Jus Fasque tale quid sinat: 1. Non *Naturæ*, ex quo semel positus est Imperiorum ordo & Imperandi quæsitum jus. 2. Nec *Gentium*, propter Gentes in Pace retinendas, vitandasque foedissimas rebelliones: Princeps enim, si maxime Electionis titulo evectus, non æque ac Medicus assumi ac dimitti potest. 3. Nec *Civile*, quandoquidem id omne a consociationis civilis indole plane abhorret, contrariumque tot Quiritium legibus sancitur. 4. Nec *Divinum*, quod sicut obsequium Principibus sancit, ita prohibet motus: 5. Sed quia id sub conditione sancit, puta Divini cultus, &, pari interpretationis jure, pactorum conventorum; evenire usu potest, ut his, qui aliquid contra pacta extorquere volunt, resistatur, si ii, per quos resistitur, eo loco sint, ut jus resistendi habeant. Multum vero abest, ut ab eo, quod defensionis causa jus concessum est, ad eversionem trahi debeat, aut omnium, quæ superioribus pactis quis consecutus fuerat, jurium privationem. 6. Sed neque id convenire potest *Imperii juri*, quod Caput & Membra invicem sanctissima obligatione innectit ac devincit. At opponunt *Exempla* depositorum Imp. *Caroli Crassi; Adolphi Nassovii; Henrici IV.* Regero: Facta contraria non possunt coalescere in jus, nec dissolvere nexum Imperantis & subjectorum: deinde dico: *Carolus Crassus* non fuisse solenniter depositum, sed, quia ex morbo stupidus amensque rebus gerendis inutilis erat, a suis desertum esse, & ab Arnulfo successore datis aliquot Alemanniæ locis, honeste habitum: De *Adolpho Nassovio*, eique facta injuria in Eo satis dixi: *Henricus IV.* victima nil miserantis Papæ, vi & mera iniquitate exauctoratus est, cui jus Imperii successionem quæsitum auferri non potuit, nec ipse abdicandi animum habuit; imo erepta Imperii insignia repetiit. Alii opponunt *Jodoci Moravi*, post Rupertum electi Imp. constitutionem, qua *Status Imperii Imperatori resistere possunt, si contra jura Imperii faceret*: Regero, jure & valde dubitari, an hæc Constitutio unquam a Jodoco nunquam inaugurato lata fuerit: sed fuerit lata! num Leges posteriores priorem iniquitatem possunt reddere legitimam? sed pudet me talium nugarum. Si legitima, justa, merita fuit *Wenceslai* exauctoratio; Cur *Aquisgranum* aliæque Civitates Imperii *Wenceslao* nihilominus adhæserunt, a Ruperto, quem Cæsarem agnoscere volebant, postea in ordinem cogendæ? *Cluver. & Cario l. l.* Cur Itali plerique studuerunt *Wenceslai* partibus? *ibid.* Cur Cardinales *Wenceslao* spem fecerunt recuperandi Imperii?

Theobald. *l. l.* p. 77. Cur *Jodocus Moravus* deinde noluit invito *Wencellao* Electionem admittere? *Cario l. l. in Jodoco*: Cur *Sigismundus*, Frater *Wencellai*, mox per literas fuit conquestus de Depositione *Wencellai*, sui Germani? & Cur post *Jodocum* Imperator electus noluit Imperium sine consensu Fratris suscipere? *Limnæ. T. II. Addit. p. 63. 64.* Concludimus ergo: *Videri, Depositionem, Abdicationem, Exauktionem Wencellai fuisse iniquam, contra principia moralia & politica, sive Leges Juris Naturæ, Gentium, Civilis, Divini, Publici Germanici, immeritam, per turbas, ne dicamus factiones, procuratam.* quare cordate *Emundus*, Scriptor hujus temporis in *Chron. M. Belg. p. 328.* allatus ait: „*Wencellaum imperio pri-*“, vatum 1. non vocatum, 2. non convictum, 3. sine causæ cognitione,„. Illud cum *Boxhorn. H. U. in Wencell.* volumus: Quorumcunque tandem Sæculorum ac Gentium sive vetustos, sive recentiores Annales inspiciemus, Eorum Auctores vel odio vel studio commotos, & judicia rumoresque vulgi, cui in amore aut ira in Dominos nihil fere est modicum, secutos accurato cum judicio legere debemus, ne ipsi aut verum amittamus incuria, aut socordia falsum admittamus: Tales enim obnoxii scriptores vel nimis vituperarunt, præter verum & æquum, Principes, & sic Posteris incautos fallere ac in errores possunt præcipitare.

RUPERTUS PALATINUS (a).



L O T I C H I U S.

Felix ingenio, felix & Marte RUPERTUS,
 Collecto Tuscos milite iuvit agros.
 Sed Nicri liquidas citius decessit ad undas,
 Ante quod Insubri victus ab hoste foret.

H O F M A N N U S.

Imperio (b) admotus tanto dum culmine digna
 Molior (c), Italica prodicione (d) premor.
 Ex Latio in patriam hinc, sorte haud ridente, reversus,
 Turbis implicitam (e), regna quieta (f) peto (g).

E N A R R A T I O.



Ognom. (a) *Clemens*, aliis Germ. *Hertzog Clemm*. i. *Rigidus*, quod fortiter hostes Reip. presserit, fil. Ruperti Jun. Elect. Palatini: (b) post Fridericum Brunswic. qui in locum Wenceslai successus erat, a Com. Waldeccensi Moguntini fraude interemptum, ann. C. 1400. Imperator electus est, ann. eod. (c) Aquisgranenses, quod ab iis non admitteretur, proscripsit, & ad subjectionem redegit, ann. 1401. Wenceslaum coegit Ordines juramento solvere, nec tamen oblatum a Bohemis regnum accepit, 1402. Adversus Joann. Galeacium dein Mediolan. Imperio Italiz imminentem, profectus Mediolanum tentavit, eod. (d) sed a Pontifice, Florentinis & Moguntino desertus, ad Benacum lacum cladem accepit, ann. 1403. (e) Reversus, Germaniz exorandæ ætatem reliquam impendit, ac turbas varias composuit,

fuit, filio in Arelatenſi regno Imperii Vicario conſtituto. (f) Obiit ann. C. 1410. Imp. ann. 9. menſ. 9. Princeps animo magnus, ingenio acer, Maieſtatis Imperii, & publicæ rei perquam ſtudioſus, Juſtitiz inprimis gloria inclytus, ac bello inſuper exercitatus. Antoninus Archiepiſc. Florent. *Part. 3. tit. 22. cap. 3.* Joan. Cuſpinianus *in eo*, Palmerius *Chron.* Nauclerus, Paul. Lang. *Chron. Citiz.* Blondus, Aventinus, Spenerus *de Familia Palajino-Bavar.* Alii. (g) Imperii Byzantini reliquias tum adhuc moderabatur Manuel II. qui Iſthmum Peloponneſi muris cinxit, ann. 1402. In Turcico quatuor filii Bajazetis ſibi mutuo ſucceſſere, Iſa vel Iſſem, ann. 1403. occiſus a fratre Solimanno I. 1404. Laonic. Chalcocondylas *de Rebus Turc. lib. 3. & 4.* In Italia, Ladislaus Neapolis & Apuliz Rex Tarentum, ann. 1408. occupavit. Bonfinius *Dec. 3. lib. 3.* In Francia, Carolus VI. annatas e regno exportari prohibuit, ann. 1406. Joannem Burgundiz Duc. ob eadem Ludovici Aurelian. citatum, cum armatus compareret, abſolvit, ann. 1408. Paul. Æmylius *Hiſtor. lib. 9. & 10.* In Anglia, Henricus IV. Scotos Percio duce vicit, ann. 1401. & Roberti Regis filium Jacobum cepit, ann. 1406. Buchanan. *Rer. Scotic. lib. 10.* In Polonia, Vladislaus Jagello Vitauldum patruelem *Lithuanie M. Ducem* creavit, ann. 1405. Mart. Cromer. *Hiſtor. Polon. lib. 15. & 16.* In Hungaria, Sigismundus denuo a Turcis ſuperatus eſt, ad Senderoviam, ann. 1409. Cuſpinianus *in eo.* In *Eccleſia*, Bohemi agminatim ſeſſionem fecere a Communione Rom. & Jacobus ac Conradus Cantabrigienſes, Wicleſi diſcipuli, Pragæ contra varios errores publice diſputarunt, ann. 1404. acceſſere Joannis Huſſi conciones, qui inſuper Wicleſi varios tractatus Bohemice verſos, tum ad alios Proceres, tum ad Jodocum Moraviz March. (de quo infra) magni muneris loco miſit: concionari dein vetitus, ad functionem rediit, ann. 1408. Camerarius *Hiſtor. Fratrum*: Wenceſlao Rege connivente ac dicente, *Anſerem* (hoc enim vox *Hus* notat) *aurea ſibi ova parere*, Mart. Cromerus *lib. 15.* At Romæ, poſt Bonifacium electus Innocentius VII. ann. 1404. appellatus de Schiſmate in multos ſæviit: quem ſecutus Gregorius XII. ann. 1406. cum de unionem audire nolle, ingrata canentem Paſquinum audit, interea dum Benedictus Avinionem adhuc ſedebat. Tandem Cardinales ſeſſione a Gregorio facta, Piſiſque celebrata Synodo, utrique oppoſuerunt Alexandrum V. ann. 1409. & hoc brevi deſuncto Joannem XXIII. ſ. XXIV. ann. 1410. hominem prophanum ac impurum, Platina & Joann. Baleus *Vitis Pontif.* Literas reſfloſcentes quod attinet, ex Pragenſis Academiz diſperſione nata eſt Lipſienſis, ann. 1409. auctore Friderico Bellicoſo Elect. Saxoniz, Spenerus in *Familia hac.*

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

Libet Ruperto Palatino Imp. ſubnectere, Moraviz & Brandeburgi (quam marchiam ipſi oppigneraverat ann. 1388. Sigismundus, poſt Eum Imp. tunc regnum Hungariz recuperaturus:) Marchionem, Caroli IV. ex Fr. Johanne Henrico F. vide Reuſn. *Baſ. Gen. p. 144. 147.* Hic jam ſenex, barba venerabilis, unde & *Barbatus* cognominatur, electus eſt Imp. non cunctis ſuffragiis, ſolis Archimyſtis & Sigismundo patruſe per Burggravium Noribergenſem legatum ſuffragantibus, refragantibus vero Palatino & Saxone, an. 1410. menſe Octobr. non eſt inauguratus aut coronatus, nec quid memorabile geſſit: unde a plerisque in ferie Imp. omittitur. Conſtitutio Ejus dubia, imo ficta eſt, cujus ipſum Goldaſtum creditæ tandem puduit: *Status Imperii Imperatori reſiſtere poſſe, ſi contra jura Imperii faceret.* Errat Cario, *in Eo*, cum depoſito Wenceſlao ſucceſſorem datum ait. Hunc equidem Regem Bohemiz Patruſe mox ab Electione ſua inviſit, qui abdu-

ctum in penitiorem ædium partem ita allocutus eſt: „*Eſi ſcio non eſſe e dignitate mea, quod Electores me Imperio abdicarunt; ſolatio tamen eſt, quod e familia noſtra hoc decus non excidit. Ego Te libens volenſque Imperatorem electum accipio*... Cumque Jodocus his verbis territus ad Regis genua procubiſſet, ac, *ſibi nihil imputandum*, diceret, *quod earum omnium rerum ignarus fuiſſet*: „*Pone metum*, inquit. *Nam neque Imperium invitus depoſui, neque, ſi recuperare illud vellem, jura ſanguinis violare auderem. Bono itaque que animo eſto. Imperiumque Tibi demandatum* „*ſuſcipe! mihi mea ſatis eſt Bohemia; Viribus, armis, opibus Regni mei, tanquam tuis, ut libet, utere*...: lærumque & donatum Nepotem a ſe dimiſit. Cario l. l. Deceſſit Brinnæ, metropoli Moraviz, 20. Mart. an. 1411. Imperii menſe ſexto: ibidem in S. Thomæ juxta Patrem regio titulo ſub inſignibus Imperii ſepultus. Adde Cuſpin. Mutium, alioſque.

SIGISMUNDUS (a).



L O T I C H I U S.

Conventus Patrum ciet, armaque fortibus ausis
 Tresque SIGISMUNDUS Pontifices pepulit:
 Insignem meritis Musarum laude triumphum,
 Doctrinae tenuit vix & in arte parem.

H O F M A N N U S.

*Alter ab hocce nepos (b), claris virtutibus (c) atque
 Pace (d) potens, bello (e), ast conjugioque (f) miser.
 Sub quo conscriptos vidit Constantia (g) Patres,
 Acris in Ausonium Regia (h) moxque Jovem (i).*

E N A R R A T I O.



Lector (a) primo Brandenburgicus, dein Rex Hungariae, ut dictum,
 (b) Frater Wenceslai & Jodoci praefati, ex fratre Car. IV. nepos, sed
 a Jodoco longe diversus, communi Septemvirorum suffragio, ob
 singulares virtutes ac potentiam, Imperator electus est, ann. C. 1411.
 (c) prudentia, animi magnitudine, liberalitate ac ceteris amplissima
 fortuna dignis virtutibus donatus, (d) adeoque pace bonus Princeps,
 (e) sed bello tum Turcico, uti jam vidimus, tum Hussitico, de quo
 postea, infelix. Hernoja prodente Bosniam quoque amisit, ann.
 1415. (f) Connubium insuper cum Barbara foemina impudicissima infaustum expertus,
 quae, ut regna sibi retineret, marito adhuc spirante, novum cum Casimiro, Ladislai
 Poloni filio, matrimonium agitare non verebatur. (g) De Schismate tollendo sollicitus,
 Con-

Constantiæ celebrato Concilio, tres Pontifices prælatos summovit, anno 1415. Joannem dein Hussum & Hieronymum Pragensem, viros præclarissimos, sub fide publica Constantiam vocatos, cremari ann. eod. & 1416. ac S. Cœnam, dempto calice, mutilari passus, ann. 1417. Martinum V. in locum remotorum Pontificum eligi curavit, ac Electoratum Brandenburgicum in Zollerenses, & quidem in Fridericum Burggravium Norimberg. ann. eod. Saxonicum vero in Misnenses, & quidem Fridericum itidem March. ann. 1423. ambos hodiernarum Electoralium familiarum conditores, transtulit. Adolphum porro Clivensem, & Amadzum Sabaudia Com. in Ducum ordinem promovit, & Galeacium Vicecom. Mediolan. eodem honore prosecutus est. Gonzagam autem Mantuæ Marchionem creavit. (b) Basileæ dein Concilium alterum celebratum est, in quo præsentem Sigismundo Imp. & præsidente Juliano Cardin. liberius, quam unquam hætenus, in Pontificiam potestatem inquisitum, ann. 1432. ac Bohemis integra Eucharistia concessa & Papa Concilio subjectus est, ann. 1437. Interea (i) bellum Bohemicum contra Hussitas, duce Zisca, sæpius victores, infelicissime gessit, ann. inprimis, 1422. & 1431. Obiit ann. 1437. ætat. 70. Imp. 27. ingens literatorum Mæcenas. Joh. Cuspinianus *de Caesaribus*, Crantzius *Saxon. lib. 11. cap. 1. & 10.* Dubravius *Hist. Bohem. lib. 24.* Anton. Bonfinius *Rer. Ungaric. lib. 3. cap. 3. & 4.* Trithemius *Chron. Sponheim.* Nauclerus, Mutius, Anton. Albitius, Alii. Apud Byzantinos, Manuel II. a Turcis obsessus, per Manuelem fratrem nothum liberatus, an. 1411. ejusque successor Joannes VI. filius, an. 1419. a Turcis similiter obsessus est, ann. 1424. Laonicus Chalcoc. *de Reb. Turc. l. 4. & 5.* In Turcico Imperio, Solimannus I. a Musa Zelebe fratre interfectus, ann. 1411. & ipse a Muhammede I. quarto fratre occisus est, ann. 1414. Idem *lib. 3. & 4.* Hunc excepit fil. Amurathes II. ann. 1422. In Italia, Ladislaus iterum Romam cepit, ann. 1413. Pandulf. Collenutius *Histor. Neapolit. lib. 5.* In Hispania, Alphonsus V. Aragon. Ferdinandi Castellani fil. adoptione Joannæ II. Neapol. regnum hoc obtinuit, ann. 1420. quo ipso Madera ins. inventa, & via ad novum Orbem facta est, Mariana *de Rebus Hispan. lib. 20.* In Gallia, bellum inter Aurelianienses & Burgundos, ob Joannem Burg. cæsum, Philippo II. Bono filio vindice, fervet: Henricus V. Angliæ Rex, *Franciae Rector* declaratur, ann. 1420. Unde Carolus VII. sexti fil. & successor ann. 1422. multum in ingressu Regni laborat, ab Anglis victus, ann. 1424. postea vero a puella Lotharingica Johanna mirifice adjutus, quæ Anglos ab Aurelia depulit, hinc cognomen nacta, ann. 1429. Sub eodem Rege postmodum *Sanctio Pragmatica* Biturigibus promulgata, & Constitutiones Constantienses ac Basilienses, *Pontificem Concilio subjicientes, & frenum injicientes ejus in Beneficiis conferendis, in Controversiis Romanam trabendis, in annatis exigendis, in Cardinalibus creandis, usurpationi*, receptæ sunt, quod ad sequ. Imperatoris historiam pertinet. Paul. Amylius *lib. 10.* In Hollandia, Jacoba Wilhelmi VI. hæres, an. 1417. multiplicitate nuptiarum turbas dedit: successit ipsi Philippus II. prædictus (Ordinis Aurei Velleris auctor, ann. 1429.) amitinus, ann. 1433. qui, Philippo Brabantia Duce sine liberis extincto, Ducatum etiam illum sibi vindicavit. Suffridus *in Chron.* Andr. du Chesne *in Histor. Burg.* In Polonia, Vladislaus III. Vladislai Jagellonis fil. & successor, ann. 1434. jus Russicæ & Polonicæ Nobilitatis æquavit, eod. Mart. Cromerus *Hist. Polon. lib. 21.* Quantum ad Ecclesiam, in Bohemia, Sigismundus tot malis fessus, tandem Hussitarum Articulos IV. qui *Compactata* dicti, una cum Concilio Basiliensi admisit, & *sub utraque communicantes* legitimos Catholicæ Ecclesiæ filios declaravit, ann. eod. Camerarius *Histor. Bohem.* In Polonia Vladislaus Jagello, a doctrina Hussitarum non alienus fuit, uxorque ejus Hedvigis Biblia S. Polonice sibi verti curavit, circa ann. 1431. Lasicius *De Gestis Fratr. e mscr.* At Avenione, qui Benedictum excepit Clemens VIII. ann. 1424. abdicavit se sponte, ann. 1428. Romæ autem, successit Martino V. Eugenius IV. ann. 1431.

A L B E R T U S. (a) I I.



L O T I C H I U S.

Austrius augustis ALBERTUS fascibus *Alter*
 Vix modico regnans tempore Cæsar erat.
 Dum Mahometigenas bellis invadere Turcas,
 Morte cadit citius præcipitante, cupit.

H O F M A N N U S.

Hunc gener (b) excepit, trino diademate (c) clarus,
Unum in tot fato concumulante caput.
Sed decus Austriadum rapuit celer Atropos istud,
Serta & quot fuerant, tot cecidere (d) brevi (e).

E N A R R A T I O.



Il. (a) Alberti IV. Austriaci. (b) A socero Sigismundo Imp. cujus ex Barbara unicam filiam Elisabetham Lucenbur-giæ gentis hæredem duxerat, initio Moraviam pro dote tenuit, hinc post mortem ejus, (c) Hungariæ & Bohemiæ regna. Post quæ Imperium etiam unanimi Procerum con-sensu accepit, ann. C. 1438. quo ipse uno ter coronatus est. Vladislaum mox Polonum e Bohemia amovit, factionesque Bohemicas attrivit: tum advocatus a Georgio Serviæ Despota, Amurathem ad Albæ Græcæ obsidionem jam annuam solvendam adegit, ann. 1439. (d) sed in reditu, in inf. Scuta, ex nimio æstu an peponum esu decessit, *epd.* relicta uxore

uxore gravida, quæ postea Ladislaum Posthumum peperit. Cuspinianus *in eo*, Anton. Bonfinius *Rer. Ungar. Dec. 3. lib. 4.* Aeneas Sylvius *Histor. Bohem. cap. 55. & seqq.* Trithemius, Nauclerus, Crantzius, H. Mutius *Chron. Germ. lib. 28.* Alii. (e) In Oriente, Joannes VI. urbi imminere exitium videns, quo a Latinis auxilia impetraret, in Italiam cum Patriarcha Constantinopolitano concessit, & in Concilio Florentino, quod Eugenius Basiliensi opposuerat, *Primatum Papæ* agnovit, ac in nonnullis quoque aliis capitibus Ecclesiæ Romanæ se junxit, ann. 1438. verum hunc consensum reverso Imperatore Græca Ecclesia abjuravit, Laonic. *Histor.* In Turcico Imperio, Amurathes II. Senderoviam cepit, ann. 1439. Nadan. *Floro Ungar. lib. 3. cap. 6.* In Italia, Franc. Sfortia Blancham Mediolan. duxit, ann. 1438. Calvisius *Chron.* In Francia, *Pragmaticam Sanctionem*, cujus supra meminimus, Concilio Basil. conformem, promulgavit Carolus VII. ann. 1439. Idem. In Bohemia, Hussitæ Regem sibi legerunt Casimirum Polonum, in locum Sigismundi, sed eum Albertus Imp. cum Electore Saxoniz, repressit, ann. 1438. Martin. Cromerus *lib. 21.* In Hungaria, novam Austriacorum Dynastiam idem Imp. orsus est: ejus vidua, ex Procerum consilio, Ladislaum Polonum revocavit, de quo infra. In Ecclesia, Bohemi bello invicti, pace fere succubuerunt, divisi in *Calixtinos*, qui ad Latinos ritus reversi solum Calicis usum retinuerunt, & *Taboritas*, seu genuinos Hussi discipulos, ann. 1438. Camerarius *Histor. Fratrum Bohem.* In Polonia, Italia, Gallia & Anglia, Hussi, Waldi & Viclefi discipuli passim puriora dogmata annuntiaverunt, gravia multa passi. Cromerus *diff. lib. Mar. Bielscius Chron. lib. 3.* & Antoninus *Part. 3. tit. 22. c. 7. §. 8.* At Concilio Ferrariæ prius, dein Florentiæ habito, præter dicta, *Purgatorium* stabilitum & *Sacramenta VII.* instituta sunt, ann. 1439. Barthol. Caranza *Summa Concilii Florent.* ipse vero Eugenius a Concilio Basil. depositus est, Felice V. (fuit is Amadæus Sabaudia Dux, hæctenus Eremita) ei surrogato, ann. 1439. qui Basileæ coronatus Lausannæ sedem fixit: unde novum Schisma. Platina *Vitis Pontif.*

Additamenta HENR. CHR. HENNINI.

Alberti II. Genealogiam vide in Reusn. *Bas. Gen. p. 150-154.* Heuter. *Habsburgic. l. 1.* Et quis nescit Austriacam Gentem? Filias insuper habuit duas: *Annam*, Wilhelmo Saxoniz Duci nuptam; & *Elisabetham*, Casimiro, Poloniz Regi, elocata. Cario *Chron. l. V. in Fo.* Creatus est Imp. Francofurti ad Moenum 20. Martii 1438. per Electores: Hungariæ Rex Albæ Regiæ 1. Jan. 1438. cum Uxore coronatus est; Bohemiæ Rex 6. Maji 1438. Pragæ inauguratus est. Lehm. *Chr. Spir. VII. 91.* eodem anno ipse Dux Austriæ, etiam Luxemburgi Dux & Moraviæ Marchio per uxorem factus est: Adeoque jure Fundator Austriacæ Majestatis salutari potest. Regnum Bohemicum non sine armis possedit. Caspar Comes Sliccius ad Bohemos missus Orator, facundia verticordia, duplici nomine Ei regnum deberi contenderat; tum quod uxorem haberet Elisabetham, regio progenerat sanguine Bohemorum; tum quod priscum fœdus existeret inter Reges Bohemos & Duces Austriacos, ut deficientibus in altera domo masculis, hæredibus, altera acciperet regnum. Sane Sigismundus Gænerum sibi in triplici Regno optaverat hæredem. at plus apud Bohemos negotii fuit, quorum aliqui Proceres Casimirum, Vladislai Poloni Fr. ad Regnum invitabant; quorum partes roborabat Ptarſco Hussitarum Taboritarum caput, gnarus Albertum in Romanenses pronum, suis parum faventem & propitium fore. nam Romanensium Sacrorum amore adeo ardens fuit, ut ob Sacrorum cultum *Monacho*, quam *Principi similior* diceretur a malevolis. quare Ptarſco munivit impigre Hussitarum oppida, Georgii etiam Poggiebracii, (Regis postea Bohemi:) fideli opera usus. his Taboritis juncti Poloni, ducibus Sendivoio Ostrogio, Pohnaniensi, & Johanne Tencinio, Sendomiriensi, Palatinis, Austriacos provocare ausi, Alberti Brandeburgici (qui *Achilles Germanicus* ob virtutem dictus, ab Alberto Austriaco Polonis oppositus erat:) opera, cui parebant 30000. militum, celeriter occupata Praga fracti, & ab Eodem tum Vratislaviensium Duce late deprædata Polonia, Poloni pace facta regni limitibus excedere coacti sunt. Pacem conciliaverat Legatus e Basiliensi Concilio, quo tempore Cæsar e gradibus prolapsus multis

diebus decubuit, claudusque in Austriam revertitur. Ulricum Ciliensem, qui regnum affectabat, subtractis stipendiis, datisque Successoribus malignas spes omittere coegit. Hungari, qui priores Eum Regem dixerant, ægre assentiebant, ut Imperium susceperet, causati, Turcarum direptioni patuisse Pannoniam, dum Italiam, Germaniam, aliasve regiones peragrasset Sigismundus; at Fridericus Junior, Alberti patruelis, precibus evicit, ut eam Domui Austriacæ accessionem fieri paterentur. nam ea jurata conditione delatum erat Hungariæ regnum, ne quando oblatum acceptaret Imperium, metuentibus, ne in varia distractis contra Turcas præsto non foret: consenserat tamen Hungari, in spem erecti certiorum e Germania subsidiorum adversus Turcas. Noribergæ in Comitibus 1439. petiit auxilia adversus Polonos, Pacem publicam Imperii renovavit, Concilium Basiliense promovit, & super concordia Concilii & Papæ nova indixit Noribergam Comitibus in diem 16. Octobr. 1439. atque ut ipsi Electores, Principes, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Prælati Eruditos Viros secum adducentes advenirent, rogavit. Iter Italicum bella civilia Bohemica & Turcica impederunt. At mors etiam laudabilia studia intercepit, in villa *Longa* dicta prope Strigonium, tribus Milliaribus Buda, 28. Octobr. 1439. Albæ regiæ juxta Socerum Sigismundum sumtuosissime sepultus est. Fuit Princeps longiori vita dignus, maximæ spei, summæ expectationis, qui recuperaturus videbatur perditâ Imperii jura: erat statura procera, nervoso & valido corpore, facie auctoritatis plena, barba more Gentis erasa; vestem haud splendidam baltheo aureis bullis distincto cinxit, e quo semper pendulus erat gladius: porro erat eximia animi magnitudine, liberalitate, virtute, tutæ tranquillæque pacis Assertor; at simul exemplum lubricæ rerum humanarum inconstantia, quæ repente occidunt, quæ breviam summum potentiz creverant. Adde laudatis Scriptoribus Ursperg. *Paral. ad h. m.* Lips. *in Dedic. Admirandor.* Auctorem *Rp. Germ. p. 325.* Boxhorn. *H. U. in Eo*, & *ad an. 1440.* Cluver. *Epit. Hist. in Eo.* Micrzk. *Synt. Hist. II. 5. §. 16.*

C X V.

F R I D E R I C U S (a) I I I.



L O T I C H I U S.

Imperio multis FRIDERICUS *Tertius* annis
 Præstitit innocuæ nobile pacis opus.
 Rege sub hoc cusus quia prodiit ære libellus,
 Hinc ovat invento Teutonis ora suo.

H O F M A N N U S.

Imperii culmen (b) *gente ex conscendit eadem*,
Et rexit nutu plurima regna (c) *suo*.
Pacis amans (d) *felixque nuru* (e), *quæ juncta marito*
Immensum Austriacas accumulavit opes (f).

E N A R R A T I O.



Rnesti (a) cogn. Ferrei ex Cimburgi Mazovia, scæmina robustissima, fil. (b) post Albertum II. cui conciliaverat Bohemos, electus est Imperator, ann. C. 1440. in Alsatia, Armeniacos repressit, ann. 1444. Ob Ladislaum agnatum Ungariæ & Bohemiæ Reg. (cujus coronam sibi oblatam recipere reculaverat) quod impuberem in aliena curam esse nollet, detentum, ipsum vexavit Joh. Huniades, & demum ut redderet, coegit, ann. 1452. hac lege, ut Hunniades Hungariam, Georgius Podiebradius Bohemiam, Ulricus C. Ciliæ Austriam administrarent: qui tamen postremus pulsus est anno sequente. Cum fratre Alberto sexennale eidem bellum, in quo cum summa suorum perfidia colluctari habuit necesse. (c) Italiam ingressus, Romæ coronatus est, salutatusque Langobardorum Rex, quod tamen regnum post Sfortia occupante amisit: Bohemicum, ut diximus, accipere renuit: Hungaricum Matthiæ Hunniadi 80. mill. aur. acceptis permisit, ann. 1464. Cum Carolo Burgun-

Burgundiæ ultimo Duce, post bellum annuum, pacem, (d) cujus amantissimus erat, iniit, ejusque (e) filiam unicam Mariam Maximiliano filio suo in matrimonium impetravit, sicque ei Burgundiam & Belgium conciliavit, ann. 1477. (f) A Matthia post hæc Ungar. Reg. infestatus Viennam amisit, ann. 1485. In Imperio tandem pluribus motibus compositis, ac contra Helvetios Suevico scedere (*Chypens S. Georgii* dicto) inito, obiit ann. C. 1493. Imp. 53. clementiæ, mansuetudinis, pietatis, sobrietatis eloq. inclitus, sed Pontifici, a quo etiam coronam accepit, visus addictior. Cuspinianus *Friderico III.* Ignatius in eod. Jac. Meyerus *Annal. Flandr. lib. 16.* cæterique Auctores sapius memorati. Eo imperante, Johannis fratris successor Constantinus XI. Dragoses, ann. 1445. a Turcis obsessus, ann. 1452. capta Constantinopoli occubuit, Imperio Constantinop. sic a Mahomete II. penitus everso, anno 1453. ipso Pentecostes die. In Turcico Imperio, Amurathes II. cum Scanderbego infelicissime bellum gessit, ann. 1447. Mahometes fil. ejus Constantinopolim, ut dictum, Athenas & Corinthum, ann. 1458. Trapezuntem, ann. 1461. Epirum, ann. 1467. Euboeam, ann. 1466. Scodram, ann. 1478. aliaque expugnavit, & Usuncassanem Persam bombardarum usu vicit, ann. 1473. ei successit fil. Bajazetes II. ann. 1481. In Africa, occupavit Fezzæ regnum Saidus, ex quo *Oatazeni* Reges dicti ortum traxere, & Xerifum I. invasorem occidit, ann. 1481. Thuanus *Histor. lib. 7.* In Hispania, regnum Castellæ per Isabellam Henrici IV. sororem, hoc defuncto, victoque Alphonsq Gallæciæ Reg. ad Ferdinandum Aragonium Joannis II. fil. pervenit, qui sic *Le-gionis, Castelle, Aragonia & Sicilia* regna conjunxit, ann. 1474. idem dein Mauros vicit, ann. 1484. eosque Granata capta, Hispania expulit, ann. 1491. Inquisitionis officio in Mauros & Judæos instituto, quo *Catholici* cognomen sibi confirmavit. Columbo dein duce Americam petiit, ann. 1492. Franc. Tarapha *de Reg. Hisp. Luc. Marine. Sic. de Reb. Hisp. l. 19. & seqq.* Alii. In Gallia, Car. VI. universa Gallia Anglos exclusit, & quidem Normannia, ann. 1450. & Aquitania, ann. 1453. ejus successor fil. Lud. X. ann. 1461. acre & versatile ingenium in omnibus ostendit, Procerum conatus elusit, ann. 1465. a Carolo Burgund. Duce vexatus, ann. 1472. & ab hujus genero Maximiliano victus, ann. 1478. Phil. Cominæus *lib. 1. 4. 6. 9.* Eum excepit Carolus VIII. fil. ann. 1483. qui, Anna Britannica sibi sumpta, fundamenta odii inter Burgundicam & Francicam Domum posuit, ann. 1491. Verulamius in *Henrico VII.* In Anglia, Henricus VI. qui Henrico V. successerat, ann. 1422. & Galliæ Rex creatus fuerat, ann. 1433. eam amisit, ann. 1422. a Richardo Eborac. bis captus, ann. 1456. & 1460. ab uxore, eo victo & occiso, liberatus, ann. eod. atque Eduardo IV. hujus filio pulso restitutus, ann. 1470. ab isto tandem cum filio occisus est, ann. 1471. Hic Georgium fratrem rebellem vino mersit, ann. 1480. Ei successit Richardus frater, filius illius necatis, ann. 1483. sed ipse ab Henrico Richemontio, ope Gallorum, pulsus & occisus est, ann. 1486. qui *Henrici VII.* nomen assumpsit & *Rofas junxit.* In Dania, post obitum Christophori Bavari (a quo Adolphus Holsatiæ Com. Ducatum Slesvic. post difficile bellum, in feudum accepit) evocatus ad regnum est Christianus seu Christiernus I. Oldenburgicus, hodiernorum Daniæ Regum conditor, ann. 1448. Joh. Magnus *Hist. Gothor. lib. 23. cap. 2. 7. 9. & 10.* In Hungaria Vladislao V. Ungar. & Poloniæ Regi, cui Elisabetha Aug. nupserrat, ad Varnam ab Amurathe cæso, ann. 1444 successit in Ungaria, Ladislaus infans, ann. 1445. & huic Matthias Corvinus, ann. 1458. In Polonia, Casimirus IV. Vladislai frater, Martin. Cromerus *Histor. Polon. lib. 21. & 22.* cui urbes Prutenicæ, a Crucigeris ob tyrannidem eorum deficientes, se submiserunt, ann. 1466. *ibid.* In Bohemia, Georgius Podiebracius, Hussitis favit, obiitque ann. 1471. successore Vladislao, Casimiri præfati filio, Dubravius *Histor. Bohem. lib. 30.* In Belgio, provinciæ fere omnes in potestatem Burgundorum venerunt. Philippo II. successit fil. Carolus Audax. qui Geldriam ab Arnolde Duce, ob Adolphi filii horrendam rebellionem, accepit: sed victus ab Helvetiis & in tertio prælio occisus, ann. 1476. filiam Mariam hæredem habuit, quæ nupta Maximiliano, ut dictum, hunc potentiæ cumulum Domui Austriacæ intulit, ann. sequente. Post hujus vero obitum filius Philippus, quinquennis, sub tutela patris Maximiliani Belgium tenuit, ann. 1482. Cuspinianus in *hujus vita.* In Helveria, Sigismundo cogn. *Simplici,* Friderici III. Imp. patrueli, cum Helvetiis res fuit, & hi quidem totam Turgojam occupavere, demum pace facta, ann. 1460. Bello vero recrudescente, novaque expeditione ab Helvetiis suscepta, pro Mülhusinis primo, dein pro Scaphusianis, videns Sigismundus se illi genti imparem, scædus cum illis (*Erbeinigung*) renovavit, ann. 1477. Spenerus *Familia Austr. Friburgum & Solodurum* scæderi accessere, ann. 1481. Quod *Ecclesiæ* concernit, multi in luxum Clericorum inveci, sed in Bohemia alibique veritatis sectatores male habiti sunt, Camerarius *Histor. Fratrum. Romæ,* post Eugenium præfuit Nicolaus V. qui *Bibliothecam Vaticanam* instruxit, ann. 1450. Ejus successor Calixtus *pulsari Campanas,* contra Turcas jussit, ann. 1456. quem sequutus Pius II. Papis supra Concilia extulit, ann. 1459. hujus vero successor Paulus II. *coccinea veste Cardinales* induit, ann. 1464. & *Fus & fas in pectoris scrinio* gessit, ac *Jubilaum ad 25. annos* contraxit, ann. 1470. Excepit istum Sixtus, qui *Conceptionis Mariae Festum* instituit, ann. 1476. & *Lupanaria utriusque Sexus,* si Corn. Agrippæ fides *de Van. Scient. cap. 64.* Suffectus ei Innocentius VIII. ob libidines vere, *Pater,* & Waldensium persecutor, ann. 1488. quem excepit Alexander VI. commercio cum filia Lucretia infamis, ann. 1492. Platina (quem Paulus II. incarceraverat) Joh. Baleus, Aliique *Vitis Pontif. Bonarum Literarum incrementa* multum juvit Typographica ars, a Joh. Mentelio Argentiniæ inventa, ann. 1440. & Academia Basiliensis erecta, ann. 1460.

M A X I M I L I A N U S (a) I.



L O T I C H I U S.

Primi virtutem metuunt MAXÆMILIANI

Aufonii, Galli, Pannonēs atque Getæ.

Illius & reliquas stupuerunt undique dotes

Aufonii, Galli, Pannonēs atque Getæ.

H O F M A N N U S.

Judicium instituit Spira (b) Gallumque (c) repressit ,

Sed post Helvetico (d) robore victus erat.

In Bavaros (e) Venetosque (f) valens, Hispanica regna

*Quæ*svit nato (g), Lux (h) fuit orta recens (i).

E N A R R A T I O.



Archidux (a) Austriæ, Friderici III. fil. & Mariæ Burgundicæ maritus, post hujus obitum, altera Sponsa, Britannicæ Duc. filia, privatus a Carolo VIII. ann. 1491. sed restituta Artesia placatus, ann. 1492. patri in Imperio successit, ann. C. 1493. (b) *Supremum Camera Spirensis Judicium Imperiale* instituit, ann. 1495. quo ipso Wirtembergicum Ducem creavit. (c) Ludovicum XI. qui Burgundiæ partem sibi vindicaverat, vicit, anno 1478. (d) sed infelix illi bellum, quod ex fœdere Suevico cum Helvetiis gessit, Austriacorum ultimus: hoc enim, post 8. præliis secunda, Basileæ compositum, ann. 1499. & fœdus hæreditarium (*die Erbeinigung*) renovatum est, ann. 1511. (e) In Germania, bello Bavarico Palatinos depressit, ann. 1504. (f) Cum Venetis etiam, qui Romam ituro ad coronam petendam armatum transitum negabant, ann. 1507.icto cum Gallis & Papa fœdere Cameraci, bellum acre. ex decreto Imperii, gessit, quo victi ad Abduam universa fere continente exuti

exuti sunt, ann. 1509. Inde a Gallis abalienatus, ad Novariam, auxilio Helvetiorum, eorum profugavit, ann. 1513. ut & Venetos, ad Vicentiam, eod. tandem veto desertus a suis in Mediolano recuperando frustra fuit, ac Venetis Brixiam recuperantibus & Veronam obsidentibus bello finis impositus est, ann. 1516. (g) Filius ejus, Philippus, qui a matre jam cum Burgundia Belgium habebat, a parte Austriacâ, a conjugē Johanna, fil. Ferdinandi & Isabellæ, Hispanicorum regnorum successione expectabat, & quidem partitus cum eo Socer regna est, ann. 1506. sed sexto inde mense defunctus, reliquit filios duos, Carolum & Ferdinandum, duorum ramorum familiæ principalium, Burgundo-Hispani & Austriaco-Germanici, conditores. (h) Sub eo Huld. Zwinglius in Helvetia concionari cœpit, ann. 1514. & Mart. Lutherus in Germania opus reformationis orsus est, ann. 1517. Ipse Maximilianus, cum ei Germanicarum Ecclesiarum gravamina, quibus a Papa premerentur, oblata essent, jam decretum opposuerat, ann. 1511. (i) Obiit ann. C. 1519. ætat. 59. Imp. 25. Imperii X. Circulis constitutis, & Germanica militia (ope imprimis Georg. Fronsbergii) in ordinem redacta, Bibliotheca item Viennensis (Conr. Celtis ministerio) instituta inclytus: sed venator assiduus. Joan. Cuspinianus in eo. Phil. Jac. Spenerus *Familia Austr.* Phil. Cominæus *Comm. lib. 9. & de Bello Neapol. lib. 1.* Trithem. *de Bello Bavar. & Chron. Sponhem.* Bilib. Birkheymerus *de Bello Helvet. lib. 2.* Naclerus, Al. Crantzius *de Saxon. lib. 12. cap. 17. & lib. 13. cap. 9. 10. 12.* Alii. Ejus tempore, in Oriente Bajazetes II. Venetis Naupactum ademit, ann. 1499. & Metonem, ann. 1500. veneno necatus a Selimo I. fil. ann. 1512. qui Syriam occupavit, ann. 1516. & Ægyptum, sicque Mamelucorum ibi regnum evertit, ann. 1517. Mart. Crusius *Turco-Græcia, lib. 1.* In Africa, Xerifus seu Scirifus II. Fezzæ regno inhiavit, ann. 1508. In Gallia, Carolus VIII. Italiam armatus peragravit, anno 1494. & Neapolim cepit amisitque, ann. 1495. Phil. Cominæus *de Bello Neapolit. lib. 1. 2. & 5.* Ei successit agnatus Ludovicus XII. Valefius, ann. 1498. qui Mediolanum cum Duce Ludovico Sfortia cepit, ann. 1500. Ferdinando dein Castellano junctus, Fridericum Neapolit. regno expulit, postquam Aragonii id tenuissent ann. 79. sed cum inter victores divisio illius facta inæqualis videretur, lite de finibus oborta, ab Hispanis totum sibi vindicantibus, exturbatus est, ann. 1503. Mediolanum quoque amisit iterum, ann. 1512. ab Helvetiis victus, ann. 1513. Claud. Seyfeliuss *Histor. Ludovici XII.* Successit Franciscus I. Valefius, ann. 1515. In Hispania, Ferdinandus, præter jam allata, Navarræ regnum Johanni Labretano eripuit, ann. 1512. In Anglia, Henricus VIII. septimi filius, patri successit ann. 1509. in Aquitaniam expeditione suscepta, revocatus a Jacobo IV. Scotiæ Reg. ann. 1512. eum cæcidit, ann. 1513. Polydorus Virg. *Histor. Angl. lib. 27.* In Dania, Johannes II. Christiani patris successit, Dithmarfos infelicitèr oppugnavit, ann. 1500. in Regem Sueciæ receptus, ann. 1497. sed rejectus est ann. 1502. Joan. Magnus *Histor. Goth. lib. 23. cap. 12. 13. & 14.* In Polonia, Casimiri tres filii se invicem exceperunt: Joannes Albertus, ann. 1492. Alexander, ann. 1501. & Sigismundus I. ann. 1506. Moscorum victor, ann. 1514. Funcius *Chron.* In Hungaria, a morte Matthiæ Hunniadis Hungar. Reg. Imperator Austriacas urbes recepit, totumque id regnum perdomuisset, nisi placuisset illud ex pacto concedere Vladislao Bohemiæ Regi, retento successione jure, si Vladislai progenies deficeret, ann. 1515. obiit autem hic, anno 1516. successore filio Ludovico III. decenni, *γαστρονότης* cûte artificiali circumdato, Paulus Jovius *Hist. lib. 13.* Burgundia, demortuo Philippo, Carolo filio cessit, eod. In Helvetia, reliquis Pagis æterno se fœdere juxtere Basilea & Schaffhusium, ann. 1501. quibus XII. Cantonibus Maximilianus Sfortia Dux Mediol. quatuor Præfecturas Italicas, quibus hodieque potiuntur, concessit operæ fideliter navatæ pretium, ann. 1512. postrema fœderi Abbatiscella nomen dedit, ann. sequente, Simlerus *Descript. Helvet.* Quantum ad Ecclesiam, circa initium sæculi hujus jam variæ Orbis partes religionem purgatiorē parturiebant: mox Zwinglius in Helvetia, & Lutherus in Germania, ut dictum, impudentissimis Indulgentiarum propolis palam se opposuere, unde Ecclesiæ reformanda occasio nata, Joan. Sleidanus *de Statu Relig. & Reip.* At Romæ, Alexander Pontifex, homo, ut Onufrius ait, *ad exitum Italianatus*, de quo vulgatum: *Semper sub Sextis perditæ Roma fuit*: inter quatuor filios Cæsarem Borgiam habuit, nequissimum spurium & duas filias, quarum alteram Lucetiam, in disticho notissimo *Alexandri filiam, sponsam & nurum*, vocat Jovian. Pontanius: cum Turca conspiravit, ann. 1494. Savanarolam cremavit, ann. 1498. Eum excepit Pius III. brevissimi ævi, ann. 1503. cujus successor, *ebrius ille ac sceleratus Julius*, (ut eum appellare solebat Imperator) secundus hujus nominis, anno eod. terrarum Orbem bellis involvit, ipse in obsequio Mirandolæ capiarum Dux: varia nempe ipse bella gessit, imprimis ann. 1509. & 1512. Is filiam Joan. Jordano Ursino conjugem dedit, ac Patrimonium Petri *absolutione casuum reservatorum* auxit. Huic successit Leo X. ann. 1513. Erasmi fautor, ann. 1515. sed Indulgentiarum venditor, ann. 1516. Paul. Jovius *Hist. lib. 2. 9. 10.* Sleidanus *Commentar. lib. 1.* Oruph. Panvinius *Vitæ Pontif.* Alii. Studiis vero bonarum artium promovendis, ortæ sunt Academia Wittebergensis & Viadrina, anno 1506.

CAROLUS (a) V.



LOTICHIVS.

CAROLE *Quinte* vagis tua Gloria transvolat alis
 Luciferi victrix solis utraque plagas.
 Ergo tuas digno referet quis carmine laudes?
 Laudibus existis grandior ipse tuis.

HOFMANNUS.

Dignus ait (b) Francum (c) cepi Romanque (d) rebellem,
 Anceps in Libya (e) sed mihi Parca fuit.
 Impedii lucem (f) frustra, prae cuius amore
 Sordere Imperii gloria visa seni (g) est (h).

ENARRATIO.



Hilippi (a) Austr. filius, Ferdinandi Aragoniae & Castellae Regis, (b) atque Maximiliani I. Imp. nepos, Hispaniae Rex, ann. 1516. avum in Imperio excepit, ann. 1519. (c) Cum Francisco I. Gall. Reg. ei perpetuum fere bellum, quem praelio ad Ticinum per Duces vicit cepitque, ann. 1525. (d) Romanam dein occupavit ac diripuit, ann. 1527. auctoritatem vero Papae priore anno abolitam restituit, ann. 1528. (e) In Africam primo feliciter transiit, Muleassen Reg. Tunet. a Turcis pulsum restituit, ann. 1535. altera vero in eandem Orbis partem expeditio infelix fuit, ann. 1541. Caeterum in Germania tam ipse praesens, quam per fratrem Ferdinandum, varios Conventus, dissidiis Religionis componendis, egit. Lutherum audiit, ann. 1521. & Augustae Confessionem Evangelicorum, ann. 1530. Turcos Vienna depulit, ann. 1529. in Orbe novo, per Ferdin. Cortesium prosperrime bellavit, circa ann. C. 1540. 50. (f) Bellum Smalkaldicum, victo ad Mulbergam captoque

Joh. Friderico Saxon. Elect. & Philippo Hassio contra datam fidem detento, confecit, ann. 1547. sed postea, a Mauritio, cui dignitatem Electoralem contulerat, Philippi genero, fugatus; ad captivorum Principum liberationem & *Pacem Religionis*, Passaviensi transactione constitutam, adactus est, ann. 1552. (g) Tandem, Imperio fratri Ferdinando, Hispaniaque & Belgio filio Philippo tradito, cœnobium Divi Justini in Castellæ finibus ingressus, a. 1557. biennium in eo pias inter meditationes exegit, Constantini Pontii, qui ipsi a sacris confessionibus erat, consortio præcipue delectatus, quem, velut hæreseos suspectum, Hispali postmodum Philippus II. ad vivicomburium damnavit. (h) Obiit ann. C. 1558. æt. 54. Imp. 38. mens. 7. vix ulli Germanorum Cæsarum potentia & virtute secundus. Nic. Mameran. *Epit. de Gest. Carol. V.* apud Urstisium, Franc. Tarapha *de Regg. Hispan.* Paul. Jovius *Histor. lib. 16.* Joan. Sleidanus *Comm. lib. 1.* Joach. Camerarius *de Bello Smalcald.* Thuan. *Histor. lib. 1.* Fam. Strada, Guicciardinus, Spenerus ubi supra, Alii. Ejus principatu, Selimi fil. Solimannus II. Turcarum Imp. ann. 1520. occupavit Rhodum, ann. 1522. Ungariam ann. 1526. & Hariadenoduce, Africam, ann. 1533. Corcyram diripuit, ann. 1537. Moldaviam subjugavit, ann. 1538. & Dragute duce Tripolim, ann. 1551. sed Viennam obsessam deferere coactus est, anno quo diximus. Paul. Jovius *Histor. lib. 20.* & *seqq.* nec non de *Rebus Turc. in Solimanno.* In Italia, Alexander Medices Laurentii Urbini fil. nothus *Florentia Dux* creatus a Carolo Imp. ann. 1531. sed ob vagas libidines interemptus, ann. 1537. Cosmum I. agnatum successorem habuit, qui Plombinum acquisivit, & Senas 1552. 1557. Machiavellus *Histor. Florent. lib. 7.* In Gallia, Franciscus I. insignis literarum Mæcenas, ab Hispanis, ut dictum, in Italia captus, ann. 1525. Sabaudiam invasit, ann. 1536. Lucelburgumque ac Bononiam amisit, ann. 1544. Eum filius excepit Henricus II. ann. 1547. qui Metim occupavit, ann. 1552. ab Hispanis victus, ann. 1557. Caletum quoque cepit, ann. 1558. Thuanus *Histor. lib. 1.* & 3. In Anglia, Henricus VIII. *Defensor Fidei* a Pontifice dictus, ann. 1521. Volsæum evexit ac dejecit, ann. 1529. ob uxoris repudium a Papa excommunicatus auctoritatem ejus abolevit, ann. 1534. Scotum Regem Jacobum V. magna strage fudit, ann. 1542. obiit ann. 1547. successore filio Eduardo VI. qui Ecclesiam reformavit, annitente Archiepisc. Cramero, ann. 1548. Eum soror excepit Maria, ann. 1553. quæ, Jana æmula decollata, nupsit Philippo Hispano, ann. 1554. & Cramerum præfatum aliosque cremavit, ann. 1556. Huic successit soror Elisabetha, quæ Evangelicos restituit, ann. 1558. Thuanus *lib. 1. 3. 13. 20.* Rob. Jonston. *Histor. Rer. Britannic.* Alii. In Dania, Christianus II. à Suecis receptus, ann. 1520. sed ob crudelitatem ejectus est, ann. 1521. surrogato ei Gustavo I. *Wasa* seu *Trolle*, ann. 1523. qui Pontificiam Religionem toto regno abolevit, ann. 1527. ac Biblia S. primus Suecice verti curavit, hospitalis in exules Anglos, ann. 1554. Joan. Loccenius *Histor. Suec. lib. 6.* In Polonia, Sigismundus I. cum Cruciferorum Magistro de Prussia transegit, ann. 1525. successit ei fil. Sigismundus II. Aug. ann. 1548. Joach. Pastor. *Floro Polon. lib. 3. cap. 6. & 7.* In Hungaria, Ludovicus Hungar. & Bohemiæ Rex, quem patri decennem successisse diximus, anno æt. 14. barbatus, ann. 15. maritus Mariæ Austr. Philippo Archid. genitæ, anno 21. a Turcis occisus est, ann. C. 1526. merito *Immatu-*
rus proin cognominatus, Steph. Broderic. *de Eo.* Successit illi in Bohemia sororius Ferdinandus, Caroli Imp. frater: qui mox quoque ab Hungariselectus, ann. 1527. Joanni Scepusio æmulo, a Turcis victus, cessit, ann. 1528. & 1537. Paul. Jovius *Histor. lib. 23. & 28.* In Helvetia fervet bellum inter Tigurinos ac Quinquepagicos, & cadit Zwinglius, ann. 1531. *cujus cor, cadavere ab hoste flammistradito, comburi non potuit*, Thuan. *lib. 1.* Quod ad Ecclesiam, lætior jam facies ejus, & *Reformatio*, priorem ac puriorem Christianismum reductura, eodem ferme tempore in plurimis regnis, quasi ex compacto, mirabili successu instituta, in Germania & Helvetia, ducibus Luthero, Zwinglio & Oecolampadio: In Anglia, Cramero Archiepisc. ut dictum: In Polonia min. Nicolao Olesznicio: In Lithuania, Nic. Radzivilio Palat. In Gallia, Massonio Riverio, Joan. Calvino, Aliis: In Scotia, Patritio Hameltono & Joan. Cnoxo: In Belgio, Jac. Præposito, Mart. Dorpio, Joan. Rhodio &c. In Dania, Joan. Bugenhagio: in Borussia Ducali, Paulo Sperato, Andr. Osiandro &c. Vid. Abrah. Scultetum *Annal. Ecclesiæ.* At remoras increbrescenti Evangelio posuit *Lis Sacramentaria*, inter Andr. Carolstadium & Mart. Lutherum, Professores Wittebergenfes, excitata, ann. 1524. ac *Furor Anabaptisticus*, ad Salam fluv. auctore Nicol. Storck, cui se junxit Thom. Munzerus, ortus, ac inde in Germaniam effusus, ann. sequente, quibus non malè addas, Matth. Flaccium Illyricum, *peccatum substantiam esse*, afferentem circa ann. 1548. 1549. & Mich. Servetum Hispanum, Socinianorum Patriarcham, ob horrendas in SS. *Trinitatem* blasphemias ultricibus flammis haustum, Genevæ, ann. 1553. Romæ vero, Leoni, qui Ducem Urbinatum dejecit, surrogatus Hadrianus VI. ann. 1521. Reformationem promisit, ann. 1523. quem sequutus, Clemens VII. magni ingenii politicus, eod. ab Hispanis captus est, ann. 1527. Hunc excepit Paulus III. Parmæ & Placentiæ Ducum, per filium P. Aloysium Farnesium, conditor, ann. 1534. qui Ordinem Jesuiticum, ann. 1540. at non *Interim* Caroli Imp. adprobavit, ann. 1548. Idem Tridentinum Concilium, instante ad Protestantium petitionem Cæsare, orsus jam ann. 1545. Julius III. huic suffectus, ann. 1550. Accessorem habuit Marcellum II. ann. 1555. quem post 22. dies sequutus Paulus IV. anno eod. Onuphrius Panvinus & Ciaconius *Vitis Pontif.* Joan. Sleidanus *Commentar. lib. 4. & seqq.* Thuanus *Hist. lib. 1.* Alii.

FERDINANDUS. (a) I.



LOTICHIVS.

Cum Mahometanis victrici praelia Turcis
 FERDINANDUS *Primus* contulit ipse manu.
 Cætera tranquillus; placida quoad ipse senecta
 Clauderet extremum morte iubente diem.

HOFMANNUS.

Post fratrem Caesar (b) Germanica regna gubernò,
 Et mihi Pax multum religiosa (c) placet.
 Interea Ungaricas (d) Mavors dum fulminat urbes
 Turcicus, & sævum Luna cruenta furit (e).

ENARRATIO.



Isdem (a) cum Carolo V. parentibus genitus, ob pactum, cum Ladislao initum, & conjugem Elisabetham Bohemiarum Ungariarumque Rex, ann. 1527. dignitatem *Regis Romanorum* quoque, procurante fratre, nactus est, ann. 1531. quam postea nepoti Philippo Hispano ut concederet, non potuit induci, anno 1550. (b) Surrogatus fratri in Imperio, ann. 1558. (c) postquam pacem religionis, ejus industriæ maximè debitam, in Comitibus Augustanis, confirmavit, ann. 1555. optimè hac ratione de publica quiete meritis. Quod verò non consulto Pontifice Imperator inauguratus esset, hic assensum diu inhibuit, Legato etiam indignius habito: donec tandem, minorem iræ suæ haberi rationem cernens, cum præbuit. Post hæc lites inter Brandeburgicos, Norimbergenses & Franconiarum Episcopos sustulit, ann.

ann. 1558. (d) Sed Hungariam à Solimanno, multis urbibus expugnatis, misere affligi vidit, Agriam tamen, virtute non tam præsidii, quam civium, fortissime defendit, ann. 1552. (e) Tridentinis Patribus non parum indignatus, quod spes de illis suas frustra esse cerneret, suis *integræ Cænæ* usum permisit, ann. 1559. Genuensibus, ob Marchionem Finaliensem pulsum, proscriptionem interminatus, ann. 1563. obiit ann. C. 1564. ætat. 61. Imp. 6. mens. 4. die 13. prudentiâ, liberalitate, clementiâ, assiduitate, probitate, & studio singulari in *Religione concordiam* obtinendi (in quo Georg. Cassandri opera usus est) inclytus. Thuanus *Histor. lib. 1. 9. 16. 21.* Joan. Sleidanus *lib. 26.* Paul. Jovius *Histor. lib. 28. & 35.* Chytræus *Chron. Saxon. lib. 18. & 19.* Melch. Soiter. *de Bello Pannon. lib. 1. & 2.* Spenerus *Famil. Austriaca*, Alii. In Turcico Imp. Solimannus, post Ungariam diu vexatam, Agriamque frustra oppugnatam, illa ad tempus cessit, atque in Italiam irrumpit: domi infelix, ann. 1553. 1559. Thuanus *lib. 12. & 24.* In Hispania, Philippus II. gubernaculis admotus, ann. 1558. postquam Pontifici, sibi Neapol. Regni jus conferre recusanti, iratus Campaniam per Albanum vastavisset, Romamque obsedisset, ann. præc. Belgium regendum sorori Margaretæ D. Parm. commisit, an. 1559. in Evangelicos acer, eod. & ann. 1560. In Gallia, Henricum II. hastiludio occisum, ann. 1559. excepit fil. Franciscus II. qui à Guisii rectus & Evangelii cultores persecutus est, an. eod. & 1560. quo ipso ei frater successit Carolus IX. Joan. Serranus *Histor. Gall.* Thuanus passim, Alii. In Anglia, Elizabetha è carcere throno conscenso, anno quo dictum, videlicet 1558. à *quatuor Nobilium captivorum, Evangelistarum nempe, liberatione* Regnum feliciter auspicata est, Verulam. In Scotia, Maria Jacobi V. vidua, cum Statibus multum negotii habuit, à quibustandem deposita, & regimen Mariæ filæ ejus delatum, Religionisque libertas subditis concessa est, ann. 1560. Buchananus *Histor. Scot. lib. 16. 17. 18.* In Dania, Christiano III. successit Fridericus II. ann. 1559. sub quo, duce Adolpho Holsato, Ditmarsii subacti, iisque barbara libertas 400. annorum adempta est, eod. cum Erico dein XIV. Gustavi I. fil. negotium, qui, throno potitus, ann. 1560. Revaliam occupavit, anno sequ. Loccenius *Histor. Suec. lib. 7.* In Polonia, Sigismundus Aug. Gothardo Ketlero, ultimo Ensisferorum Ord. Magistro, Duce Curlandiæ & Semigalliæ sub fide sua creato, libertatem religionis Livonis concessit, ann. 1561. In Belgio, Anton. Granvellanus Cardin. Margaretæ Gubernatrici adjutor à Philippo datus, omnia turbat, *Inquisitione*, ann. 1560. & *novis Episcopatibus* 1563. introductis, unde mox immensa series malorum sequuta est, ut videbimus. In *Ecclesia*, Bohemia quidem cœtus Evangelicos publicè nullos habuit; at in Moravia congregatio *Fratrū* erat non spernenda, circa ann. 1557. In Polonia maj. *Confessio Fidei*, per Jac. Ostrogium Regi oblata & benigne excepta est, ann. 1564. In Prussia, turbas dedit Luc. Osiander, *Justitia DEI essentiali justos nos fieri*, docens. In Polonia min. celebri Synodo Xianzensi hæresis Franc. Stancari Mantuani, *Christum Mediatorem esse tantum quoad hominem*, asserentis, damnata est, ann. 1560. Quo malo vix extincto Georg. Blandrata Medicus, Geneva *ob negatam Christi divinitatem*, (errore à Jo. Paulo Alciato Mediol. hausto) pulsus, eandem Ecclesiam turbavit, anno eod. hæresinque recens à Fausto Socino in Italia ortam propugnavit, ann. 1563. In Lithuania, S. Biblia in Sarmaticum idioma translata sunt, ann. 1563. In Germania, *de Ubiquitate Corporis Christi* litem Joan. Brentius movit, ann. 1556. 1561. 1562. Holpinianus *de Lite Sacram.* Joan. insuper Marbachius, controversia Zanchio *de Prædestinatione* Argentorati mota, turbas dedit, ann. 1563. *Ibid.* In Gallia, sub Henrico II. in cœtus sacros lævitum, ann. 1558. & 1559. Sub Francisco II. *Colloquium Possiacenum* habitum, ann. 1561. sub Carolo IX. strages Vassiacena à Guisio patrata, & in fideles, *Hugonotarum* nomine tum primum aspersos, passim rigor exercitus, ann. eod. & seqq. Valdensium Ecclesiæ non mitius habitæ, circa ann. 1560. Thuanus *lib. 12. & seqq.* ut nec Lutheranismi suspecti in Hispania, ann. 1559. & 1560. nec in America Protestantes, sub Nic. Durando Villagagnone, ann. 1558. Leerius *Descript. Navig. Americ.* Basileæ, David Georgius Batavus, pestilentissimæ hæreseos, quæ demum post mortem ejus Magistratui innotuit, auctor, è sepulchro erutus ac publicè una cum libris suis ac effigie crematus est, ann. 1559. Decessere porro Theologi insignes, Joan. Lasco in Polonia, Wolph. Musculus Bernæ, Phil. Melancthon Wittembergæ, Petrus Martyr. Tiguri. Joan. Calvinus Genevæ, & hic quidem ann. 1564. Vid. Beza *Vita ejus*, adde de reliquis Thuanum *Histor. lib. 36.* At Romæ, Paulus IV. moriturus Inquisitionem, ut *sanctissimum officium* commendat, ann. 1559. Pius IV. Carolo IX. Gall. Regi & Alberto Baviaræ Duci, *Calicis usum* petentibus per Legatos, negat, ann. 1562. & 1563. Tridentinum Concilium, quo Papatus stabilitus, finit ann. eod. postquam 18. annos durasset. Thuanus *Histor. lib. 32.* Onuphrius Panvinus *Vitis Pontificum*, Alii.

MAXIMILIANUS (a) II.



LOTICHIUS.

Musarum nulli vel Martis in arte *Secundus*,
 Dum res poscebat, MAXMILIANUS erat.
 Ingenio similem Patri mors occupat atra,
 Urbs ubi de castro nomen & imbre tenet.

HOFMANNUS.

Patris ad exemplum (b) pacemque (c) & fœdera (d) servo,
Nec lux haud pridem displicet (e) orta mihi.
Principe me Belgas (f) cœpit vexare tyrannis,
Insolita, ô! magni fons & origo mali (g).

ENARRATIO.



Il. (a) Ferdinandi I. ex Anna Hungarica, Hispaniam pro Rege rexit, ducta Maria Caroli patruī filia, ann. C. 1548. Rex Bohemiæ, Germanorum & Hungariæ coronatus, anno 1562. mortuum Patrem in Imperio quoque excepit ann. 1564. (b) Vestigiis paternis insistens raræ prudentiæ & æquitatis laude præfuit, (c) iustitia & pace solícite servata, (d) adeo quidem, ut ob inducias, post Tocajum Laz. Suendio duce captum, ann. 1565. & Zigetum amissum, ann. 1566. cum Selimo II. initas, Venetis auxilia mittere, ann. 1570. & sacro Christianorum fœderi accedere, ann. 1571. negaverit. Cum Pio vero Pontif. ob Cosmum Mediceum *Magnum Ducem* creatum ann. 1569. gravissime expostulavit, minis additis, *si in jura Imperii pergeret involare*: Regem autem omnino non est passus creari. Post tamen Francisco Cosmi fil. dignitatem Magni Ducis confirmavit, sed ut Imperii beneficiario, ann. 1575. In causa Rostochiensis, Grumbachianis motibus & Gothano bello

auctoritate sua usus est, ann. 1567. Illyricos rebelles punivit, ann. 1572. ut & Dantiscanos, quod Stephano Bathoriô contra se Poloniæ Regi electo favissent, ann. 1576. (e) quo ipso obiit in fide Christi, ut ipse dixit ad Episc. Neostadiensem, in ipsis Comitibus Ratispon. anno ætat. 49. Imp. 12. mens. 2. d. 15. Celebre ejus dictum est: *Conscientiis dominari velle, id vero esse cæli arcem invadere.* Unde, qui olim patrem in componendæ religionis causa consilio juvêrat, dein ipse à Papa suis matrimonium Ecclesiasticorum, & Calicis usum petiit; Austriacæ autem Nobilitati Religionis exercitium concessit, ann. 1568. ob hæc Curia Rom. in fide suspectus, Phil. Jac. Spenerus *Sylloge Geneal. Hist. de eo.* Vid. quoque Sim. Schard. *de Reb. gestis sub Maximiliano II.* Thuanum *Hist. lib. 36. & 37.* Nadan. *Floro Hungar. lib. 4.* Urstisium *tom. 4.* ubi de Bello Gothano, Alios. (f) Vid. infra. (g) Eo imperante Solimannus II. Meliten tentavit, ann. 1565. & Chium subjugavit, ann. 1566. quo ipso defunctus successorem habuit filium Selimum II. qui à Moscis repulsus ann. 1569. & ad Echinadas ab Italis Hispanisque ingentem cladem accepit, ann. 1571. Cyprum tamen Venetis extorsit, *cod.* Eum excepit fil. Amuratis III. ann. 1574. *Annales Turcici* apud Leunclavium. In Moscovia, sedes regni à Tartaris incendio est deleta, ann. 1571. In Persia, Ismael II. octo fratres trucidavit, ann. 1576. Vid. infra. In Hispania, Philippus Carolum fil. in carcere necavit, anno 1568. caufarum eteo- sticho hoc vet. Poëtæ,

FILII ante Diem patris InqVrIt In annos.

contineri ajunt: aliis occultius quiddam subfuisse censentibus. Mauros dein rebelles, Joanne Austria- co duce, domuit, ann. 1570. P. Matthæus *Hist. lib. 1.* Thuanus *Hist.* Alii. In Gallia, bella in- testina fervent, sub Carolo IX. nimium Guisus tribuente, & laniena Parisiensis instituta est, qua Evan- gelicorum 30. mill. sunt mactata, ann. 1572. Id. Thuanus *Hist. lib. 52.* In Anglia, Elisabetha, Hi- bernos rebelles coercuit, ann. 1567. Mariam Scotiæ reginam, è regno suo profugam, benigne ex- cepit, ann. 1568. Camdenus *Historia Elisabethe Angl. Regina.* In Polonia, Sigismundus Aug. Sue- cos vicit, ann. 1567. & Moscos, *cod.* Dantiscanorum privilegia imminuit, ann. 1569. Obiit ex Ja- gellonica fam. ultimus, ann. 1572. successore electo Henrico Andium D. Caroli IX. Galliæ Reg. fra- tre, ann. 1573. Thuanus *lib. 46. & 56.* Hoc vero, audito fratris obitu, è Polonia clam in avitum regnum reverso, ann. 1574. Stephanus Batorius è Transylvania in Poloniam vocatus regnoque illo potitus est, ann. 1576. Joach. Pastorius *Floro Polon.* In Belgio, dum privilegia provinciarum variis modis infringuntur, sicque libertati ac religioni vis fit, Proceres supplicem libellum Margarætæ Parm. obtulerunt, ann. 1566. sed rejecti, ac *Gensiorum* convitio aspersi, insuper sævitia Albani Ducis di- rissimis suppliciis affecti exagitatiq; auspiciis Wilhelmi Auriaci, se tueri cœperunt, ann. 1568. ve- rum, proficientes parum, tota continente depulsi sunt, Albano suppliciis, decimis, vicesimis, cen- tesimis pro lubitu grassante, circa ann. 1570. 1571. donec 24. modica navigia, *initium belli in poten- tiam toto orbe præcipuam*, quæ edicto ejecta Anglicanis partibus in Westfrisiam ferebantur, tentandæ fortunæ; sed, vento adversante, rerum necessariorum penuria impellebantur in maximam insularum, *Porne* vocantur, quæ Mosæ ostia continent, oppidum Brillam repentino terrore, inter trepidantes, aut volentes, invadere, ann. 1572. Maritimo officio tum præerat Wilhelmus Com. Markius, *Lu- mejus* cognom. animi ferox, idque unum illi pro virtute erat, & comitum plerisque consilium, aut animus non nisi in prædam. *His tunc ministris uti suprema providentia visum, cui fere placuit Belgicis in rebus ita humanam fiduciam & consilia illudere, ut nunquam simul essent spes magna & bonus even- tus.* H. Grotius *Annual. lib. 2.* Natum igitur his initiis bellum Belgicum, quod, interjectis paucorum annorum induciis, ad annum usque 48. seculi nostri duravit: præstantissimis ingeniis digna scribendi materies. *Ecclesia*, sub Imperatore hoc, in Bohemia lætior facies, atque hoc in regno, ut & Mora- via, cœtus Fratrum numerosi fuere. In Polonia, Confessionis Bohemicæ, Augustanæ & Helveticæ Ecclesiæ *Consensum* Sendomiriæ inivere, ann. 1570. In Germania, Fridericus III. Elect. Palatinus, Augustæ in Senatum, portante Casimiro filio Bibliorum codicem, veniens, Augusto Elect. Saxoniz pietatem ejus prædicante, pro membro & socio Augustanæ Confessionis agnitus, ann. 1566. sed *For- mula Concordiæ*, Flaccianorum impulsu, Reformati à Lutheranis (quæ nomina circa ea tempora pri- mum distingui cœperunt) sunt damnati, ann. 1576. Thuanus *lib. 39.* Hospinianus in *lib. Concord.* Alii. In Gallia, Ecclesia lanienam passa mox inde clarius effloruit: uti & in Belgio, frustra *Sanguinis Senatu* ab Albano contra illam instituto, ann. 1568. At Romæ, Pii IV. successor Pius V. ann. 1565. Inquisitionem acerrime defendit, & exercuit, ann. 1566. Elizabetham Anglam excommunicavit, Ca- rolumque IX. pecunia contra Protestantes juvit, ann. 1569. Eum excepit Gregorius XIII. ann. 1572. qui de laniena Parisiensi triumphavit, *cod.* plurimæque collegia Jesuitis in variis regnis exstruxit, *Ci- carella Vit. Pont.* Bonarum artium vero promotioni instituta Academia Lugduno-Barava, ann. 1575. & Helmæstadiensis à Maximiliano Imp. (cujus aula Literatis plena fuit, ipsomet linguas quam pturi- mas callente) privilegiis exornata est, ann. ipso quo obiit. Matth. Dresserus *Hist. Maxim. Mill. 4.*

RUDOLPHUS (a) II.



L O T I C H I U S.

Imperium rexit septem per lustra RUDOLFUS

Alter manlueta, non sine laude manu.

Tandem febre cadens, prima constante senecta,
Igne sacro summum clausit in orbe diem.

H O F M A N N U S.

*Pacis (b) amans, simili Genitoris imagine, fratrem (c),
Atque arma illius sensi inimica mihi.*

*In mihi subjectos lenis (d), sum passus, ut aura
Lux Verbi (e) posset liberiore frui (f).*

E N A R R A T I O.



Il. (a) Maximiliani II. ex Maria Hispan. Rex Ungariae, ann. 1572. dein Bohemiae & Romanorum, ann. 1575. tandem post Patris obitum Imperator factus, ann. 1576. (b) Imperium & regna pacifice administravit: nisi quod cum foedifragis Turcis per Duces, Matthiam fratrem, Car. Mansfeldium & Maximilianum fratrem, varia fortuna bellum gessit, illorum victor ann. 1580. 84. 88. 93. victus tamen, non tam virtute hostis, quam suorum nimis praecipitanter ad praedam disc-

currentium avaritia, una amissa invicta, quondam urbe Agria, ann. 1596. post quæ, aliaque varia, pax conclusa est, ann. 1606. In motibus Archiepiscopatus Colonienſis, occasione Gebhardi Truchſſii Arch. ortis, qui ducta uxore ~~Mansfeldi~~ Religionis reformationem videbatur moli-
 ri, ann. 1581. Archiepiscopatus Argentinenſis, inter æmulos controversi, ann. 1584. connixit, ann. 1592. (c) Matthias frater, Ordinis cum eligen-
 tibus, postea Cæſari Hungariam primo & Austriam, ann. 1508. dein Bo-
 hemiam quoque, extorſit, ann. 1611. in easque illum angustias redegit,
 ut in Conventu Electorum Norimbergenſi sumptus, ad sustentandam Im-
 perii dignitatem, petere fuerit coactus. (d) Vid. mox dicenda. (e) Ca-
 lendarium quidem Gregorianum Protestantibus obtrudere conatus, qua de
 re in Comitibus Augustanis altercatum, ann. 1582. exercitium quoque Evan-
 gelicæ religionis Viennæ abrogavit, ut videre est apud personatum Dan.
 Herem. Ep. p. 299. 300. Pacem tamen religionis, in Comitibus Augustanis,
 confirmari passus, ann. 1609. Bohemis insuper, Austriacis, Silesiis & Mo-
 ravis, intercessione Saxonie Electoris, *Majestaticis* concessis Literis, de li-
 bero Religionis exercitio cavit, *ead.* (f) Denum, cum diuturno otio,
 in quo studio Alchymie & equorum tempus fellebat, emarcuisset, vivis
 excessit, ann. C. 1612. ætat. 59. Imp. 35. mens. 2. die 29, in Larario suo,
gemmarum, adamantum, unionum, auri, argenti, aliisque suppellectilibus tanta
 vi relictæ, ut pretio XVII. auri milliones transcenderet. Nec omittendum
 ejus Astrologiæ & Graphices studium, quo factum, ut, præter Tycho-
 nem Braheum, aula ejus plurimum doctorum fuerit receptaculum. Chytræus
Chron. Saxon. lib. 23. 26. 27. 29. Thuanus *Histor. lib. 54. 79. 88. 104. 114.*
115. & 121. Nic. Iſthuanſi *de Rebus Hungar. lib. 25. 26. 27. 30. 31.* Spe-
 nerus ubi de *Familia Austr.* Alii. Ejus principatu, Amurates III. Turc.
 Imp. à Persis victus, ann. 1578. Tartarorum Chanem rebellem evertit,
 ann. 1584. iterum à Persis superatus, ann. 1585. Constantinopolim seditio-
 ne agitari vidit, ann. 1589. successit fil. Mahometes III. ann. 1595. qui
 varia fortuna cum Rudolphi ducibus conflictatus, 1596. domi voluptati-
 bus indulſit. Hunc excepit fil. Achmetes, novem annorum puer, ann.
 1604. qui Strigonium recepit, anno sequente, sequutæ dein induciæ supra
 dictæ, ann. 1606. Eidem, postquam Sigism. Ragotzius cessit Transylvania,
 Gabriel Bathorius ea obtenta, se submiſit, ann. 1608. In Africa, Abdel-
 melecus Rex, Sebastianum Portugalliæ Regem, Mahometem in Fessæ &
 Marocci regnum reduſturum, ingenti prælio vicit occiditque, ann. 1578.
 quo pacto Lusitania à Philippo II. Hisp. Reg. occupata est, ann. 1580.
 qui, phthiriasi tandem mortuus, totam Hispaniam Philippo III. filio re-
 liquit, datis huic prius imperandi præceptis, inter quæ præcipue, ut *Bel-
 gicas provincias conciliaret*, ann. 1598. Em. Meteranus *Histor. Belg. lib. 10.*
& 19. Thuanus *Histor. lib. 120.* In Germania, Henr. Julius Dux Brunsvi-
 censis urbem Brunsvicum stratagemate tentavit, ann. 1605. & obsedit,
 ann. 1606. urbs Donawerda libertate fuit exuta, ann. 1607. Joanne dein
 Wilhelmo ultimo Duce Juliaci & Cliviæ sine prole defuncto, Elector Bran-
 deburgicus & Palatinus Neuburgicus de ſucceſſione contendere cœperunt,
 ann. 1609. Gliscente hinc Juliacensi bello, à Protestantibus Hallæ Suevo-
 rum *Unio*, à Pontificiis vero Herbipoli *Liga sacra* inita, ann. 1610. Bo-
 ruffiæ postea feudum Joh. Sigismundus Elect. Brandenburg. obtinuit, ann.
 1611. Chytræus *Saxon. lib. 26.* Thuanus *lib. 133.* Alii. In Hispania, Phi-
 lippus

lippus 900. mill. Maurorum è provinciis suis eiecit, & cum Belgis fœderatis 12. ann. inducias pepigit, ann. 1610. Thuanus *lib.* 132 & 138. In Gallia, Henricus III. Caroli IX. fratris successor, ann. 1574. cum Guisii *Ligam* iniit, ann. 1576. & 1585. eos puniit, ann. 1588. à Monacho confossus Valesiam familiam clausit, ann. 1589. successore Henrico IV. Borbonio, Antonii Navarræ Reg. filio; *eod.* qui, ut pacatius Regnum haberet, Protestantium sacris relictis, Missam adiit, ann. 1593. Pontificem nihilominus infestum retinuit, & à Joanne Castello, Jesuitico sicario, sceleratam dextram fallente ictu, dente excusso, læsus est, ann. 1594. sequuta Jesuitarum proscriptio, ac in rei memoriam pyramis erecta, ann. 1595. Cum Hispano dein bellum varia fortuna gestum, quod pace finitum, ann. 1598. Bironius vero Regni Marescallus, conjurationis reus, gladio percussus est, ann. 1602. sed Jesuitæ, remota pyramide modo dicta, denuo recepti, ann. 1604. ac Rex præclarissimus, à Ravallaco sicario, occisus est, ann. 1610. successore filio Ludovico XIII. novenni, cujus vice Maria Medicea regina mater rebus præfuit. Thuanus *Histor. lib.* 58. & *seqq.* Petrus Matthæus & Perefrius Episc. in *Henrico IV.* Alii. In Italia, bellum inter Paulum V. & Venetos, ob scelera Monachorum vindicem gladium merita, ortum, ac Jesuitæ Veneris finibus in perpetuum exire jussi sunt, ann. 1606. sed, ne ad arma deveniretur, prudentia ac auctoritate Henrici Gall. Reg. factum, qui pacem inter partes, sed Jesuitis exclusis, conciliavit, ann. sequente, Lud. Lucius *Histor. Jesuit.* In Anglia, Elisabetha Mariam Scotam insidias sibi parantem capite multavit, ann. 1587. Hispanicam classem prodigiosam, Fr. Draco duce, superavit, ann. 1588. moritura, Mariæ præfatæ filium Jacobum VI. Scotiæ Reg. hæredem scripsit, ann. 1603. cujus humerus conjuratorum sclopeto percussus, *eod.* nova dein conjunctio contra eum inita, ann. 1605. & alia, horrenda illa, *Pulveraria* dicta, qua ipse Rex & Proceres supposito pulvere nitrato perituri erant, feliciter detecta est, ann. 1606. Hic vero *regna* ut *rosas* Henricus junxit, nomineque *Magnæ Britannię* colligavit. Thuanus *lib.* 66. & *seqq.* Ipse Rex Jacobus *Operibus suis*, Alii. In Suecia, Sigismund. III. Joannis II. fil. qui maternum genus regiæ Polonorum stirpi debebat, mortuo Stephano Batorio, Rex Poloniæ electus, ann. 1587. patrio regno, ob Jesuitas invecos, excidit, anno 1598. surrogato illi Carolo patruo Sudermanniæ Duce, an. 1601. qui coronatus, ann. 1607. successorem filium habuit Gustaphum Adolphum, anno 1611. Joan. Loccenius *Histor. Suec. lib.* 7. In Moscovia, Pseudodemetrii quatuor turbas dant, Auctor Anonymus *Histor. Orbis Terr. Civ.* Mosci à Polonis ad Smolenscum cæsi, incendio dein Vilnam urbem vastarunt, 1610. In Dania, Christianus IV. Calmariam expugnavit, ann. 1611. In Ungaria, bello Turcico fervente, cum Basta & Barbianus præfecti Imperatoris vim adversus Protestantes vertissent, horum tutelam Stephanus Botskajus, Bathoriis sanguine junctus, suscepit ac Religionis libertatem Transylvaniæ Princeps creatus obtinuit, ann. 1604. Eum sequutus Sig. Ragotzius, ann. 1607. qui Gabr. Bathorio, de quo supra, cessit, ann. 1608. In Bohemia, Imperator & Proceres dissident: quibus *Literæ Majestatis* tandem ab Imp. concessæ, ut visum. In Belgio, Hispaniæ Regem Philippum Ordines Confœderati *omni jure ac dominio Provinciarum Belgicarum excidisse*, decernunt ann. 1581. ac feliciter sub Wilhelmo, sicarii manu sublato, ann. 1584. non satis sub Leicestrio, ab Elisabetha Angla Belgis submisso,

misso, ann. 1586. felicissime sub Mauritio Wilhelmi fil. bellum contra eum,
 & generum ejus Albertum Archid. gerunt, in utramque Indiam navigant,
 & tandem duodecennales cum eo inducias pangunt, anno quo dictum.
 Ostendæ inprimis obsidio memorabilis, quæ cœpta ab Hispanis, ann. 1601.
 à Spinola demum ad finem perducta est, ann. 1604. jacturam vel Slusa u-
 nica interea à Mauritio expugnata pensante. Unde nummus Belgis cusus
 cum Inscr. *Jehova plus dedit, quam amisimus*, H. Grotius *Annal. & Hist.*
 præter Thuanum, aliosque innumeros. In Helvetia, foedus cum Galliæ
 Rege XIII. Cantones ferierunt, ann. 1602. quo ipso parum abfuit, quin
 Geneva à Sabaudia Duce nocturna irruptione interciperetur. Vid. iterum
 Thuanum, Joan. Serranum *Hist. Gall.* Sponium *Descript. Genevæ.* Quod
 ad *Ecclesiæ* res, præter jam dicta, Colloquium inter Hieremiam Patr. Con-
 stantinopolitanum & Jac. Andreæ aliosque, circa annos 1577-79. inter Au-
 gustanæ & Helveticæ Confessionis socios Mompelgardi, ann. 1586. & in-
 ter Evangelicos ac Pontificios Reginoburgi habitum est, ann. 1601. Ad
 Marpurgensem Academiam Doctores reformatos evocavit Mauritius Hassiæ
 Landgr. ann. 1605. Evangelici in Polonia Syncretismum pie inierunt, Sy-
 nodo Petricoviensi, ann. 1578. In Bohemia, S. Biblia versa, eod. In Saxo-
 nia, Christianus El. Augusti fil. Reformatis favit, ann. 1586-1591. In Gal-
 lia, Religionis securitati prospexit Rex, edicto Namnetensi, ann. 1599.
 Thuanus *lib. 122.* At Belgicas Ecclesias, Jac. Arminius, ann. 1602. & in
 locum ejus suffectus Conrad. Vorstius, ann. 1610. Polonicas vero, dira So-
 cininismi commenta, à Smalcio inprimis, propugnata, turbarunt, circa
 ann. 1580. 1590. Romæ vero, Sixtus V. Gregorii XIII. successor, ann.
 1585. *Ligam Sanctam* Ferrariæ instituit, ann. 1586. eum excepit Urbanus
 VII. an. 1590. quem post bimestre Gregorius XIV. hunc paulo post Innocen-
 tius IX. ann. 1591. cui suffectus Clemens VIII. ann. 1592. Senatum Car-
 dinalium *de Propaganda Fide* instituit, ann. 1598. Huic successit Leo XI.
 quem paulo post excepit Paulus V. ann. 1605. *Christiane Reip. Vice-Deus*
 assentatoribus dictus, Thuanus *lib. 134.* Jac. Revius *Vitis Pontific.* Litera-
 rum studia, erectione Academiæ Franequeranæ, in Frisia, ann. 1585. &
 privilegiis Academ. Giessensi concessis, anno 1607. incrementum sumpserunt.

M A T T H I A S (a).



L O T I C H I U S.

Cæsaream cana MATTHIAS fronte coronam
 Induit, Austriaci sanguinis amplius honos.
 Ecce! movent rigidi civilia bella Bohemi,
 Cæsar at in primo limine Martis obit.

H O F M A N N U S.

*Excepi fratrem, post regna (b) extorta, sacrumque
 Imposui capiti sic diadema (c) meo.
 Acrior in Fidei mystas (d), occasio belli (e)
 Sum factus, nocuit quo mage nulla lues (f).*

E N A R R A T I O.



Illius (a) itidem Maximiliani II. & Mariæ Hispan. ad regnum Polonicum ipse quoque propositus, ann. C. 1576. ab Ordinibus ad Belgii præfecturam vocatus, eam suscepit, ann. 1577. Dein iterum Polonicæ coronæ candidatus, an. 1587. bellum Turcicum, auspiciis frater-
 nis, in Ungaria, administravit, demum (b) Austriam aliaque (postquam Ordinibus privilegia confirmasset) obtinuit, ut diximus. (c) Electus, post Rudolphi obitum, Imperator ann. 1612. Comitibus Ratispon. vulnera Imperii vidit, Protestantibus de Aulico Consilio & Camera Imperiali multa gravamina proponentibus: sed vix Medica manus jam sufficiebat. Aquif-
 granenses Protestantes, quod Senatum Pontificium, gravibus injuriis exasperati, amovissent, ann. 1612. proscripsit, executione Alberto fratri demandata, qui per Spinolam
 eos

eos in ordinem redegit, ann. 1614. Cum Achmete Turca de jure dandi Transylvanis Principem disceptavit & demum in vicennium pacem conclusit, ann. 1615. Bethlehemo Gabore, qui Turcarum Imp. jussu Bathorium biennio ante deturbaverat, in possessione relicto. Inde Ferdinandum agnatum Regem Bohemæ, ann. 1617. & Hungariæ, anno sequente eligi curavit. (d) Quod injurias Evangelicis illatas mature non vindicasset, (e) ferali hinc bello, quo 30. annos Germania conflagravit, occasio data. initium à ministris Cæsareis, Wilhelmo Slawata, Jaroslao Martinizio, Philippoque Plattero Secretario p: fenestras Pragæ præcipitatis, ann. 1618. quare mox contra Bohemos missi Tampierius & Bucquojus, ac Ernestus Com. Mansfeldius, dux eorum, qui Pilsnam expugnaverat, proscriptus, ultimum Cæsaris opus, fuit, (f) defuncti ann. C. 1619. ætat. 62. Imp. 6. mens. 2. d. 27. Em. Meteranus *lib. 30. Supplem.* Thuani, Phil. Spenerus in *Familia Austr.* Alii. In Imperio Turcico, Achmetes, à Cosaccis, ad ipsa mœnia Byzantina excurrentibus, Persisque Turcicas provincias late depopulantibus, mire vexatus, ann. 1616. decessit, ann. 1617. successore fratre Mustapha: quo post 2. aut tres menses carceri reddito, filius Achmetis Osmanes seu Othomanus II. successit, *eod.* Hic Cosacorum licentiam ulturus, 3. mill. Polonorum in Polonia fudit: à Persis dein cruento prælio victus, illis tamen pacem & sericarum vestium tributum extorsit, ann. 1618. Joh. Cluverus *Histor. Epit.* In Africa, Zidanus Marocci Rex, à Mago victus, iisdem mox artibus eum ultus est, ann. 1612. In Germania, Imperator, Mulhemium per Spinolam destruendo, dissidium Juliacense inter Wolphgangum Neoburgicum & Joan. Sigismundum Elect. Brandenburgicum, accendit, quorum ille Pontificiam, hic Reformatam religionem amplexus est, ann. 1614. Brunsvicum iterum obsessum, ann. 1615. quo ipso Judæi Wormatia, uti triennio ante Francofurto, ejecti. In Italia, Francisco Mantuano defuncto, de ditione Montisferratensi, inter fratrem ejus Ferdinandum & Carolum Em. Sabaudum Francisci socerum, lis orta, ann. 1613. sopita ann. 1618. Veneti, cum Ferdinando Archid. in Istria & Foro Julii rem habuere, ann. 1616. conciliati ann. 1618. quo ipso fœdam domi conjurationem feliciter detexere. In Gallia, Ludovicus XIII. in matrimonium accepit Annam Mariam Philippi III. Hispan. Reg. filiam, ann. 1615. Sabaudia Ducem contra Mantuanum tuitus, *eod.* Condzum Principem in custodiam dedit, instinctu Concini Florentini March. Ancræi, qui, Mariæ reginæ gratia sibi conciliata, plurimum in Aula pollebat, ann. 1616. mox alios quoque Principes proscriptis, sed casu Ancræi omnia sopita, anno 1617. In Hispania, Philippus classem Turcarum, Florentinis ac Melitenis junctus, profligavit, ann. 1613. In Britannia Jacobus I. Flissingam, Brielam aliasque munitiones sibi oppignoras, Belgis restituit, ann. 1616. iisque, in turbis Arminianis pacandis, fidelem navavit operam, ann. 1618. In Polonia, Sigismundus Rex Moscuam Moscoviæ metropolim captam incendio delevit, ann. 1612. Moscæ vero Michaellem Federovitium M. Ducem elegerunt, qui Imperio tot per annos intestinis dissidiis jactato pacem reddidit, ann. 1615. In Dania, Christianus IV. Elsburgum expugnavit, ann. 1612. pacem deinceps Gustavo Adolpho Sueciæ Reg. iniit, anno 1613. qui, armis hinc in Moscos versis, illis Plescoviam aliaque loca, ann. 1614. Polonis dein, in Livonia, Parnaviam & Vindaviam, eripuit, sed Rigam frustra tentavit, ann. 1617. In Belgio, Lamaires & Schoutius Navarchi novo itinere ad Moluccas evaserunt, biennioque quinquies perambulato Æquatore in patriam remearunt, ann. 1617. Mauritio Principe interea, in Juliacensi Ducatu, pro Brandenburgico satagente. Idem dein Arminianos exarmavit passim, ann. 1618. Auctores *Theatri Europ.* Meterani *Supplem.* ut & Thuani, Alii. *Ecclesiam* quod attinet, Marcus Anton. de Dominis Archiepisc. Spalatenfis Pontificiam deseruit religionem, ann. 1616. In Saxonia, Palatinatu, Brandenburgico Electoratu, Argentina item & Spiræ, Jubilæum celebratum, & solennes gratiæ *pro Evangelii luce, ante seculum, accensa*, Deo actæ sunt, ann. 1617. In Gallia, Edictum Namnetense confirmatum, ann. 1615. at paulo post, in Benearnensem principatum Latini ritus introducti sunt, ann. 1617. In Bohemia, *Fratres* pacem habentes segnescere in zelo pietatis cœperunt, ann. 1614. excitata dein infelix controversia, de sensu *Literarum Majestatis*, aliaque, unde gravissimum bellum paulo post exortum. Vid. supra. Synodo vero celebri Zeravicii in Moravia habita, *Ordo Ecclesiæ* conscriptus est, ann. 1616. In Belgio, Synodus Dordracena contra Arminianos instituta, ann. 1618. & ad eam Theologi quoque peregrini, ex Britannia, Palatinatu, Hassia, Helvetia aliisque locis evocati sunt, ann. 1619. *Acta Synodi Dordrac.* At Romæ, Paulus V. in componenda *de B. Virginis Conceptione* lite frustra sudavit, ann. 1612. In Gallia, liber Bellarmini *de Ecclesiæ potestate* damnatus, at promulgatio Concilii Tridentini, Clero adnitente, Magistratu civili reclamante, tandem obtenta est, 1614. Jac. Revius in *Paulo V.*

F E R D I N A N D U S (a) II.



L O T I C H I U S.

Suscipit Imperium bellis civilibus aptum
 FERDINANDUS generis splendidus *Alter* honos.
 Dum Sacra perturbat, Sueco victore resistit
 Cæsare qui prior est imperioque Deus.

H O F M A N N U S.

*Hæres (b) cognati, Palatinum (c) vinco, Bohemos (d)
 Perdomo, mox toto limite pello (e) Fidem.
 Dum pergo (f) ulterius, veniens en fulmen ab Arcto (g)
 Ausus impediit, sorte nocente, meos (h).*

E N A R R A T I O.



II. (a) Caroli Archid. Styriæ seu Græciensis lineæ conditoris, Ferdinandi I. Imp. geniti, & Mariæ Annæ Bavar. post Evangelicos ditionibus suis pulsos, ann. C. 1604. & bellum cum Venetis, pace finitum, ann. 1618. Bohemiæ (frustra Bohemis obnitentibus) Ungariæque Rex prius electus, ut dictum, mortuo Matthiæ (b) in Imperio successit, ann. 1619. (c) Fredericum V. Elect. Palat. contra se à Bohemiæ

M m

hemia Proceribus Regem electum, in *Monte Albo*, per Maximilianum Bavarie Ducem & Buquojum devicit, ac Bohemia eiecit, ann. 1620. cuius fortunam brevi reliqua provincia, Austria opera Bavari, Moravia, Buquoji eorundem, Silesia ac Lusatia Joannis Georgii I. Elect. Saxonie, subjugatis, sequuta, & *Unio* dissoluta est, ann. 1621. Bethlehem quoque Gaborius, posito Regio nomine, cum Caesare pacem fecit, ann. 1622. quo ipso, victis Mansfeldio, Christiano Brunsvic. Georg. Friderico March. Badensi aliisque, qui pro Palatino steterant, hic per Tillium propriis ditionibus exutus est. (d) Post Palatinum, aliosque Principes proscriptos, Pragae de Regni Proceribus supplicium sumtum, ann. 1621. (e) Concionatores & Ludimagistri e Bohemia, frustra deprecante Saxone, eieci sunt, ann. 1622. quam sortem postea etiam Austria experta est, ann. 1624. qua tota & reliqui Evangelici pulsi, ann. 1627. (f) Comitibus Ratisbonae habitis Bavaro Electoratum Palatinum contulit, ann. 1623. qui a Collegio Electorali receptus est, ann. 1624. Post Christianum inde Daniae Reg. Circuli Saxonie Infer. Ducem electum, ann. 1625. sed victum ad Lutteram, per Tillium: uti Mansfeldium, ad Dessaviam, per Fridlandum, ann. 1626. pace tandem cum Dano conclusa, ann. 1629. Bona Ecclesiastica, post transactionem Passaviensem occupata, publico decreto repetiit, eod. Ob quod edictum, aliaque Imperii onera gravissima, querela omnium & publica calamitas, quae vulnera Ratisbonae comitiis Electoralibus patefacta potius, quam curata sunt, ann. 1630. (g) Tum Rex Sueciae Gustavus Adolphus bellum indixit Ferdinando, qui contra eum Polonis Arnheimium priori anno subsidio miserat. Regis successus admirabiles: Magdeburgi tamen excidium prohiberi non potuit, ann. 1631. a quo versa rerum vices, & Lipsiensi praelio Tillius profligatus Germaniam superiorem Suecis apertam reliquit, ac ad Lycum fluv. nova affectus clade periit, ann. eod. Mox Luzensis clades, licet ex vulnere mortuo Gustavo, res Caesaris amplius afflixit, ann. 1633. quae ex parte restituta, Ratisbona capta. Suecis ad Nerolingam victis, ann. 1634. & pace Pragensi, qua totum fere Imperium cum eo in gratiam rediit, ann. 1635. Sed novus hostis prioribus Rex Galliae accessit, & alterius belli itidem gravissimi principium, eod. (h) Obiit ann. C. 1636. æt. 59. Imp. 17. mens. 5. d. 5. perpetuis fere bellis implicitus, & Jesuitis addictissimus, quibus proin Academiam Vienneensem donavit, ann. 1622. venationibus insuper singulariter deditus. *Vitam Virtutesque* ejus descripsit Laymormanus, *Bella Wassenbergius*, *Aulam*, seu *Regimen* Auctor anonymus, ann. 1637. Vid. quoque Spenerum *Famil. Austr.* In Oriente, Osmanes, Wallachica victoria elatus, immensis copiis Poloniam invasit, sed cum Vladislao Sigismundi fil. sapius, ac semper peiori sua fortuna congressus, tandem in gloria pace facta, domum rediit, a Jani-

à Janizeris strangulatus, ann. 1622. in thronum altera jam vice patruo ejus Mustapha e carcere evocato: qui tamen mox se abdicavit Imperio, Osmanis fratre Amurate IV. successore, ann. 1623. cum quo pacem iniit Imperator, ann. 1627. In Germania, moto bello Bohemico, Principum alii pro Friderico Reg. alii pro Imperatore arma sumpsere, ann. 1620 florentissimæ provinciæ vastatæ, urbes crudelissime excisæ, totum Imperium continuis exactionibus fere exhaustum est, annis seqq. donec auxilium e Septentrione laboranti Germaniæ affulsit, atque Suecorum ope res in melius mutatae sunt, ut diximus. Nec morte Regis aut prælio Nerolingen-
gi, aut Pragensi pace, qua Saxoniae Elector Cæsari reconciliatus est, tantopere illi fracti, ut bellum non toto Imperio etiam post hæc circumferrent. In Italia, Vincentio Mantuæ Duce sine prole extincto, bellum exarsit ob successionem, inter Carolum Niverniæ Duc. Vincentii patruelem & Hispaniæ Regem ac Sabaudia Ducem, ann. 1628. quibus accedens Cæsar, exercitu in Italiam translato, ann. 1629. Mantuam expugnavit, ann. 1630. sed postea Nivernio feudum, excepto Taurino, quod Sabauda adjudicatum, concessit, ann. 1631. In Gallia, à matre discedit Ludovicus XIII. ac copias ejus profligavit, ann. 1619. Rupellam, Cardin. Richelii ope, ad deditionem adegit, ann. 1627. fratrem Gastonem ac Ducem Aurelian-
turbas moventes superavit, ann. 1632. Succis contra Cæsarem se junxit, anno quo diximus. In Hispania, Philippo III. successit fil. Philippus IV. ann. 1621. qui bellum cum Belgis, post Albertum & Isabellam, sed deteriore semper conditione, per Ferdinandum Cardin. fratrem, continua-
vit. In Britannia, Jacobum I. excepit fil. Carolus I. ann. 1625. In Dania, Christianus. IV. bello cum Imperatore universam fere Holsatiam amisit, pace recepit, ann. 1629. In Suecia, Gustavus Adolphus Livoniam ingressus, post inducias finitas, Rigam deditione accepit aliasque ur-
bes subegit, ann. 1625. nec Livonia contentus Prussiam invasit, ann. se-
quente: induciis dein cum Polono sexennialibus factis, ann. 1629. in Germaniam transiit, ac, Pomerania occupata, ad Lipsiam Cæsareanos vi-
cit & Lycum, dein ad Lutzenam victor occubuit, uti vidimus. Defun-
cto successit filia Christina septennis, ann. 1633. cujus auspiciis bellum continuatum. In Polonia, Sigismundo III. surrogatus Vladislaus IV. fil. ann. 1632. primo regni aditu Moscos vicit, & ad pedes suos projectos vi-
dit, Prussiamque, Sarmatiæ ocellum, ac vectigalium officinam, recupe-
ravit, ann. 1635. In Ungaria, Bethlemus Gabor defunctus anno 1629. Georgium Rakozium successorem accepit. In Belgio, Joan. Barnefeldius capite plexus, ann. 1619. induciisque finitis bellum resumtum, ann. 1621. Mauritio dein Principi defuncto frater Henricus Fridericus successit, ann. 1625. classis argentifera Hispanorum, ductu Petri Haynii, intercepta, ann. 1628. ac Vesalia ad Rhenum, Sylva-Ducis, Trajectum ad Mosam, alia-
Mm 2 que

que loca Hispanis erepta, in America quoque res, Christophoro primo Arzissevio Polono, dein Mauritio Nassovio ducibus, egregie gestæ sunt, annis seqq. Quod ad *Ecclesiam*, Imperator voto, quod quondam coram Lauretana Imagine fecerat, fore, ut data occasione *Protestantes omnes*, ex *Germania*, *Stiria*, *Carinthia*, *Bohemia*, *Moravia*, *Silesia* pellat, magna ex parte potitus est, circa ann. 1627. & multa exulum millia in Germaniam, Belgium, Ungariam Angliamque concesserunt. In Polonia pax fuit, sed plurimis Zelotarum moliminibus subinde interrupta. In Rhætia, immanis Protestantium laniena edita ab Hispanis in Valle Telina, ann. 1620. In Palatinatu, quotquot Helveticæ Confessionis erant, ejecti, ann. 1622. In Gallia, bellum contra Hugonotas, uti vocant, susceptum, post aliquot annorum intervallum, dedita Rupella, finitum, ac, Pontifice frustra obnitente, Religionis libertas juxta Namnetense Edictum iis de novo concessa est, ann. 1628. In Belgio Fœderato, Ecclesiæ res mirifice floruerunt, propagata Religio & in loca recens occupata, imo in America quoque ac India Orientali Ecclesiæ institutæ sunt, Joan. Cluverus *Hist. Epit.* Andr. Rivetus *Jesuita Vapul.* Alii. At Romæ, Paulus V. universo per Italiam Clero *duplicatas decimas*, in sumptus belli Bohemici, imperavit, defunctus ann. 1621. Successit Gregorius XV. qui Regem Galliæ adversus Hugonotas, *Decessorum proposito exemplo*, incitavit, extinctus ann. 1623. Eum excepit Urbanus VIII. qui Marc. Antonium de Dominis, ab antecessore Anglia Romam revocatum, in carcerem S. Angeli detruxit, ubi non sine veneni suspitione extincti cadaver exustum cum libris, & cineres in Tiberim sparsi sunt, ann. 1625. Idem Galliæ Regi de Rupella expugnata, literis missis, gratulatus est, ann. 1628. Jac. Revius *Vitis Pontificum.* Ecclesiæ Græcæ tum præsidebat Cyrillus Patr. qui, *Confessione Fidei Ecclesiarum Orientalium* in Britannia edita, Jesuitarum odium meruit, à quibus quid illi contigerit ann. 1628. & seqq. succincte exponit Rivetus ubi supra, *cap. II. sect. 11. 12. 13.* Bonis vero Literis promovendis, nova Ultrajecti Academia aperta est ann. 1636.

F E R D I N A N D U S (a) I I I.



H E N N I N I U S.

FERDNANDUS Pacis Germanæ *Tertius* auctor,
 Cum Sueco & Gallo foedera pacta colit.
 Auspicio hoc rediit pulsus Concordia bellis,
 Et fundata fuit publica rite Quies.

H O F M A N N U S.

*Continuo dum bella Patris, (b) fero, & infero (c) clades;
 Me subiit tandem pectora pacis amor.
 Hanc igitur tibi clara dedi (d) Germania, major
 Hinc mihi, quàm bello, gloria parta venit (e).*

E N A R R A T I O.



ilius, ex Maria Anna Bavarica, Ferdinandi II. Regnum
 Hungariæ non sine motibus, ann. 1625. Bohemicum
 dein biennio post obtinuit, anno 1627. post mortem Wal-
 lenstenii, summam exercitus curam adeptus, Ratisbo-
 nam recepit, &, junctus Ferdinando Card. Hispaniæ,
 Suecos ad Nerolingam vicit, ann. 1634. Rex postea Ro-
 manorum electus, ann. 1636. (b) ipsi tandem defuncto, in Imperio quo-
 que

que successit, ann. 1637. ac bellum vario Marte continuavit. (c) Et quidem principia secunda visa, cum, Ehrenbreitstenio à Gallis dedito, Gallassius Suecum hostem in Pomeraniam usque persequeretur, Hatzfeldius quoque Palatinos Principes in Westphalia profligaret, ann. 1638. sed pulsus mox Gallassius & Brisacum à Bernardo Vinariensi, uno hoc anno duobus præliis victore, captum est. Bohemiam dein Banerius invasit, misereque devastavit, ann. 1639. Sed illa liberata, & Comitibus Ratisbonensibus amnestia decreta est, ann. 1640. Prælio Lipsiensi iterum partes debilitatæ, ac in hæreditarias provincias effusi Sueci, Torstensohnio duce, ann. 1642. quibus ad bellum Danicum conversis, ann. 1643. aliquod respirandi spatium, & loca nonnulla recepta, cum Ragozcius ex alia parte in Ungaria negotium facessit, ac Caschaviam expugnat, ann. 1644. Reiectus mox ex Holsatia in Bohemiam Gallassius, & prælium ad Jancoviam s. *Tabor* Cæsari infelix, sed hæsit ad Brinnam successus hostilis, ann. 1645. Torstensohnio dein succedens Vrangeliuſ bellum continuavit ann. 1646. qui post varia, pactis cum Bavaro induciis, in Bohemiam movit Egramque ad deditiōem compulſit, ann. 1647. missus post cum Carolus Gustavus Palatinus, donec (d) Monasterii & Osnabrugæ cum Suecis (in obsidione Pragæ, cujus arcem & alteram partem Königsmarckius occupaverat. hærentibus) pariter & Gallis pax inita, illisque *Pomerania*, *Mindensis* & *Verdensis* dioceses, atque *Wismaria*, his *Alsatia* concessa: Carolo porro Ludovico Elect. Palatino inferior Palatinatus restitutus, & *Ostærus Electoratus*, nomine *Archithesaurarii* Imperii, institutus est, ann. 1648. Ex eo alia diæta Norimbergæ de executione pacis actum, ann. 1650. (e) Tandem bello Suecico adversus Polonos mistus, obiit ann. C. 1657. ætat. 49. Imp. 20. mens. 1. die 17. Everh. Wassenbergius *Floro German.* Auctores *Theatri Europ.* Alii. Ejus tempore Amuratus IV. Turc. Imp. Bagdetum expugnavit, & mortuus eo ipso anno 1649. fratrem Ibrahimum successorem nactus: huicque occiso, ann. 1648. filius Mahometes IV. surrogatus est. In Germania, præter jam dicta, Hanoviam stratagemate interceptam recepit Dominus ejus ann. 1638. Post mortem Bernhardi Ducis miles ejus sacramentum dixit Gallo, ac Banerius Saxoniam, Misniam & demum Bohemiam invasit, ann. 1639. Comitibus dein turbaturus Ratisbonensibus (ubi parum aberat, quin Cæsar cum Ordinibus caperetur) cum clade reiectus est, paulo post extinctus Halberstadii, ann. 1641. ad Wolferbyrum dein pugnatum, Hohentwila frustra obsessa, & Otto Com. Schauenburgicus, stirpis suæ postremus, obiit, *eod.* Postea, Lambojus à Vinariensibus & Hassis cæsus, ad Lipsiam denuo victoria (ut dictum) obtenta & pacis negotia Lubecæ ac Hamburgi suscepta sunt, ann. 1642. Gallo Vinarienses dein, ad Dutlingam, à Bavaris inopinato oppressi, ann. 1643. Uberlinga ab iisdem capta, ann. 1644. & rursus Gallo-Vinarienses ad Merger-

genhemium victi: inter utramque Hassorum quoque Domum bellum conflatum est, ann. 1645. Ferdinandus post hæc IV. Cæsaris fil. Bohemiæ, ann. 1647. ac tandem post diuturnum Germaniæ bellum, quod ante 30. annos Pragæ in Bohemia fuerat exortum, ad eandem finitum, anno 1648. ut vidimus, Romanorum Rex creatus est ann. 1653. sed Sol hic exortus mox iterum occidit, ann. 1654. In Italia, Parmense bellum cum Pontifice gestum, ann. 1643. Venetorum inf. Cretam aggressus Turca, Caneam urbem expugnavit, ann. 1645. hos terra marique graves expertus, ann. 1640. Neapolitani, Thomæ Anielli (vulgo *Masaniello*) piscatoris auspiciis contra Proregem insurrexerunt, anno 1647. Guisio dein duce idem regnum Galli invaserunt, sed irrito conatu, ann. 1654. qui & à Ticini obsidione cum clade rejecti sunt, ann. 1655. In Gallia, Ludovicus XIII. Hesdinum, ann. 1639. & Atrebatium, ann. 1640. expugnavit, defunctus ann. 1642. Ejus successor fil. Ludovicus XIV. qui hodie feliciter regnat, Hispanos ad Rocrojam vicit, & Theodonis-villam occupavit ann. 1643. per Anguiensem dein Ducem, prope Friburgum, Bavaros in castris probè munitis adortus, Philippoburgum, Wormatiam, Spiram aliaque ad Rhenum loca, subegit: per Aureliæ vero Ducem Gravelingam Flandriæ cepit, ann. 1644. & Dunkerkam, per eundem Anguiensem, ann. 1646. cum Cæsare pacem fecit, ann. 1648. sed ob Principes in custodiam traditos intestino motu Galliam quati vidit, ann. 1650. qui sedatus, Principibus libertate data, & Card. Mazarino proscripto, ann. 1651. qui tamen mox, à Rege annum æt. XIV. ingressu revocatus est. Unde Condæo arma sumpta, *cod.* & Aurelianensi, ann. 1652. quorum ille Hispanorum amplexus partes est, sed Galli, Estenavia expugnata, Atrebatium, ingenti Hispanis clade illata, obsidione liberarunt, ann. 1654. à Valentinianarum obsidione vicissim rejecti, ann. 1656. In Hispania, Philippus IV. Belgarum Foeder. ad Calloum victor, ann. 1638. ab iisdem, Martino Trompio duce, mari memorabili pugna profligatus, ann. 1639. Portugaliæ regno, cui Bragantiæ Dux Joannes IV. admotus est, ut & Catalaunia, defectione incolarum, excidit, post Gallos ad Fontarabiam superatos, ann. 1640. cum Belgis tandem Foederatis pacem perpetuam iniit, ann. 1648. In Anglia, Scoti ob novos in sacris ritus ab Anglis dissidere cœperunt ann. 1639. in Anglia ipsa contra Regem bellum decretum, ann. 1642. Laudus Episc. securi percussus, & Regis copiæ aliquot præliis dissipatæ, ann. 1645. illo hinc ad Scotos se recipiente, Oxonium à Fairfaxio captum, ann. 1646. ipse Rex Anglis traditus, & securi percussus, fil. vero ejus Carolus II. in Scotia Rex proclamatus est, ann. 1649. Sed hic Angliam cum exercitu ingressus, & ad Vigorniam à Cromvello superatus, clam regno excessit, ann. 1651. hinc in stabilienda *Novæ Reip.* forma Angli toti, Regiaque potestate abrogata, Cromvellus Reip. *Protektor* factus est, ann. 1652. quo ipso mox bellum inter Anglos Belgasque exarsit: sequutæ pugnæ navales acerrimæ, ann. 1653. & pax,

pax ann. sequente. In Dania, bellum cum Suecis ortum, hisque, Torstensohnii ductu, in Holsatiam, inde in Jutiam penetrantibus, ann. 1643. terra marique vario Marte pugnatum, ann. 1644. pax dein conclusa, ann. 1645. Rexque extinctus est ann. 1648. successore filio Friderico III. In Suecia, Regina vidua nomine Christinae fil. bellum Germanicum non infeliciter sustentavit, ut ex præcedd. videre est: hæc vero coronata, ann. 1650. quadriennio post regno se abdicavit, Caroloque Gustavo Palatino cessit, ann. 1654. & ad Latina sacra transiit, ann. 1655. In Polonia, Vladislaus IV. ducta Cæcilia Renata, sorore Imperatoris, Cosaccos rebelles ad officium reduxit, ann. 1637. Casimirum fratrem captivitate Gallica exemit, ann. 1639. obiit ann. 1648. eodem successore: qui contra rebelles Cosaccos movit, ann. 1649. eoque cum Tartaris insigni clade ad Bereftérzkovium affecit & profligavit, ann. 1650. Cum Moscis dein in Lithuania, qui Smolenscum expugnarunt, res fuit, ann. 1654. cum Suecis item, qui magna Poloniae parte, ipsaque Waravia potiti sunt, ann. 1655. qua recuperata, inter Sueco-Brandeburgicas & Polonicas copias ingens prælium commissum est, ann. 1656. quo ipso Mosci, post expugnatam præc. anno Vilnam, in Livoniam irruptione facta, Rigam frustra tentarunt. In Transylvania, Ragozius Hungarica expeditione Caschaviam, ut dictum, in deditionem accepit, ann. 1644. In Moscovia, Michaëli Federovitio successit fil. Alexius Michalovitus, qui Waldemarum Com. mox dimisit, ann. 1645. De Belgii rebus jam dictum. In Helvetia motus intestini orti sunt, anno 1656. sed eo ipso compositi. *Ecclesiam* quod spectat, illa multis in locis pressa ingemuit, ac in ditionib. Imperatoris hæreditariis singulari vehementia reformatio instituta, spem multorum de voluntate ejus conceptam destituit, ann. 1639. In Polonia, Christophorus Radzivilius; eximium Ecclesiæ fulcrum, decessit, ann. 1640. postquam in eodem regno Hæresis Socinianorum publico Comitiorum decreto damnata, & Rakoviæ, ubi sedes mali præcipua, templum, schola ac typographia iis adempta esset, an. 1638. In Anglia, *Puritanorum* nomen innotescere, sub motuum initia, de quibus supra: Joan. Duræus Scotus vero, in Evangelicis componendis laborare cœpit, circa ann. 1640. Thoruniense Colloquium (jussu Poloniae Reg.) institutum, ann. 1645 & Pax Religionis in Imperio confirmata est, pacificatione ann. 1648. At Romæ, Urbanus VIII. pacis desiderium præ se ferens, sumptus interea ad extirpandos Evangelicos, & continuandum bellum, Cæsari submisit, ann. 1637. defuncto successit Innocentius X. ann. 1644. qui pacem Germaniæ, protestatione interposita, frustra remorari conatus est, ann. 1648. magnos dein ex Jubilæo thesauros corrasit, ann. 1650. obiitque ann. 1654. successore Alexandro VII. ann. 1655.

LEOPOLDUS (a) A U G.



H E N N I N I U S.

Germanæ Gentis robur, cui militat æther,
 Austriaca constans cum Pietate Fides:
 Hæc facient, ut sit LEOPOLDUS ab omine *Magnus*
 Europæ vindex Solis & occidui.

H O F M A N N U S.

Sapius insidiis (b), & aperto Marte (c) petitus,
Nec potui insidiis, nec quoque Marte capi,
His major. Luna en! pacem (d) quam abjecta precatur,
Et parvet, atque aquila succubuisse gemit (e).

E N A R R A T I O.



Il. (a) Ferdinandi III. ex Maria Anna Hispanica, natus 1640. post Ferdinandi Francisci fratris Regis Romanorum obitum, Bohemiæ Rex, ann. C. 1654. & Hungariæ ann. 1655. electus, Patre defuncto ann. 1656. sub curatela patruui fuit, usque ad ann. 1658. quo Imperator Francofurti creatus est, die 8. 18. Jul. Sub initium Imperii fœdus cum R. R. Daniæ & Poloniæ, ac Elect. Brandenburgico pepigit, ex quo Suecos in Dania (ubi in Fionia inf. à Fœdera-

N n

tis

tis magna clades hosti illata, ann. 1659.) & Pomerania (ubi Stetinum frustra obsessum, *eod.*) aggressus est. Sed Olivenfi tractatu de pace inter partes convenit, ann. 1660. quem *Conciliatorem pacis* jure appelles, ut porrò videbimus. Dein cum Ragozio Transylvano negotium, quod demum bello Turcico occasionem dedit, in quo Waradinum amissum, ann. 1660. Neoheuselum occupatum, & Moraviæ quædam à Tartaris vastata, ann. 1663. Pons Elleccensis destructus, Canisia frustra obsessa, oppida quædam Turcis erepta, in Hungaria sup. dein in infer. ad S. Gothardi fanum Turcarum 8. mill. in Arrhabonis seu Rabæ fluv. transitu cæsa: bellum tandem induciis vicennialibus terminatum, ann. 1664. Post quæ, morte Sigismundi Franc. agnati, omnes Austriacas provincias, primus post Ferdinandum I. iterum collegit, ann. 1665. ac cum Margareta Tereſia, Philippi IV. Hispan. Reg. filiâ, nuptias magnificentissimo apparatu celebravit, ann. 1666. (b) Inter alia, veneno tentatus periculossime decubuit, ann. 1670. quo ipſo in Hungaria & Croatia conjuratio detecta, & Comites P. Serinius, Joh. Erasmus Tettenbachius, Frangipanius ac Nadastius, illius auctores ac principes, capite plexi, Ragozio vero vitæ gratia facta est, ann. 1671. Eidem crimini qui participasse credebantur, eidem ruinæ involuti, fortunis, ex quibus Jesuitæ plurimum locupletati sunt, excidere. Inde motus hodieque nondum satis Com. Tekelio, famoso partium duce, præprimis Cæsari hætenus obnitente, sopiti. Occasionem autem hinc nactus Clerus Evangelicis templa eripuit, Pastoresque universo regno vario colore ejecit ac male habuit. (c) Cum postea Rex Galliæ, Batavos oppugnaturus, ab Imperii terris non abstinere manus, Imperator ad harum tuitionem, & fœdus cum Hispanis ac Batavis incundum excitatus est, successu armorum vario, & pace tandem insequuta, ann. 1679. d. 5. Febr. etiam adversus Sueciæ Regem, quod Marchiam Brandenburgicam ingressus ex Mediatore pacis hostis visus esset, bellum decretum, qui a Confœderatis Principibus omni in Germania ditione exutus, tandem eam paucis exceptis pace facta ann. *eod.* d. 19. Jun. recepit. Post obitum primæ conjugis Claudiam Felicitatem, Archid. Oenipontani relictam filiam, sibi junxit, ann. 1673. qua extincta, tertiam thori sociam assumpsit, Mariam Annam Neoburgicam, materteræ suæ magnæ neptem, ann. 1678. quæ Principem filium non unum enixa, totidem Augustæ domus munimenta, Aulæ Imperiique desideria abunde implevit. Post hæc immanis ex Oriente tempestas ingruit, & Mahometes IV. Turc. Imp. non expecto induciarum, cum Imp. Leopoldo initarum, ann. 1664. & de novo confirmatarum anno 1671. termino, ingenti cum exercitu Hungariam longe lateque depopulatus, ad ipsa Viennæ mœnia improvius confedit, atque urbem acerrime oppugnatam eo tandem redexit, ut a deditione parum abesset, cum opportune Cæsar, juncto sibi Joanne Polon. Reg. & Bavaro Saxoneque Electoribus, Magnum Vezirium, qui obsidioni præerat, interrito animo & successu stupendo aggressus fudit, castris exiit, & ab urbe immane quantum rejecit, ann. 1683. Quamvis vero irrita Budæ obsidio Turcas, non hac solum clade, sed & variis aliis, priorem insequutis, fractos, ad novas spēs utcunque erexerat, ann. 1684. (d) Sequens tamen annus res Cæsaris in melius retulit, & Turcæ denuo acie victi, ac Neoheuselio munitissimo propugnaculo insuper exuti, ad Cæsarem

-- pal-

--- --- *palmas pro pace plicantes,*

Jam temere sumpta arma sua & perjuria damnant.

In *Turcico* itaque *Imperio*, Achmetes II. seu Mahometes prædictus Transylvaniæ Principem Ragozium (qui in Poloniam moverat, amisso exercitu ad sua reversus, ann. 1657.) vicit vulneratumque dimisit, ann. 1659. Galatam seu Peram Constantinopolis suburbium incendio periisse, ipsam dein Urbem ardere vidit, ann. 1660. Ragozio autem denuo victo occisoque Barkajum Transylvaniæ Principem imposuit, cui ab Ordinibus Kemini - Janos oppositus. Hinc varia à Turcis occupata loca, in quibus & Varadinum, ann. eod. Barkajus ab æmulo occisus, ann. 1661. quo ipso Turcæ Transylvaniam ingressi, ceperunt Portam Ferream & Nagibaniam, magnaque regionis parte potiæ novum ibi Principem Michaellem Apasium constituerunt, qui paulo post Keminium sustulit: Claudiopoli frustra, Cæsareanis suppetias ferentibus, tentata, ann. 1662. Inde in Hungariam irruptione facta Neoheuselium expugnarunt, ann. 1663. ac vario Marte cum Cæsaris copiis conflictati, ad Leventium quoque & S. Gotthardi fanum cæsi, inducias 20. annorum pepigerunt, ann. 1664. ut vidimus, quas quo pacto violaverint suo malo haud pridem, ibidem dictum. De bello eorum Cretico & Polonico infra quædam. Interea Zeckelheida & Claudiopolis Apasio à præsidario milite vendita, & Mahometi filius natus est, ann. eod. In *India Orient.* Lusitani superati à Belgis; sed hi vicissim à Sinensibus piratis in ins. Formosa, ann. 1661. Iisdem eripuerunt Cananoriam, ann. 1662. & Cochinum, ann. 1663. in Macassar deinde Regis victores, ann. 1670. In *Africa*, Taffileta Maroccensi & Fezzensi regno subacta, ann. 1668. aliis inhiavit, ann. 1670. cujus victor Gaylandus in eodem campo (quo Sebastianus Portugalliæ R. ann. 1578.) victus occisusque est à Muley - Ismaële, qui ei successit, ann. 1673. In *Italia*, Veneti res præclare adversus Turcas terra marique gessere, anno 1659. sed ad mœnia urbis Candix rejecti, ann. 1661. à quo languere bellum, donec Turca, rebus in Hungaria compositis, urbem hanc regni metropolim aggressus est, ann. 1667. cui post difficilem ac diuturnam obsidionem (quam strenuæ Brunsvicensium & Lunæburgensium Ducum copiarum, laboranti subsidio missæ, hucusque distulerant) & Gallos, qui Beaufortio Duce eidem suppetias venerant, fusos dissipatosque illa dedita, paxque hac lege facta est, ut Veneris insulæ loca, *Suda*, *Spina Longa*, *Carabusa* & *Tini* remaneant, reliqua Turcici juris sint, ann. 1656. Hodie fœderis contra Turcas pars magna Veneti, post varia egregie gesta, Coronen munitissimam Peloponnesi urbem expugnarunt, ann. 1685. In *Germania*, Christoph. à Galen, Episcopus Monaster. Monasterium Westphaliæ metropolim, jura debita sibi illam negare causatus, obsedit ann. 1657. iterum, ann. 1660. & ad deditionem coëgit, ann. 1661. Comitæ, metu belli Turcici inchoata, hodieque Reginoburgi durant, ab ann. 1662. Passavium fortuito incendio pene totum periit, *eod.* Frid. Wilhelmi Electoris Brandenburgici summa potestas in Prussos stabilita, eique denuo juratum, ann. 1663. qui secundis nuptiis sibi junxit Dorotheam, Christiani Ludovici Duc. Brunsvic. viduam, ann. 1668. postquam Erfordiam, à Cæsare proscriptam, Joan. Philippus Elect. Moguntinus, Gallo milite obsessam, sub suam potestatem redegit, ann. 1664. Brunsvicum urbs suis Ducibus se dedit, ann. 1671. In eadem, ob bellum Belgi-

cum , passim turbatum , ann. 1672. & *seqq.* terræmotus ingens , ann. 1673. & 1674. quo eodem gelidissimam hyemem insolitæ aquarum inundationes , præcipue in locis ad Albim & Vistulam sitis secutæ. Cometæ quoque frequentes satis. In Palatinatu , Carolo Electore , præmatura morte abrepto , d. 16. Maj. ann. 1685. successit proximus Adgnatus Philippus Wilhelmus Princeps Neoburgicus , natus 1615. &c. In *Gallia* , Rex Anglis junctus Dunkerkam , aliaque in Flandria loca occupavit , Dunkerkam vero his concessit , ann. 1657. pecunia postmodum redemptam , ann. 1662. cum Hispaniæ Rege pacem conclusit , ann. 1659. eamque matrimonio , cum Maria Teresa Philippi filia contracto , confirmavit , ann. 1660. Massilienses sub jugum redegit , & Arausionem mœnibus nudavit , *eod.* Delphini natalibus lætatus , ann. 1661. Duci Créquio injuriam Romæ à Corsis , militibus præsidariis Pontificis , illatam ann. 1662. ulturus , Avinionem interceptit , ann. 1663. In Africa , castellum *Gigeri* expugnavit reliquitque , ann. 1664. Hispanicis Belgii provinciis bello illato , varias Flandriæ urbes , insuperque Comitatus Burgundiam , occupavit , ann. 1667. & 1668. quo ipso pace inita , hæc reddita , retentæ illæ. Nobilitati suæ potestatem mercaturam faciendi concessit , ac opifices suæ gentis e regionibus exteris domum revocavit , ann. 1669. Lotharingiæ Ducem omni ditione exuit , ac ingentibus copiis undecunque comparatis , universæ Europæ formidabilis esse cœpit , ann. 1670. Peruviam Americæ tentavit , & Gallicas merces in Belgium fœderatum importari prohibuit. Novesium mox oppidum à Colon. Electore in belli sequuturi usus accepit , ann. 1671. Cujus initio ab Anglis , Belgarum navigia Smyrna venientia aggressis , facto , Rex ipse , Colonienfibus copiis auctus , in Belgas Fœderatos movit , & omnia prona nactus Ultrajectum usque penetravit , atque Amstelodamo haud procul absuit : dum interea Episcopus Monasteriensis , oppida ad Isalam subegit , atque ipsum Covordum , oppidum munitissimum , intra paucos dies expugnavit. Sed in Groningæ obsidione hæsit impetus , Car. Rabenhauptio , Nobili Germano , illam egregie tuito , ann. 1672. Trajectum ad Mosam post hæc , multo suorum sanguine , ad deditionem coëgit , ac in Alsatia X. Civitates sibi subjecit , inque his Colmarix nobilis urbis mœnia disjecit , Treverorum insuper urbem occupavit , ann. 1673. quo eodem Hispaniæ Regi , Belgarum partes amplexo , bellum indixit , ac Burgundiæ Comitatum denuo sibi vindicavit , ann. 1674. Milites dein præsidarios fere ex omnibus Belgii , quæ occupaverat , locis , in supplementum copiarum , eduxit , atque Electori Brandenburgico Vesaliam , Resam & Schenckianum munimentum , tradidit , *eod.* donec , post varia cum Cæsarianis & Hispanis , plerumque deteriore horum sorte , gesta , pax coalita ann. 1679. atque iterum post Argentinam anno 1681. d. 29. Sept. & Lucenburgum , ann. 1684. d. 4. Jun. occupata , induciæ in 20. annos paulo post factæ : sequentibus cum piratis Africanis , Genuensibus item , aliisque negotium habuit : hodie in regno ad Romana sacra reducendo occupatus. In *Hispania* , Philippus IV. cum Galliæ Rege Ludovico XIV. pace inita , ann. 1659. eidem , ex prima conjuge Elisabetha Francica , filiam Mariam Terefam , ejuratis ab ipsa prius hæreditatis juribus in Hispaniæ regna , & Ducatus reliquos , in matrimonium elocavit , ann. 1660. Copiis dein , duce Joanne Austriaco filio naturali , contractis in Lusitaniam movit , *eod.* cui suppetias ven-

venturi Marocenses & Fezzani cæsi sunt , ann. 1661. quo ipso *de præcedentia* Hispaniæ & Galliæ Regum , in Anglia , utriusque Legati contenderunt. Eodem , nimio æstu impediti ejus in Lusitania conatus. Sequenti , expugnatis aliquot locis , multos tamen suorum amisit. Ipse , subjecto pulvere pyrio , fere exitio datus. Portugalliæ vero Rex , matre regimine mota , ipse administrare regnum cœpit , ann. eod. & Hispanos acie vicit , ann. 1663. In India vero Orient. à Batavis , aliquot oppidis expugnatis , damnum passus , *eod.* Idem Hispanos rursus fudit , ann. 1664. quorum Regi Philippo defuncto fil. Carolus II. successit , ann. 1665. sub quo ad Villam Novam à Portugallis denuo cæsi Hispani , *eod.* qui cladem victoribus regesserunt , anno sequente , donec pax coiit , ann. 1668. Interea Alfonso VI. Portugalliæ Rex , Mariam Franc. Isabellam Sabaudam sibi junxit , ann. 1666. sed regno & uxore à fratre Petro privatus , ann. 1667. ac in Ins. Terceram deportatus , ann. 1669. postea inde Ulyssiponem reductus ibique custoditus , ann. 1674. obiit haud pridem. Petro autem nata Isabella Maria Josepha , à Statibus Regni hæres , si filium non esset habiturus pater , declarata est , ann. 1674. In *Anglia* , Cromvellus Dunkerkam regno adjecit , paulo post extinctus , successore filio Richardo , ann. 1658. quo tamen sponte cedente , Carolus II. Rex , hactenus in Belgio exul , magno populi Anglicani studio in Regnum revocatus , ann. 1660. moxque Episcopi restituti & pristina regiminis forma reducta , ipse Rex coronatus ejusque cum Catharina fil. Joannis IV. Portugalliæ Regis sorore connubium decretum est , ann. 1661. à qua , dotis loco inter alia , Africæ oppidum maritimum Tingi , vulgo *Tanger* , accepit , ipsam dein sibi junxit , ann. 1662. quo & nonnullos Judicum , qui Rêgem condemnaverant , supplicio affecit , & in priorem statum omnia revocando , non paucos , Presbyterianos præcipue , inde *Non-Conformistas* dictos , offendit , ac cum Belgis novum fœdus junxit , Dunkerkamque Gallis vendidit. Bello dein contra Belgas suscepto , ann. 1664. vario cum illis Marte certavit acerrime , ann. 1665. & 1666. quo posteriore Episc. Monasteriensem contra eosdem excivit , sed Londinum horribili incendio devastatum vidit , calamitatem hanc gravi inundatione sequuta. Eodem , habitu Gallico rejecto , alium sibi suisque finxit sumpsitque. Postquam vero Belgæ Fœderati , classe sua ipsum Tamesin subeuntes , aliquot regias naves exusserunt , pacem cum his , prono ad eam quam maxime Parlamento , simulque cum Galliæ Daniæque Regibus , qui partibus sese applicuerant , composuit ann. 1667. Auctor dein fœderis cum Belgis iisdem & Sueciæ Rege , quod *Triplex* dixere , ann. 1668. matrem amisit Henricam Mariam , Henrico IV. Galliæ Rege genitam , ann. 1669. & sororem Annam , Aureliæ Ducis nuptam , ann. 1670. Post quæ , Gallicæ tempestati in Fœderatum Belgium incubituræ prælusurus , opulenta horum navigia Smyrna domum reperentia inopinato invasit , earum nonnullis potitus , unde novum bellum exortum , ann. 1672. ac mox mari acerrime pugnatum , *eod.* iterum dein atque tertio , ann. 1673. nullo Anglorum emolumento , quare pacem Regi Parlamentum valide suasit , quæ coalita , ann. 1674. ipse ab eo tempore inter belligerantes Conciliatoris personam gessit , bellum tamen Gallis morose paci repugnaturis minatus (trajecto in Flandriam milite , qui Confœderatis accederet , & urbes maritimas Belgii Hispanici custodiret) ann. 1678. quæ nihilominus qualem

Galli voluere, conclusa ann. 1684. subita morte extinctus, anno 1685. fratrem Jacobum Ducem Eborac. successorem habuit, quem regno excutere conati in Scotia Com. Argilius, in Anglia Dux Montmutius, defuncto Regi ex nobili foemina genitus, victi ambo captique incisa cervice coeptra luerunt, ann. eod. In *Dania*, Fridericus III. in Bremensem Ducatum misso exercitu, Verdam expugnavit, frustra à Suecis repetitam, qui tamen Friderici-Oddam interceperunt, Wrangelio duce, ann. 1657. &, Fionia inf. occupata, ac per glaciem in Sialandiam via facta, pacem extorserunt, Rothschildæ conclusam, ann. 1658. mox aliquot mensibus elapsis Sialandiam denuo aggressi, Coronæburgum expugnarunt Hafniamque ipsam obsidione cinxerunt, cui laboranti dum commeatum & suppetias fert classis Belgica, in freto ipso Danico mari certatum: accedentibus dein Austriacis ac Brandenburgicis copiis, Holsatia & Jutia Sueci ejecti, ann. eod. Fionia insuper, aliisque nonnullis, postquam ad Nienburgum acie superati essent, ann. 1659. pax coit ann. 1660. & paulo post Friderico libera ac absoluta potestas ab Ordinibus oblata, ac hæreditaria utriusque sexus successio confirmata est, eod. Obiit ann. 1670. eumque filius excepit Christianus V. Carolæ Hassæ-Casselanae maritus, & ex ea pater Friderici, anno 1671. quo novum Ordinem Equ. *Danneubraage* dictum instituit, ac Christiani Wilhelmi, ann. 1672. haud diu superstitis. Hic, cum Imperatori cæterisque contra Gallos Suecosque Confœderatis accessisset, ann. 1675. Wisnariam ad deditionem coegit, ann. 1676. Tonningæ in Holsatia munimenta diruit, Gotlandiaque Inf. occupata, Belgarum ope ad Oelandiam inf. Suecicam classem profligavit, atque in Scania inde rem egregie gessit, ann. 1677. bis iterum eorundem mari victor, in terra ambigue pugnavit, ann. 1678. sequuti alii nonnulli variantis Fortunæ lusus, donec in pacem consensum est, ann. 1670. Post hæc cum Galliæ R. foedus initum, & Holsatus Dux denuo pulsus est, qui hodieque exulat. In *Suecia* Carolus Gustavus Rex e Polonia reversus Holsatiam invasit, Danosque Ducatu Bremensi pepulit, ann. 1658. inde eos ad pacem Rothschildensem adegit, moxque iterum aggressus Hafniam obsedit, ann. 1659. Curlandiæ Ducem circumventum cepit, eod. in quo Ducatu Coldingam recepere Polonis Brandenburgici juncti, ann. 1659. pax dein cum Danis facta, Mitavia Suecis ejectis recuperata à Polonis, & Dux Curlandiæ ad sua dimissus est, postquam obiisset Rex, successore Carolo XI. sub tutela Ludovici XIV. Galliæ Reg. Matris item & Senatus, anno 1660. Hic cum urbe Brema, quam per Wrangelium obsederat, intercessione Principum Imperii, transegit, ann. 1666. post ostium Varnæ denuo munitum & pacem cum Moscis initam, ann. 1661. *Triplici* foederi nomen dedit, ann. 1668. annum ætatis 18. ingressus regimen ipse suscepit, ann. 1674. contra Belgas se Gal- lis junxit, &, irruptione in Marchiam Brandenburg. facta, Electorem, qui tum Brisaco imminebat, in se convertit, ann. 1675. bello insuper Danico implicitus, ut dictum. Pace facta, junxit sibi Ulricam Eleonoram Daniae Regis sororem, ann. 1680. ex ea egregiæ hætenus prolis parens, quæ tamen majori ex parte non vitalis, subditorum vota præcoce obitu destituit. Summam in regno potestatem Rex obtinuit, ann. 1683. d. 16. Nov. lisque cum Galliæ Rege, ob Ducatum Bipontinum occupatum oborta est, finitis induciis supra dictis, terminanda. Jam Belgis arcto

fœ-

fœdere innexum, fama est: quæ Daniæ quoque Regem, Electores in-
 super Saxonicum & Brandenburgicum, porro Landgr. Hassiæ & Duces
 Lunæburgicos, eadem meditari, hoc ipso ann. 1686. adfert. In *Polonia*,
 cum Suecis conflictanti Regi copiæ Austriacæ subsidio veniunt, recupe-
 ratur Cracovia & Elect. Brandenburgico cum Rege convenit, ann. 1657.
 Cosacci rebelles, Wyhoskio duce, superantur, & Thorunium tandem
 se Regi dedit, ann. 1658. Cosacci dein, Polonis juncti, Moscos profligant
 ad Konothopiam, verum postea denuo rebelles Mōscis se contra
 Polonos jungunt, ann. 1659. quo ipso Hauptum castellum à Dantiscanis,
 deditionem Suecis facientibus, captum est. Pace cum Suecis facta,
 Mosci a Polonis in Lithuania, Czarneckio duce, victi: iterumque
 exercitus eorum, Zeremetio duce, ad incitas redactus & deditionem facere
 coactus est, secuta arcis Vilnensis obsidione, ann. 1660. Post quæ
 egregie gesta, dum milites ob non soluta stipendia tumultuantur, &
 sub *Confœderatorum* nomine patriæ Regique insulant, ingentia inde
 damna brta. Iterum tamen a Czarneckio fusi Mosci, & varia Lithuania
 recepta, ann. 1661. Arctius dein, duce Schuiderskio, milites fœderati
 cœuntes Prussiam ingrediuntur & tributa exigunt, nec Marefcallo suo
 Zeromskio, nec Thesaurario Gonseuskio parcunt, an. 1662. sed fœdere
 soluto, ad officium redeunt, ann. 1663. Rursus itaque Moscorum victores
 Poloni, ann. 1664. sed novæ turbæ sequuntur. Lubomirskius Marefcallus
 Regni obnitens consultationi de successore eligendo, in Comitibus Patriæ
 Regisque proditor declaratus est, ann. 1665. cum Rege conflixit, anno
 1666. arma posuit, Regem cum Regina deprecatus, qui vero dignitatem
 restitutionem impetrare non potuit, Uratislaviæ exul obiit, anno
 1667. quo ipso induciæ 13. annorum cum Mōscis initæ, & Regina Lud.
 Maria defuncta est. Post quæ decretum contra Lubomirskium factum
 Comitibus sustulerunt. Ipse vero Rex Joannes Casimirus regno se abdicavit,
 & in Galliam ad Abbatiam S. Germani se recepit, ann. 1669. ubi
 triennio post obiit. Surrogatus ei Piaustus Michael Korybutus Wiesznowicius,
 anno eod. Eleonoram Mariam, Cæsaris sororem, sibi junxit, anno 1670.
 quæ coronata ann. 1672. Gravis mox a Turcis procella, qui Cosaccos
 rebelles protecturi, Ukrainam Podoliæ partem ingressi, Caminico
 propugnaculo inexpugnabili hætenus credito potiti sunt, dum inter se
 Nobiles Poloni dissident, turpemque pacem, de Podolia universa sibi
 relinquenda, & tributo annuo 22000. ducatorum pendendo, Regi
 extorserunt, die 10. Nov. defuncto: sed mox ingenti clade a Joanne Sobieskio,
 supremo militiæ Polonicæ duce, ad *Chocimum* fugati, ann. 1673. qui
 Rex salutatus, ann. sequ. Turcos Tartaris junctos denuo profligavit,
 turpemque illam pacem abolevit, Caminico cum aditis locis hosti
 relicto, ann. 1676. Viennæ post hæc arctissime obsessæ, salutare sidus
 affulsit, ut diximus. In *Moscovia*, quæ genti cum Suecis Polonisque
 negotia, vidimus. Tartaros Mosci, ut & Cosaccos, Schmielinskyo duce
 Parcallaviam obsidentes, vicerunt, vicissim ab utrisque victi, ann. 1662.
 quo & mercatura, ob cupream monetam, & Pletskovia, ob incendium,
 sicut S. Archangeli urbs, ann. 1667. grave damnum sensit. Iterum
 vero Tartarorum Cosaccorumque victores extitere, ann. 1668. Post
 quæ, Stephanus Razin, fratrem suum a Mōscicæ militiæ Duce occisum
 ulturus, Cosaccis aliisque in suas partes pertractis, contra Dominum
 infurrexit,

surrexit, & regna Casanense ac Astracanense rapuit, ann. 1670. sed, proditione eorundem Cosaccorum captus tormentisque subiectus Moscuæ miserabili supplicio interiit, ann. 1671. urbs vero Astracanum dedere se coacta est, ann. 1672. Anno sequente, Alexius Michalowitz Magnus Dux Legatum ad Principes Christianos, ipsumque Pontificem, foedus & auxilia adversus Turcam, communem hostem, rogaturum misit, qui Roma indignabundus discessit, ob *Imperatoris* titulum Principi suo negatum. Defunctus vero ann. 1676. successorem habuit Fædor-Alexovicium fil. post cuius obitum biceps Moscovia esse cœpit. In *Hungaria*, præter jam dicta, post inducias initas, Leopoldinum a Cæsare exstructum; at Nicolaum Serinium fortissimum heroem ab apro occisum fama tulit, anno 1664. Viennæ *Societas Mercatorum* versus Orientem, in Turcicis ditionibus negotiatura coit, anno 1667. ex eadem Judæi migrare iussi, anno 1670. conspiratio inita detectaque, *eod.* capitibus supplicio affectis, anno 1671. In *Belgio*, missa classis Hafniæ suppetias Suecorum conatus irritos reddidit, anno 1658. ventis dein universam concutientibus Eutopam, non exigua navium in portubus Hollandiæ Hispaniæque jactura facta est, anno 1661. cum piratis dein Afris bellum fuit, quibus pax concessa ea lege, *ne facerent piraticam*: idem dein ab iisdem stipulantibus Anglis, (quorum in eos conatus ann. præc. frustra fuerant) ann. 1662. Eodem anno cum Galliæ Rege foedus initum: transactum quoque cum Tunetanis, sicut Anglis cum Tripolitanis piratis. Angliæ porro Rex foederi illigatus. Inde cum Portugallis res fuit, in India Orientali, ut dictum: piratisque iterum Africanis, nec Belgarum, nec Anglorum, foederatorum licet, navigiis parcen-
tibus, anno 1663. Utrique latrones, qui Surattam in India Orient. urbem celebrem, incensam diripuerunt, represserunt: mox ipsi inter se collisi, anno 1664. & *seqq.* donec in Tamesi exustis aliquot regiis navibus, factaque in littora exscensione, ipsum Londinum terrore repleverunt Batavi, quo pacto brevi, urgentibus Suecicis Legatis, pax conclusa, anno 1667. postquam bellum ab Episcopo Monasteriensi, in gratiam Anglorum, sibi interea motum, Francis & Lunæburgicis copiis adjuti, composuissent, ann. præc. *Triplex* hinc foedus, ad consilia Gallorum coercenda, initum, anno 1668. atque in id Hispaniæ quoque Rex receptus est, anno 1669. quod quorsum valuerit, docuit eventus. Paulo post Archiepiscopus Colonien-
sis Reinbergam repetiit, Gallisque Novesium tradidit, ann. 1671. unde, velut è propinquo, parata tempestas eo majori impetu tantum non in incautos imparatosque effunderetur. Classicum Angli cecinere, qui insidiosè Smyrnensem Belgarum classem adorti sunt, sub veris initium. Mox Galli Præsulesque in societatem asciti, in Foederatas provincias ingruerunt undique: dum intestinis interea dissidiis plena omnia, Wilhelmus III. Princeps Auriacus novo honore *hereditarii Ducatus bellici* auctus, Corn. vero & Joannes de Witte fratres a furibunda plebe Hagæ Comitibus trucidati sunt, anno 1672. A Foederatis sublevati sequ. anno Batavi, Nardam receperunt: Gravam ad Mosam, in quam spolia desertarum urbium congesserant Galli, Princeps Auriacus, *Proprinceps hereditarius* a Statibus declaratus, post difficilem obsidionem, expugnavit, ann. 1674. quo & acerrime insuper certatum in Hannonia, ad pagum *Senef*, Montibus haud procul & vehementissimæ ac fere inauditæ procellæ per Galliam & Belgium cum templorum, villarum, navigiorum,
ho-

hominumque ac jumentorum ingenti strage desævierunt. Sequuta inundatio non minus damnosa, ann. 1675. & Trajecti ad Mosam irrita oppugnatio, ann. 1676. donec Neomagi pax coiit, ann. 1679. A quo tempore in belli damnis refarciendis toti, jam Gallos exules insigni humanitate ac munificentia foveant, illorumque industria non parum ornantur, hoc ipso anno 1686. arcto fœdere Succis juncti, uti fama adfert. In *Helvetia* fœdus cum Galliæ Rege in 60. annos renovatum est, ann. 1663. Quod ad *Ecclesiam*, in Germania, a Jesuitis Henr. Marcello Bamberg. & Jac. Masenio, Colon. concordia inter Pontificios & Protestantes, magno, sed vano, molimine tentata, sub initia Imperii: Cassellis dein inter Marpurgenses & Rintelenses Theologos colloquium, ad Evangelicos inter se conciliandos, auctoritate Guilielmi Landgr. feliciori successu institutum est, ann. 1661. hodie Henotica Consilia variis in locis denuo vigere, audimus, avemusque. In Hungaria Templata adempta Evangelicis, ann. 1671. & 1673. Eodem Pastores Rectoresque Scholarum Posonium ad dicendam causam citati, accusati, condemnati sunt, ad sordes, carceres, triremes tandem. Neapolitanas, ann. 1674. 1675. inde non nisi Ordd. Generalium Fœderati Belgii intercessione, & quidem a triremibus, per eorum Thalassiararchum Michaëlem Ruterum (qui tum cum classe in Siciliam, Hispanos adjutum, missus erat,) d. 11. Febr. ann. 1676. e carceribus vero sequente d. 2. Maji, liberati. In Prussia, Thorunii ex æde S. Jacobi migrare iidem jussi, 1667. In Anglia, Rege reverso restituta Episc. Hierarchia, & Liturgia Ecclesiastica pristina, quam utramque abrogaverat Cromwellus, ann. 1661. plurimis, Presbyterianis præcipue, contra nitentibus, *eod.* & ann. 1662. post quæ omnes Romanis addicti sacris Sacerdotes Clericique peculiari edicto regno excedere jussi, ann. 1673. contra eosdem decreta confirmata, & Reformatæ Religionis novis legibus cautum est, ann. 1674. & *seqq.* quarum vigore etiam sub præsentente Rege, licet iisdem sacris non imbuti, tuta degit. In Gallia, *Hugonotarum*, uti in eo regno vocantur, Templata destrui cœpere, ann. 1661. qui Delphino natalis fuit: hinc indies in pejus ruere res eorum, donec in universo Regno scholæ illorum clausæ, Templata reliqua omnia vel destructa vel in alios usus versa, Edictum Namnetense abolitum, ac Ecclesiæ in eo Reformatæ *fuga in desertum* indicta est, ann. 1685. In eadem, a Rege cœnobita ingressuris, novæ leges in recipiendis novitiis observandæ præscriptæ, ann. 1666. controversia Janseniana sedata, ann. 1669. & VI. Propositiones, quas inter, *de Papæ infallibilitate, de Jure Reges deponendi, de auctoritate Episcopos damnandi ac deponendi, sine Synodo nationali*, quæ jam Alexandri VII. tempore fuerant damnatæ, denuo improbatæ sunt, ann. 1671. Haud pridem de *Regalibus*, cum Pontifice, lis ferbuit. Jam *Consilium Conscientiæ*, cui Cancellarius præsideat, a Rege institutum, nupera nova attulerunt. At Romæ, Alexander VII. inter eosdem Hispanosque initæ pacis incommoda primus sensit, Ducatum nihilominus Castrensem Petri Patrimonio adscripsit, ann. 1660. Franc. dein Josephus Borri, Mediolan. novæ hæreseos ab Inquisitione damnatus primum Romæ ann. *eod.* & Mediolani ann. 1661. inde profugus per Germaniam, Amstelodami Chymiam & Mercaturam exercuit, ann. 1666. Christinæ exin Reginæ imposuit Hamburgi, ann. 1667. in Daniam postea profectus, Friderico mortuo, in Moraviam se recepit, ubi deprehensus Viennam,

deinde Romam abductus, ann. 1670. haud ita pridem vita excessit. Idem Papa Bulla edita, *Beatam Virginem Mariam sine peccato originali fuisse conceptam*, definivit, ann. 1661. Antecessoris dein Bulla contra Jansenistas approbata, ad certæ formulæ subscriptionem hos adigi curavit, nō vellent Gallia regno excedere, ann. 1662. Sed *Infallibilis* haberi in hoc quoque regno affectans, voto suo excidit, *sequ.* Sub eodem Waldenses in ditione Caroli Emanuelis II. Duc. Sabaudia (frustra Helvetiis Belgisque deprecantibus) gravissime afflictī sunt, ann. 1662--1664. Extincto ann. 1667. successit Clemens IX. qui, nonnullis Monachorum Ordinibus sublatis, eorum reditus Veneris contra Turcas bellum gerentibus concessit, ann. 1669. quo ipso defunctum excepit Clemens X. ann. 1670. qui Ferdinandum Catholicum Hispania olim Regem & Franc. Borgiam Jesuitam Sanctis adscripsit, ann. 1671. Sorbonæ Parisiensis, & Escurialis in Hispania, ubi Festum Ferdinandi celebrabatur, incendio memorabili. Extinctus ann. 1676. successorem habuit Benedictum Odescalci Nobilem Mediolan. plus quam septuagenarium, qui *Innocentii XI.* nomine sumto, controversia *Regalium* in Gallia, & largitate contra Turcas celebris est. Græcos quod spectat, Synodus IV. Patriarcharum Moscuæ, a Magno Duce, Polonia Regnum pro filio ambiente, convocata, *Græcæ Religionis homines, si totos se Romanæ fidei abdicant, salutem posse consequi*, statuisse fertur, ann. 1668. quo eodem impostor Sabatai Sevi, qui, Messiam se Smyrnæ jactans, ad novas spes Judæos per universam Europam atque Asiam erexerat, coram Turcico Imp. metu supplicii, Mahometanam superstitionem amplexus est. Bonarum vero Artium Literarumque officinis accessere, Gymnasia Lunæburgi, anno 1660. & Weisenfelsæ, ann. 1664. ab Augusto Principe ambo fundata. Academia item Lundinensis in Scania s. *Carolina*, Sueciæ Reg. Caroli auspiciis instituta, ann. 1668. Sed & Galli, ob Religionem exules, passim Scholas erigunt, hoc anno 1686. Exinde varii morus, variæ vicissitudines acciderunt tum in Imperio Romano, tum in aliis Europæ partibus. Quibus enarrandis operam dare nihil attinet, cum omnibus hujus ætatis hominibus satis innotuerint. Posthæc Imperator Leopoldus in morbum implicitus decessit III. Non. Maji anni cloccev, magnumque sui desiderium apud omnes bonos reliquit.



JOSEPHUS AUG.



SOLIO PARENTIS MAXIMI SEDET TANDEM
JOSEPHUS, ILLE IMAGO PATRIS AUGUSTI,
ET SPES SUORUM. QUANTA IN ORE MAJESTAS!
DIU SUPERSTES LÆTUS EXIGAT VITAM.

E N A R R A T I O.

IN EOPOLO Imperatori anno ætatis suæ LXIV. defuncto successit filius ejus JOSEPHUS, qui & JACOBUS IGNATIUS JOANNES ANTONIUS EUSTACHIUS dictus est pro more aulæ Cæsareæ, qua principum Imperatoriorum nomina multiplicari solent. Natus fuerat postridie Idus Jul. anni clocclxxviii, & Rex Hungariæ creatus v. Idus Decembr. anni clocclxxxvii. Eluxit jam inde a primis annis egregia in eo indoles, ut scires tanti Imperatoris esse filium. Pater ergo, qui cum interea imbui curabat dignis tanta domo disciplinis, scientiisque ornari, quæ futuro regi essent necessariae, honores quoque ejus in tempore augere aggressus est, quo firmitus progressu temporis præsidium senectutis suæ sibi quæreret. Itaque rebus omnibus recte perpensis nihil vel Imperio Romano, vel dignitati domesticæ magis necessarium judicavit, quam omnia, quantum in se erat, eo dirigere, ut filius suus Rex Romanus crearetur, qui proximus est ad Imperatoriam majestatem gradus. Hoc animo jam mense Decembri anni clocclxxxix. Augustæ Vindellicorum, ubi ejus jussu congregati erant omnes Electores, exceptis Saxonienfi & Brandenburgico, qui legatos suos eo miserant, cordata oratione habita animi sui sensa exposuerat.

rat. In illa ostendat quā necesse esset Imperium Romanum defendi contra molimina Regis Galliarum, qui ambitioni suæ frena prorsus laxaret ad omnia sibi obvia devoranda. Enarrabat deinceps quānam calamitates & miseriæ totam pene Germaniam infestassent: quare necesse esse ut secum omnes circumspicerent auxilia, quibus tanta mala averterentur. Tunc progrediebatur ad persuadendum illis ut Rex Romanus eligeretur, arguens multis verbis rem ipsam id exigere, quod notum esset omnibus Regem Galliæ ideo toties Imperio Germanico fuisse molestum, ut Delphino hanc eandem coronam imponeret, Electoribus nonnullis magna spe & pollicitatione lactatis, aliis quoque minarum intentatione perterritis, ni morem gererent suæ voluntati. Eundem quoque Regem numquam intermissurum vexare has oras, quamdiu vel minima spes affulgeret veniendi ad propositum suum, qua semel sublata omne regnum tunc demum fore tutum. Se quidem firmis adhuc esse viribus, & ætate satis validum, sed tamen esse mortalem. Denique præcipiebat ut cogitarent quanti motus, quantæ turbæ essent exorituræ, si durante hoc bello sedes Imperatoria vacaret, nullo certo hærede designato. Quid si & in pace ipsa naturæ debitum solve te cogeretur? Certe nec tum minus fore periculi, cum omnia armis nudata statim exposita essent rapacissimi hominis libidini. Posthæc de filio suo cepit agere, ostendens Germaniam non male usam fuisse principibus domus Austriacæ, paucisque verbis dotes filii sui commendans. Ut brevis sim, Collegium Electorum omnibus examinatis censuit justum & æquum esse quod Imperator petiverat, statimque locum & tempus constituit, quo coronatio institueretur. Postquam itaque dies huic solennitati esset indictus, VII. Kalendas Februar. anni clocxc. omnes magnates, quorum præsentia ad hoc opus requirebatur, convenere. Magnaque pompa omnis res peracta est. Novo Regi benedixit solenniter Elector & Archiepiscopus Moguntinus, ejusque caput & pectus & brachium dextrum sacro oleo perunxit usus his verbis: *Ungo te in Regem sacro oleo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Postea Rex sedens in sella Caroli magni viginti duos Regni proceres equestri dignitate donavit, omnibusque ex voto peractis in palatium reversus est. Exinde præclare se gessit, magnaue fortitudinis & prudentiæ, ut regem decet, edidit specimina. Primam lauream ei dedit urbs Landavia, quam Gallis eripuit; cujus victoriæ meminit Vir laudatissimus Petrus Francius his versibus:

Quid non primitiis orbis sibi spondet ab istis?

Aut quæ non Marti palma parata tuo est?

Auguror: Ismarium Genitor ceu contudit hostem,

Sic tua Borbonias dextera franget opes.

Rebus eo redactis ut Pater in morbum incideret, sine mora Regni curam gessit, & omnia ex æquo constituit. Postridie ejus diei, quo fatis cessit Imperator, sua manu literis scriptis hunc gravem casum indicavit Eugenio Sabaudo, magnamque auri vim ei misit ad sumtus belli sustinendos. Interea non cessere motus Hungarici, frustra sæpe de pace agitatis consiliis. Quæ si non componatur brevi, quid nisi bella & cruenta prælia sunt expectanda? Nondum certe placent conditiones, quas offerunt Hungari. Galli interim in Belgio & Hispania infeliciter rem gerunt, Carolusque Imperatoris frater germanus in magna expectatione est occupandi Regni Hispanici, quod invaserant Galli contra omne fas. Desino in hoc voto:

Vive diu felix, verum Josephe memento

Ingentem numquam degenerare patrem.



HENRICI HAMELOW JC.
IMPERATORES
ROMANI

A
JULIO CÆSARE,

USQUE AD
SACRATISSIMUM
IMPERATOREM

Qui nunc rerum potitur,
Carminē perpetuo descripti.



Editio secunda priori emendatio.



AMSTELÆDAMI,

Apud

PETRUM DE COUP,
PETRUM HUMBERT,
STEPHANUM ROGER,
ET
CHATELAIN FRATRES

1710.



HENRICI HAMELOW JC.

IMPERATORES

ROMANI

A

JULIO CÆSARE,


USQUE AD

SACRATISSIMUM

IMPERATOREM

Qui nunc rerum potitur,

Carminē perpetuo descripti.



Imperatorum dominos, augustaque nomina

Romæ

Teutoniæque cano. primus mihi Cæsar

Iūlus,

Extremus Leopoldus erit. producitur ingens

Herōum series, sed rerum ingentior ordo.

Nam sex dena suos exponunt secula casus.

Tempore quemque suo signato nomine dicam.

A 2.

Et

Et vitas mortesque, & regni fata docebo.
 Cuncta tamen breviter longis ambagibus uti
 Quippe vetat numerus, vel versu ludere ficto.

Tu vero, folium reges qui tollis in altum,
 Visque coli, rex omnipotens, in carmina vires
 Suffice, Cæsareo ne sint indigna cothurno.

Extulerat spoliis bellorum innixa superbum
 Roma caput, totum fama superaverat orbem,
 Qua pater: Eoi reges responsa petebant,
 Hesperiique: inerat metus aut reverentia cunctis.
 Quum populus mundi domitor, furialibus ardens
 Diffidiis, scelerata penatibus intulit arma,
 Ipse suum everfurus opus, proavûnque labores.
 Causa mali plures inter divisa potestas,
 Quos odio promptus livor, grassansque nefandis
 Artibus ambitis sævas acuebat in iras.

Ergo ubi Pompejo subiit respublica pulso
 Cæsaris arbitrium, mutatis legibus uni
 Cuncta subesse sibi iussit, civesque feroces,
 Queis grave ferre parem, maiorem ferre coëgit.

A. 45.
 ante
 Christ.
 nat.

Non poterat stator imperio contingere major,
 Quod juxta ingenio cunctos superabat & armis.
 Hunc tamen in medio crudeli cæde senatu
 Sustulit impatiens primorum factio regni,
 Distraxitque iterum bellis civilibus urbem.

A. 42.
 A. Ch.
 nat.

Quod nisi te talem, felix Auguste, tulissent
 Secula, quis divos potuisset sistere motus,
 Exitiumque novo præsens avertere regno.
 Macte animo juvenis, tu Brutum Cæsaris ultor,
 Tu conjuratam specioso nomine turbam

Tollis,

IMPERATORES ROMANI

Tollis , & Actiaca submersis puppibus unda
 Niliacam sternis dominam , dominæque maritum.
 Inde potens rerum convertis ad extera mentem
 Nec fortuna deest : cum Crasso perdita signa
 Arfacidæ referunt , devicta Hispania subdit
 Colla iugo , veniuntque truces in foedera Daci
 Sic tandem positis orbi pax reddita bellis
 Et fluxit dignum Christi natalibus ævum.
 Iudicio tanti decoratus principis hæres
 Exitit ille Nero , Tyberis cui nomina fecit.
 Illi ætas matura , illi experientia rerum ,
 Abdita mens , & cauta , & bello cognita virtus.
 Consilio pacem coluit : ne causa novandis
 Ulla foret rebus. primorum ex ordine plures ,
 A quorum virtute , vel ambitione timebat
 Multa sibi varie , per crimina ficta dolosque
 Sustulit. has suasit dominatio credula cædes.
 Occubuit senior morboque doloque Macrini.
 A caligis dictis sequitur , luxuque repostus
 Thesauros disperdit avi , pauperque rapinas
 Exercet , stuprisque ac cædibus omnia foedat ,
 Cæsus & ipse. subit studiorum Claudius auctor ,
 Quique super victos extendit iura Britannos :
 Sed facili uxores pravæ , fervique potentes
 Flagitiis ignominiam exitiumque tulerunt.
 Ten' etiam memorem , magnorum crimen avorum ,
 Sæve Nero , qui stupra , neces , incendia versas?
 Qui claros virtute viros , floremque Senatus ,
 Fratremque , matremque , uxoresque , impie , perdis?
 O scelera , infandosque humano in corde furores !

Sec. I.
Christi.

A. 14.

A. 37.

A. 41.

A. 54.

Quin

Quin morere , ut meritus ; teque indue vindice ferro.

A. 68. Sic ubi gens regnum , quod condidit ipsa , reliquit

Julia , Cæsareo Romana potentia vidit

In folio Galbam , post Galbam vidit Othonem ,

Et simul ignavi speciem sine mente Vitelli.

A. 69. Vespasianus adit super horum funera regnum ,

Privato melior princeps , artifque magister

Indole , qua rerum quærenda pecunia nervos

Intrepidi præclarum animi vox ultima signum :

Cæsaris est stantem venienti occurrere leto.

A. 79. Successit Titus , orbis amor , quem propria divis

Afferit æthereo virtus clementia coelo.

Auspiciis gessit clarissima bella paternis ,

Et cepit Solymam totamque a sedibus urbem

Eruit , & multis templum venerabile fecit

A. 81. Arte Domitiani medio decessit in ævo.

Subdolus hic primo simulans virtutis amorem

Prodidit ingenium mox , & convertitur omnes

In scelerum facies , & inundat cuncta cruore.

Hinc odiis periit violento funere justis.

A. 96. Proximus huic Nerva est , summus bonitate , sed annis

Debilis. Ast legitur Trajanus filius illi ,

A. 97. Optimus ; hunc merito dedit in virtutis honorem

Sec. II. Roma viro titulum , plusque illo nullus amatus

Civibus , & nullus plus formidatus ab hoste ,

Nec quisquam veterum regnavit latius illo.

Augustæ studiis Hadrianus sceptrum capeffit ,

A. 117. Ingenio varius , varias sed clarus ob artes ,

Aversus bello. Persis amplissima cedit

Regna , sed Hebræos ingenti strage retundit.

Anto-

Antoninus ei Pius est successor, & alter A. 135.

Fit Numa; nam placida populos in pace regebat
Justitiæ cultu toti admirabilis orbi.

Nominis ejusdem, sapiens cognomine, regnat A. 161.

Cum focio Vero. diversi moribus; alter
Blandus & egregius, sed luxu perditus alter.

Ambo graves claro Parthos egere triumpho,
Marcomanos Sapiens. illo mirabile bello
Prodigium evenit. exercitus hæsit iniquo
Forte loco, quo nec fontes, nec fluminis undæ,
Jamque fiti cunctis pereundum: en numine Christi
Freta Dei legio de coelo flagitat imbrem.,
Intonuit, largusque a coelo mittitur imber,
Inque fidem facti Legio de fulmine dicta est.

Nunc quoque te laqueo damnatum, Commode, dicam, A. 180.

Et te, sed dignum fatis melioribus, Helvi. A. 193.

Teque, Didi, solventem emtos cum sanguine fasces.

Occupat hinc fortis regnum latiale Severus A. 193.

Quod simili studio Niger Albinusque petebant, Sec. III.

Ille videns, non esse parem se Marte duobus,

Consilium capit, & securum nomine blando

Cæsaris Albinum lætat, firmisque catervis

Aggreditur Nigrum, & pulcro certamine sternit.

Tunc violata initæ caussatus foedera pacis

Fertur in Albinum, victorque regressus in Ortum

Arfacidas, Arabesque domat. labor ultimus illi

A domitis muro Pictos arcere Britannis.

Hujus ab excessu non longa potentia multis, A. 211.

At fatum crudele fuit. Scelerata Severi

Progenies fratrem jugulat Caracalla, Macrinus A. 217.

219. Hunc iterum, jugulat miles cum prole Macrinum.
 222. Tractus Alagabalus per compita semivir unco.
 235. Abstulit egregium non sponte coorta Severum
 237. Seditio. leto rixæ fabricator eodem
 238. Maximinus rapitur, rapitur Pupienus, & illi
 Balbinus collega. puer Gordjanus amatae
 Indolis, & faustis jam nobilitatus ab armis,
 244. Queis pepulit Persas, Arabis cadit arte Philippi,
 251. Ille alia. Decium pugnantem hausere paludes.
 254. 255. Ense perit Gallus, perit Æmilianus ab ense.
 Persa Valerjano factis illudit amaris.
 266. Galjenus justa mactatus militis ira.
 268. Claudius immensa sublimis strage Gothorum
 270. Peste obiit. princeps clarissimus Aurelianus,
 Marcomanum magno victor discrimine scribæ
 275. Desiit esse dolo. Septem sine Cæsare menses
 Tunc stetit imperium. tandem patresque, ducesque
 In Tacitum merito iunxerunt vota favore.
 Hoc citò defuncto, cum spem Florjanus haberet
 276. Imperii, potior visus Probus, ille repulsæ
 Impatiens sectis mersit se funere venis.
 At Probus imperium magnis virtutibus ornat.
 Nam simul ac rigida corruptis lege pudorem
 Restituit castris, vastantes Gallica regna
 Germanos reprimat, populos fera bella cientes
 Disjicit Illyricos, & terras pacat Eoas.
 282. Hoc etiam a turmis indigna morte peremto
 Sufficitur Carus, binosque in parte locavit
 Imperii natos. sed ab ictu fulminis ille
 Occidit: horum alter cognata fraude peremtus,

Alter

Alter ab immani victus cæsusque Diocle est. A. 285.
 Hic primo Herculeum • focii dignatur honore, 286.
 Mox rebus dubius Chlorus Cæsarque generque 291.
 Sumitur, & titulos fert Maximianus eisdem.
 Hi totum partiti orbem & discrimina belli
 In diversa abeunt; devictisque hostibus omnes
 Victores miro consensu cuncta gubernant. Sec. IV.
 Jamque satur curis deponit sceptrum Diocles, A. 304.
 Herculeumque trahit secum. distinguere fasces
 Tunc placuit. Gallos Chlorus regit atque Britannos,
 Cetera Maximianus habet. vocat hicce Severum
 Maximinumque sibi socios, & præficit illum
 Italiæ, hunc vastas Orientis mittit in oras.
 Ipse per Illyricos augustior imperat agros.
 Interea moritur Chlorus, patrioque potitur
 Imperio Constantinus cognomine Magnus. A. 308.
 Hæc ubi Romæ audita, .rebelli a milite Cæsar
 Filius Herculei Maxentius acclamatur.
 Maximianus ea trepidans novitate Severum
 Mittit, at is comitum desertus fraude Ravennam
 Aufugit; ipse petit Romam, certusque pericli
 Licinio rediens partem dat habere laborum.
 Hinc otii intolerans regni spem concipit acrem
 Herculeus, Romam properat, tollitque Severum
 Perfidia, atque ipsi molitur funera nato.
 Irritus inde fugit, Constantinumque hymenæis
 Conciliat natæ, atque Augusti nomine donat,
 Mox petit infidiis, quibus obtruncatnr apertis.
 Maximianus obit, certat Maxentius armis,
 Vincitur, & rupto reperit sub ponte sepulcrum:

C

Con.

Constantinus ovans , pactis thalamoque sororis
 Licinium sociat pulsoque & funere functo
 Maximino , auspiciis versant æqualibus orbem.
 Sed cito disjecto confurgit foedere bellum.
 Licinio fuso rursus nova foedera jungunt,
 Rursus & abrumpunt. victus terraque marique

A. 325. Licinius capitur Constantinusque triumphat

Inde novus rerum status , & felicia regna ,
 Fit caput imperii Byzantium , & altera Roma ,
 Alter ab integro seclorum volvitur ordo.
 Quin etiam , in cujus signo superaverat hostes
 Jure deum tanto pro munere Cæsar adorans
 Christiadam genti primos indulgit honores.
 Sic pia religio præceptis tradita Christi,
 In quam ter centum furor immanissimus annos ,
 Sæviera cunctis armatus viribus orbis ,
 Altior infandis tandem est defuncta periclis.

A. 337. Post obitum patris soboles generosa capeffit
 Fortiter Imperium. sed Constantinus amore
 Regnandi periit. Constans sublatu iniquis
 Magnenti insidiis , tantumque superfuit unus
 E tribus , & solus tenuit Constantius orbem.
 Ille sibi Gallum consanguinitate propinquum
 Præficit Eoæ cum nomine Cæsaris oræ ,
 Et necis auctorem fraternæ nobilis ultor
 Aggreditur , superatque. sed hæc victoria magno
 Constitit , & florem Romani militis haufit.
 Inde reum regni male gesti tollere Gallum
 Imperat , & fratrem. verum hic donatus amicis
 Augustæ precibus post paucos gratior annos

Cæsa-

Cæsaris insignem titulum , Augustique sororem
 Accipit affinis lecto , Gallosque regendos ,
 Mox etiam inviso Juljani nomine rexit
 Omnia , Christiadam Christique acerrimus hostis.
 Nec dubium potuisse illo , quo coeperat , astu
 Pluribus extorquere fidem si vita fuisset
 Longior. Arfacidas regni dum finibus arcet,
 In medio pugnae venientis ab æthere teli
 Cuspide transfixus tulit immedicabile vulnus.
 Ille , sciens cujus læsi premeretur ab ira ,
 Vicisti , exclamat , Galilæe , furensque cruorem
 Sacrilega exceptum dextra per inania spargit.
 At ductore carens exercitus , undique cinctus
 Hostibus , imperii Joviano insignia confert.
 Quem salvum facta cum Persis pace reducens
 Oppetiit. Cæsarque Valentinianus eodem
 Cum titulo dat fratri Orientis regna Valenti.
 Ipse per Europam vigili foveat omnia cura ,
 Belligerosque Quados , Alemannosque exsui armis.
 Non ita degeneri favit fortuna Valenti.
 Namque Gothis instans tardatus vulnere tectum
 Dum subit , & tectum & flammis consumitur ipse.
 Quem tulerat justo Gratjanus munere patris ,
 Milite suffragante Valentinianus honorem
 Fert socius frater , multum diversus ab illo
 Moribus , ambo infelices : hic gutture clauso
 Mortuus est , alter trajectus pectora ferro ,
 Theudosio affini & regni consorte relicto.
 Hujus ab ultrici prostratus Maximus ira.
 Hujus ab invicta vi , vimque juvantibus austris ,

A. 361.

A. 363.

A. 364.

A. 378.

392.

- Eugenius socia fusus cum pube tyrannus,
 Et sic imperium prisco splendore refulsit;
 395. Quod genitor natis hac lege reliquit, Eoos
 Sec. V. Major ut Arcadius regnaret, Honorius Arctum.
 Dissimiles illi patri pravisque suorum
 Consiliis impulsu orbis compage soluta
 Omnia divellunt nunquam reditura sub unum.
 Ex illo Italiæ regnum inclinare superbum,
 Et vis Barbarico cessit Romana furori.
 Abstracti imperio focii gentesque subactæ,
 410. Et tandem capta est rerum pulcerrima Roma.
 Sustinet hæc utcunque Valentinianus Honori
 Filius, auspiciis sub cuius Aëtius Hunnos,
 Queis magnum belli fulmen dux Attila, fudit.
 Hunc ubi composita successor fraude necavit
 455. Maximus, ingenti sub nomine parva potestas
 Cæsaribus mansit paucis. hos inter Avitum
 Et Majorjanum numerant, numerantque Severum.
 Imperat auspiciis Anthemius inde Leonis.
 Mox fuit Olybrius, mox dulci voce Glycerius
 A. 476. Moxque Nepos. clausitque augustum, Augustulus agmen.
 His igitur dictis, Orientis fata canemus.
 A. 408. Arcadius natum præreptus morte tuendum
 Theodosium Persæ regi dedit, ille magistro
 Tradidit Antiocho. captus puer arte sophorum
 Cætera neglexit, suetusque ignobilis oti
 Vir tenuit morem, & curis gravioribus impar
 Pulcheriæ ingenio digessit cuncta sororis.
 Non tulit hoc docti doctissima nata sophistæ,
 Munere Pulcheriæ Romani Cæsaris uxor,

Sed

Sed flexit mentem per crimina ficta mariti,
 Ille tamen moriens concessit cuncta forori.
 Virgo sibi intactum fore virginitatis honorem
 Pacta ; feni nubit Martjano laude decoro ,
 Et stetit inconcussa illis concordia regni.
 Asparis hortatu rerum data summa Leoni.
 Maxima pollicitus meritis pro latibus ipsum
 Cum sobole obtruncat , residemque a moenibus Ostri.
 Depulit. imperium studuit conferre nepoti ;
 Zeno gener tenuit. pulsusque libidine focus ,
 Cui tamen optatos rapit Basiliscus amores ,
 Perfidia Armati Basiliscum munere vano
 Vendentis rediit. nec dum securior arma
 Affinis sensit , Verinaeque exfulis iras ,
 Atque intentati memorem discriminis , Illum.
 Ergo tot exhaustis bellorum casibus ægram
 Exhilarans viro mentem fatove dolore
 Oppetiit. Conjux cum successore marito
 Regnat Anastasio : peperit cui plebis amorem
 Vectigal modicum , sacra sed temerata furorem ,
 Bellaque perpetuum pepererunt orta laborem.
 Excipit hunc terræ Justinus filius ictu
 Fulminis extinctum : Germanæ filius illum
 Justinianus ; honos studiis cui partus & armis.
 His Gothus , & domitis ejectus Vandalus oris ;
 Illis doctorum per mille volumina sparsa
 Pulcro dispositæ nituerunt ordine leges ,
 Hic cognatus erat Justinus proximus hæres :
 Quo regnante novum gens Longobardica regnum
 Condidit Italiæ : legum observantior illo

A. 450.

457.

473.

491.

Sec. VI.

A. 518.

527.

565.

D

Non

Non fuit , ast armis non infelicior illo.

Id nimis indignans , mentis cum perderet usum ,

578. Præposuit rebus Tyberino nomine notum ,
Artibus instructum pacis belloque timendum.

Hic Asiæ infestum magna cum clade repressit
Arsacidam , & generum successoremque creavit

582. Mauritium bello egregium , sed tristia passum.

Sec.VII. Namque ipsum totamque domum cum stirpe peremit

A.602. Imperii raptor , turpissima bellua Phocas.

610. Hocce nefas soboles præfecti Heraclius Afri
Sustulit & Persas , quorum regnator amicus
Mauricio , magnum vindictæ nomine bellum
Exorfos , Asiaque omni Ægyptoque potitos
Dejicit , irrumpensque intactæ Persidis oras
Cuncta replet flammis & cæde , crucemque reportat ,
Quam Solymis captis prædam irridendo trahebant.
Hac ætate exlex , & rapto vivere sueta
Gens Arabum , de stirpe Agaræ , Muhamedis in unum
Lege coit populum mox late jura daturum.

A.641. Filius huic Constantinus de conjuge prima
Jure subit. juveni Martina noverca veneno
Accelerans mortem nato & sibi sceptrum paravit.
Concilium patrum , detecto crimine , matri
Decreto linguam , nares præcidere nato ,
Constantemque jubent rapto succedere patri.
Nil tamen huic patriæ fuit , aut virtutis avitæ.
Victor Arabs Asiam , victor Latialia regna
Langobardus habet. Romam urbem diripit ipse.
669. Et non sponte perit. Constantinusque decora
Insignis barba capit aurea sceptrum parentis.

Hic

Hic foedat geminos inhonesto vulnere fratres,
 Atque Arabes urbem longa obsidione prementes
 Opprimit : oppressis & pacem & foedera vendit.
 Ille aliis vendit, sed vendit Bulgarus illi.

Poene puer patrios fert Justinianus honores,
 Queis sibi quæsit discriminina, vulnera, mortem.

685.

Naribus hunc truncis de sede Leontius alta
 Depulit, inque vicem truncis cum naribus illum
 Depulit Absimar. sed Justinianus utrumque
 Redditus imperio poenis affecit acerbis.

695.

Prodigus hunc tandem jugulavit Bardanes, illum

A. 698.

Sec. VIII

Artemius, cessitque locum regnare coacto

712.

Theodosio, & sceptrum tradenti sponte Leoni.

713.

Hic jubet effigies sanctorum evellere templis,

715-717.

Idque fuit causæ cur obsequiumque fidemque

Exuerit sanctus Romana præsul in urbe,

Audendi reliquis eadem dignissimus auctor.

Qui tulit a sacris nomen, quas polluit infans,

Constantinus aquis, magno discrimine patris

741.

Regna capit, magnoque tenet discrimine regna,

Dum prohibet statuis divinos reddere cultus.

Patris avique Leo veneranda exempla secutus

775.

Occubuit febri, Constantinumque reliquit

780.

Sub cura matris. regnandi foemina prudens

Imperio facili plures transegerat annos

Quum sociam matrem dedignans natus inepto

Consilio sumit, quas flectere nescit habenas.

Illa premens altum flammato corde dolorem,

797.

Ut videt averfas mentes odiumque tyranni

Insidiis captum privavit lumine natum.

D 2

Pro

Pro facinus ! medio quod sol damnavit olympos,
 Avertendo oculos, tantasque ciendo tenebras,
 Æternam ut scelerata timerent secula noctem.

Sec. IX. Interea moderante Deo volventia fata

Occiduis rediit Romana potentia terris
 Imperiique decus. sed res hoc ordine gesta est.
 Quum raperent, quas progenuit Germania gentes
 Quidquid in Europa terrarum Roma tenebat,
 Victa diu Francis in prædam Gallia cessit.
 Hæc gens Teutoniæ quæ sunt contermina Rheno,
 Regnabat late, studiis asperrima belli,
 Quod longum pulcra pro libertate gerebat:
 Quas ubi ditis opes auxit victoria regni,
 Francorum claris cœpit dominatio gestis
 Surgere: sed summum evexit cognomine magnus
 Carolus ad culmen, dum præstantissimus armis
 Cætera Teutoniæ sibi vi vel foedere jungit,
 Hungariam ditione premit Papæque timendos
 : Excutit Italiæ moderamine Longobardos
 His & ab exitio Romam quod præstitit urbem
 Incolumem, usque adeo obstrictus populusque, senatusque
 Et qui plus populo poterat, plus Papa Senatu
 Cæsar ut dederint illi, titulumque superbum,
 Imperiumque, olim quod Cæsar habebat in omnes
 Inque sacerdotes. factum deus ipse probavit,
 Decrevitque ratum Grajis Augustus in oris
 A. 114. Filius imperium recipit Ludovicus ab illo,
 Jure pius clero dictus. fat cetera felix,
 Infelix natis. hi ruptis legibus ausi
 840. Bellum inferre patri, defuncto patre nefandis

Cer-

Certantes odiis Francorum robora regni
 Cladibus absumfere datis , tandemque fuorum
 Confiliis isto rediere in foedera pacto
 Lothario Italiae regnum & Burgundia , & omnis ,
 Qua Rheno alluitur regio limphisque Mosellae ,
 Austrasia antiquis , sed post Lothringia dicta ,
 Contigit , & titulus Romani Caesaris ingens.
 Teutonium Ludovicus , & huic adjuncta tenebat.
 Carolus accepit Gallorum cetera Calvus.

Lothario extincto natos discerpitur inter
 Imperium. Ludovicus habet sub nomine summo
 Caesaris Italiam ; Burgundas Carolus arces ,
 Lothario natu minimo Lothringia cessit.

A. 855.

His cum nulla foret soboles , lacrymabile bellum
 Exoritur patruos inter : quia Carolus auro
 Præripit Italiam fratri , pulcramque coronam
 Caesaris : illius post fata utriusque vicesque
 Is fuit eventus , Ludovici ut filius alter
 Carolus , a nimia ventris pinguedine crassus ,
 Omnia regna sui tulerit patruique patrisque.

875.

885.

Hic ubi mentis inops folio dejectus avito ,
 Turbari magno coeperunt cuncta tumultu ;

889.

Italiae regno varii illusere Tyranni ,
 Gallia civilis belli pertæsa furorum ,
 Queis domus egregii cecidit convulsa Pipini
 Mutavit dominos ; Germania post breve regnum
 Caesaris Arnulphi , & Ludovici tristia bella
 Conradumque , alio legit de sanguine regem.

896.

Sec. X.

900.

912.

Saxonica ante alias tunc magna potentia genti.
 Nobilis huic alto Wirekindi a sanguine Princeps

E

Præ-

Præerat Henricus cognomine traditus auceps ,
Aucupio magnum quod solabatur amorem.

919 Hunc procures regem Conradi ex mente salutant.

Protinus illius concors Germania ductu
Amiffas reparat vires. sternuntur avari
Pannonæ , & noti Windorum nomine Slavi.

936. Coepa patris natus felicibus extulit ausis
Magnus Otho. magnum cives , veneremur , Othonem.

Salve heros invictæ animis , salve inclita nostræ
Gloria Teutoniæ. quo te super astra feremus

Carmine ? tu patriam civilibus undique bellis

Implicitam pacas , tu vasta cæde Bohemos ,

Hurnosque Slavosque , & fortia pectora Danos

Cogis ad obsequium. tu falsis regibus aufers

Italiam. , & Papam Romæ sine jure potentem

Res curare jubes sacras , & templa tueri ,

Imperiique decus Germanis , jusque creandi

Pontificem , Latiumque æterno foedere firmas.

Nec summa est laudum tibi , debellare superbos ,

Scis dare supplicibus veniam , scis parcere victis ,

Non tibi , sed Christo vincens , curasque beatum

Servitium Christi populis imponere legem.

Sic Danus domitus , Slavusque , ferocia ponunt

Barbariem , & sancto mitescunt secula cultu.

973. Magnum instar nato patriæ virtutis Othoni ,

983. Non fortuna fuit ; sed Otho melioribus usus

Tertius est fatis , & avi vestigia preffit ,

Confiliis belloque ingens summusque futurus ,

Sec. XI. Ni juvenem raperet mulier delusa veneno.

A. 1102. Conjugio sanctus casto , sobrinus Othonis

Hen-

Henricus regno impositus compescuit armis,
 Qui simul ambierant sceptrum victumque necavit,
 Quem sibi gens Italûm statuebat perfida regem.

Hoc functo procerum studia ob contraria binis
 Exactis demum Conradus sumitur annis

1024.

Cæsar, & in Salicam transmissa potentia stirpem.
 Hic causæ irarum longique incendia belli.

Saxonæ proceres majorum laude superbi

Ereptos sibi sceptri indagnabantur honores,

Nilque intentatum tanta pro clade finebant.

His Guelphique aliiue aderant, odiove metuve

Infensi rebus. læti turbare potentem

Teutonium Papæ stimulos cunctantibus addunt.

Nil potuere tamen, dum vixit clarus ab aucto

Conradus regno: nihil ausi Cæsare nato:

Omnibus Henrici incussit fortuna timorem.

1039.

At postquam quartus nascendi sorte subivit

Quinquennis puer Henricus, data porta scelestis

1056.

Consiliis. princeps curæ genetricis honesti

Sub specie ereptus crevit rectore juventæ,

Qui juvenem quavis sibi devincire per artes

Callidus immerfit vitiis, regnique magister

Improbis invidiam tenero conflavit alumno.

Papa igitur tanto, non segnis cardine rerum

Increpat Henrici vitam, moresque finistros,

Et vendi sacros indignis clamat honores,

Imperiumque pati mystas non posse profanum,

Utque a se baculumque petant & pallia mandat,

Ni faciant, multo divum formidine terrens.

Sed negat Henricus parte decedere jure,

E 2

Deli.

Delictis veniam supplex & sordidus orans.
 At non orantem Papa intractabilis audit,
 Sed sacris prohibendo notat, summumque notato
 Abrogat imperium, submisso in sceptrum Rudolpho.
 Scinditur in varias discors Germania partes.
 Dat sua papali spe fervidus arma furor;
 Saxo, sed Henricum Francorum fida sequuntur
 Agmina. certatur bello, cadit ense Rudolphus;
 Exuitur Roma profugo sacra purpura Papæ,
 Hermannus portæ tumultatur mole ruentis,
 Tollitur Ecbertus, fato Conradus obivit,

Sec. XII. Jamque adeo Cæsar casus evaserat omnes,

A. 1105. Quum patri Henricus Papa impulsore rebellis
 Occupat imperium. sed in ipso limine regni
 Objicitur patriis Paparum fraude periculis
 Ille quidem intrepidus sceleratum fertur in hostem,
 Sed fortuna inimica viam negat; ergo repulsus
 Urgenti cessit fato, procerumque coacto
 Concilio in clerum Papæ delata potestas.

1125. Lotharius Papæ fautor succedere quinto
 Henrico officiis meruit. laudabilis illo,
 Eruit e longis quod jura sepulta tenebris.

1139. Æmulus assensu procerum Conradus habenas
 Excipit imperii, multum adversante superbo
 Saxone, cum Guelpho fratre, exemplumque secutus
 Magnanimi Godofredi, Orientem invadere bello
 Destinat, eventu Manuëlis fraude sinistro.

1152. In patriam vitæque pius, letoque, capaci
 Successore dato. Friderici cognita virtus
 Rebus erat, felixque iterum Germania tanto

Cæ-

Cæsare sperabat tristes reparare ruinas
Imperii & priscis submittere fascibus orbem.
Idmetuens , nondum rigidos oblitus Othones
Papa , rebellantes hortatur in arma Latinos ,
Ultorem diro Fridericum carmine vexat ,
Sollicitat Gallos fortes implorat Iberos
Cuncta movet totiesque licet disiectus & exul ,
Non prius absistit , quam flexo poplite Cæsar
Oraret veniam , bellumque inferret Eois.
Tunc Asiam vastans late Saladinus agebat
Victorem , Solymis captis , Christique sepulcro ,
Idque pudore animos , iustaque accenderat ira.
Stat casus tentare omnes , urbemque tyranno
Eripere , & cæsos ulcisci cæde sodales.
Hos motus animorum intendit Papa , sagaci
Confilio sacri clarissima buccina belli.
Scilicet ut robur regni germana juvenus
Militia caderet longinqua , Asiamque profecto
Cæsare , servitio Papali infuesceret orbis.
At pius Italicæ Fridericus nescius artis
Agmine collecto trajecerat Hellespontum ,
Impatensque moræ , turmas rapiebat in hostem.
Turbatur conspectu Oriens Ducis , atque renatum
Credit Alexandrum. vario certamine pulsi
Diffugiunt Turcæ : regni postulator Eoi
Cedit Arabs , Lybiæque paternos respicit agros :
Nec super hostis erat : cum partos Serra triumphos
Inviictumque ducem letalibus abstulit undis.
Quem sibi discedens genitor curaverat addi
Collegam , sævis Henricus moribus asper ,

1190.

F

E ve-

E vetula natum genuit , Siculosque rebelles
 Suppliciis domuit , magnoque instructa paratu
 Arma laboranti Solymæ laturus , atroci
 Conjugis invidia medio exanimatus in ævo est.

1198. Pollicitum nato patruus diadema Philippus

Sec.XIII Vindicat & curam sibi , consiliumque placebat

Principibus , Suevam sed stirpem Papa perosus
 Opposito primorum animos divellit Othone.

Quem nusquam passus consistere Marte Philippus
 Terribilis , natæ regali dote venustæ

Mitigat affinem Papam , positoque duello ,

Et natam & nomen dat successoris Othoni ,

1208. Infidiisque perit. Sceptra exspectata capeffit

Cæsar Otho. Italiamque petens , dum reddere tentat

Imperio regum vitio subtracta priorum ,

Excidit imperio. Tales devota tyaræ

Regibus ob meritum reddit Germania grates.

1211. Henrici interea soboles Fridericus adulto

Ingenio referebat avum , memoresque parenti

Ductores servare fidem in Romana decorum

Regna vocant juvenem. metuens sibi Papa vocatum

Militiæ astringit sacræ , justasque trahentem

Italia flagrante moras immitibus undis

Objicit , & procul à patria pia bella gerentem

Ignem ferit sacro. terrasque absentis inermes

Vi populat , reducem victorem nomine pacis

Decipit , Italiam furis discordibus implet

In dominum populos , in patrem turbidus armat

Progeniem , appellat Superos , Acheronta recludit

Blanditiisque , minisque , & relligione timendus

Ex-

Exsult imperio regem. Fridericus & armis
 Et calamo caussam studio defendit inani.
 Pontificis procerum subscribit turba furori
 Et legit Henricum, properaque hoc morte perempto 1245.
 Wilhelmum Batavum Friderici fata videntem 1246.
 Ultima, cui Manfredi animam scelus interclussit.

Cum Friderico omnis Latias vis lapsa per oras
 Imperii, imperiumque ipsum fatalibus iris
 Dissiluit procerum. Frisus Wilhelmus ab armis 1256.
 Occiderat, contra patriæ legesque decusque
 Quæritur externus dominus; pars poscit Iberum,
 Pars sua Richardo submittit vota Britanno,
 Ille quidem blando tituli contentus honore,
 Hic degustato referens vestigia regno,
 Sic sine rege fuit Germania, rex sibi quisque
 Quisque sibi Cæsar. non leges: arma vigeant,
 Vique potens & jure potens. procul ardor honesti,
 Cura procul fidei; vitiorum exercitus omnis
 Cædibus obruerat cuncta, injustisque rapinis.

Tres ita transierant anni, tria lustra peracta,
 Cum damnis moniti proceres de rege legendo
 Consilium capiunt, firmumque ætate Rudolphum 1273.
 Præficiunt: subit ille animo tenuissimus alto
 Imperium, prudensque sibi plerosque potentum
 Natarum thalamis & dando non sua firmat.
 Non bellum parat in refides, Bavaoque subacto
 Dejicit Ottocarum, & laceræ civilibus armis
 Teutoniæ pacem reddit, stirpemque virilem
 Evehit, Austriaci generis super æthera noti
 Conditor. Italiæ socors donasse Ravennam

Arguitur Papæ , resque imminuisse Latinas.

Defunctum frustra natorum maximus optat

1292. Excipere Albertus. procerum consensus Adolpho
Imperium confert , animisque ex tempore versis
Abrogat. Ille dolore furens , dum prælia tentat ,

1298. Occidit , Albertus truneo sceptrisque potitur ,
Egregius princeps ; sed amor furiosus habendi
Invidiam cupido peperit , mortemque cruentam.

Hinc sibi cum Gallus peteret diadema Philippus ,

Sec. XIV. Prætulit ingenti procerum sententia regi

1308. Henricum Comitem exiguum. sed quantus in illo
Cæsar erat , quantosque tulit pro laude labores ,
Dum petit Italiam , validisque instructus ab armis
Obsequii veteris reddi sibi pignora jussit ,

Perficeretque , nisi pretio corruptus edendum

Mystra daret regi sacro sub pane venenum ,

Tunc simul intuitur Ludovicus Cæsaris ostro ,

1313. Et simul induitur Fridericus Cæsaris ostro ,

Et licet hic longo victus certamine tandem

Cederet , ille tamen regno gaudere quieto

Non potuit. magnis consulto regibus atrox

Papa iterum solitas irarum effudit habenas

Fulmine terribilis sacro , motisque potentum

Nonnullis , summa decoratur voce. Bohemus

Carolus , usque adeo Ludovico Cæsare vivo

1347. Despectus reliquis , ut eo moriente legendum

Crediderint alium , nisi muneribusque doloque

Ille gravem patriæ sibi conservasset honorem.

Quippe studens generi , Gallisque Italisque favendo

Imperii distraxit opes. ut cetera culpam ,

Sic

Sic laudem meruit , quod tantum more vigentes
Imperii leges bulla vulgavit in aurea.

Ante obitum grandi Wencellao ære paravit 1378.

Cæsareos nato titulos , queis denique monstrum
Exuitur Bavaro fasces capiente Ruperto. 1400.

Hic , postquam infaustis Latium tentaverat armis , Sec.XV.

Teutoniæ totum se mancipat usibus , acri
Ingenio excellens. defuncti regna creatus 1410.

Sigismundus adit Cæsar , jam dote gubernans
Pannonis uxoris , fraterna morte Bohemos,
Justitiæ clarus fama , bellicque laborum.

Omnia de tanto Germania Cæsare læta
Debuerat spondere sibi ; nec defuit ipse
Consiliis patriæ , sed fors adversa negavit
Successum , attritusque domi est civilibus armis.

Queis violata fides injectusque ignibus Hussus
Principium dederat , vim ductor Ziska Bohemus.
Hunc gener Albertus sequitur de stirpe Rodolphi, 1438.

Albertum fratris soboles Fridericus ; ab illo 1440.

Teutonia Austriacos habuit longo ordine reges.

Præfuit ipse diu , multum jactatus acerbis
Casibus , in claro magnis eventibus ævo.

Scilicet Eoum veteris pars altera Romæ
Concidit imperium , Constantinique superba
Regia Turcarum cessit superata Tyranno.

Parte alia fuscis prudens Fernandus Iberis
Imperitans Mauros Granada excindit adempta ,
Æthiopes ultra mox regnaturus & Indos ,
Dum prius ignotas , nisi forte Atlantidis olim
Insula vera fuit , reperit monstrante Columbo ,

G

In

In medio Oceano terras , gazamque sepultam.
 Tunc quoque depulerat pugnaces finibus Anglos
 Gallia : Pannoniam dubio rex jure tenebat :
 Neglectas Latii rapiebat quilibet oras.

Hic status orbis erat , quum Maxmilianus habenas
 Imperii cepit , premere & laxare peritus ,
 Quod fuerat patri plures collega per annos.
 Hic verus patriæ pater ordine , legibus , armis
 Teutonium instruxit , queisque hæc innixa renident ,
 Addidit egregias , studiorum maximus , artes.
 At genus Austriacum magnis ditionibus auctum
 Extulit , & thalamis Mariæ , quam Carolus audax
 Burgundis dominam Belgisque reliquerat unam ,
 Immenfas cumulavit opes , natoque Philippi
 Subdidit Hispanæ dotalia regna Johannæ.
 Hinc genitus raræ subnixus robore mentis ,
 Et regnis patriis , & regnis dives avitis
 Carolus , augusto priscos splendore reduxit
 Augusto. Stupuere onines , Gallique , Italique ,
 Nec tantum trepido conjuravere tumultu ,
 Sed quoque Threïcii moverunt arma Tyranni :
 Nequicquam. Galli capto cum rege repressi ,
 Expugnata Italis rediit reverentia Roma ,
 Moenibus obsessæ depulsus Turca Viennæ ,
 Cæsar ovans , rerum eventu stimulante , plus ultra
 Tendere , nunc inferre Afris victricia signa
 Nunc aliis ; multosque queat sperare triumphos ,
 Ni bellis gravida impediat Germania cursum
 Relligio fons diffidii. corrupta jacebant
 Sacra diu , monachique rudes , mystæque profani.

Omnia

Omnia vendebant auro coelumque , deumque.
 Ecce dei vates divina voce Lutherus ,
 Esse nefas , clamat , cœlestia munera vendi ,
 Judiciisque ideo Papæ damnatus iniquis ,
 Crimina Pontificum , sacræque tyrannidis artes ,
 Scripturæque docet sensum , verumque docenti
 Creditur. ejiciunt certatim plebsque , ducesque
 Indignum Christo cultum , indignosque ministros.
 Jamque idem Belgæ faciunt , faciuntque Britanni ,
 Cum sibi Papa timens invicti Cæsaris arma
 Suscitât , at , frustra tentato Martè , Lutheri
 Dogmata Passavico permittit fœdere Cæsar.
 Mox fessus curis nato transmittit Iberos ,
 Austriacas fratri cum nomine Cæsaris urbes
 Fernando cedit : quibus addidit ille Bohemos ,
 Sceptraque Pannoniæ , populorum amor atque voluptas ,
 Quos blanda mitis regni utilitate beabat.

1555.

Continuat patrios rex Maxmilianus honores
 Exemplis patriis. illo regnante Batavi ,
 Libera gens , dominum vi religionis Iberum
 Exfuit. Hinc mediis respublica crevit in undis
 Prodigium seculi , studiis quæ maxima pacis
 Imperat Oceano , famosique instar Atlantis
 Per vaga disjectum commercia sustinet orbem.

1564

Hæc inter lætam coluit Germania pacem ,
 Sed dubio Hungariam turbarunt Marte Geloni
 Haut dispar rerum nato sub rege Rudolpho
 Forma fuit ; donec regnans à fratre Mathias
 Edidit exemplum , quod post fera turba Boëmi
 Ausa sequi longo fecit primordia bello

 Sec.
 XVII.
 A. 1608.

G 2

In-

Invitis Cæsar consanguinitate propinquum
 Fernandum dederat regem ; res ista rebelles
 1619. Impulit , & licet hic trabeam post fata Mathiæ
 Cæsaream tulerit ; tamen haud gravis ira refedit ;
 Sed rupto obsequio poscunt ad Boja furentes
 Sceptra Palatinum. ille infidis fretus amicis
 Accipit. at validus caussa Fernandus & armis
 Jure suum repetit regnum pugnaque Pragerfi
 Victor , servitii reddit juga sueta Boëmis
 Fridrico exilium : successuque acrior omnem
 Ulturus socios Fridrici , milite complet
 Teutonium. incassum populus Mavortius imæ
 Saxoniae fines Dano sub rege tuetur.
 Cæsaris usque finum penetrarunt arma Codanum.
 His gestis legem fractis impune daturus
 Cæsar Euangelicis mandato edicit , ut urbes
 Arvaque , quæ monachi quondam tenuère beati,
 Restituant , tardis poenam bellumque minatur.
 Perculit hocce metu mandatum Cæsaris omnes ;
 Omnes ergo , animis in civica bella paratis ,
 Arma virosque legunt , conjunctis viribus arma
 Expediunt , nondumque pares peregrina requirunt
 Auxilia. excitus gelida bellator ab Arcto
 Gustavus venit in partes , aurumque ministrat
 Gallia. concurrunt varie , vincuntque caduntque
 Nunc hi , nunc illi , & multos funesta per annos
 Bella trahunt. patrium jam Rex Fernandus habebat
 Tertius imperium , nec adhuc absistitur armis ,
 Nec prius absistunt , quam Boji ab origine motus
 Ter decies magnum Titan absolveret orbem :

Tunc

Tunc demum variis fatiata cladibus ira
Westphalicam stabili componunt foedere pacem.

Qualis erat tanto poene actæ in funera bello
Teutoniæ facies ! quantum distabat ab illa ,
Quæ super Ausonias quondam molita ruinas
Imperium , latè dominans regina , subactis
Europæ populis mitissima jura ferebat !
Nil fortunæ aderat nisi nomen inane prioris.
Ergo novus vindex , Theseusque exposcitur alter ,
Qui decus imperii majestatemque reponat.
En Leopoldus adest. votis respondit Olympus.
Hujus ego venerans fileo vulgata per orbem
Facta , triumphatosque Alemanno Marte Gelonos ,
Et fere Barbaricis ereptum legibus Istrum :
Præcipue cum fata Virum suprema tulerunt.
Excipit hunc tanti proles animosa parentis
Josephus , spes Teutonicæ lætissima terræ ,
Victa cui primam tribuit Landavia laurum.
Hic precor ut longos agat invictissimus annos ,
Cunctaque non justis repetat possessa Tyrannis.
Sic vetus Occidui revirescet gloria sceptri.

Hæc ego Belgarum cecini sepultus in ora ,
Haga ubi regificas spargit pulcerrima villas ,
Et nemore arguto lætos determinat agros ,
Oppositisque instar muri maria arcet arenis.

O æterne parens rerum , ô suprema potestas ,
Post varios casus rebus concede tenorem
Constantem , ut lætas tandem Pax incolat oras ,
Regnet & in terris late justî ardor & æqui ,
Ingenuæ & largis vigeant proventibus artes.
Sic priscum præsens ætas vertetur in aurum.

F I N I S.







